6
17-D
17

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11 A
39

17
6-17-D

Digitized by Google


Regna situs, moresq. hominu describit, et urbes.
A. Magliar Sc.

Digitized by Google

VNIVERSALIS GEOGRAPHIÆ ELEMENTA

Expoſita, & demonſtrata à viris Nobilibus in Colleg: Neapolitano Soc: Jeſu Præſide

NIC: PARTHENIO GIANNETTASIO E. S.

Et in lucem data ad uſum Scholæ ejuſdem Collegii.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI MDCXCII.
Ex Officina Typ. Jacobi Raillard.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Google

EMINENTISSIMO;

AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

JACOBO

CANTELMO

S.R.Eccleſiæ Cardinali Ampliſſimo, Archiepiſcopo Neapolitano Meritiſſimo.

Nicolaus Parthenius Giannettaſius Soc. Ieſu P. F.

MAximum ſemper ingenuæ juventutis ornamētum duxi, PRINCEPS EMINENTISSIME, eam Mathematicarum artium facultatem, quam Geographiā vocamus. illa enim nobiles animi, magnarum rerum capaces, inque ſumma à Natura facti, non uno veluti in angulo abiecti, obſcurique latent, ſed toto terrarum Orbe liberi, & tanquam domini ſpatiantur. Nam illa, qui fines terrarum

ſint,quæ regna,ac populi: qui gentium mores, legeſque,quæ religio, ac ritus: quæ, & quam varia Cœli, ſolique indoles: qui montes, quibus aut ſylvis veſtiti, aut feris habitati, aut metallis gravidi, & lapidibus pretioſis: quæ flumina, quì, & per quos Mæandros fluant:quæ maria,qui ſinus, vel portibus commodi, vel ſyrtibus infames: quo item incremento,& quibus horis intumeſcant aquæ, & refugo mox pede ſubſidāt:ut alterno Euripus æſtu ſepties die, noctu ſepties undas reciprocet, non nomine tantum, ſed de facie docentur, ut ea omnia non intellexiſſe modo, ſed perſpexiſſe videantur. His autem tam miris, ac variis rerum notitiis affatim eruditur animus, mens erigitur, excolitur ingenium: rectè item, probèque vita dirigitur, inſtituuntur mores, leges ſanciuntur, atque cultarum exēplo gentium, non unius tantum privati domus, ſed tota Reſpublica ſanctiſſimè adminiſtratur.

Hujus autem tam nobilis, ac neceſſariæ facultatis Enchiridion ad noſtram iuventutem per compendium nullo negotio inſtruendam, cum in lucem edere ſtatuiſſem, prius ad te illud ſiſtere, ac nuncupare decrevi, CARDINALIS AMPLISSIME, Idque ut facerem duo potiſſimum impulerunt; primum; quia nulli melius, quam tibi dicari Orbis terrarum poterat, qui quà ſanguinis

cla-

claritudine, quà egregiis maiorum factis, quà tuis,præcipuam,ac nobiliſſimam illius partem, Europam impleviſti: mox etiam reliquas, ſi iuſtis Superi annuerint votis, impleturus. Nobiliſſimus ſanguis tuus è Magnis Britanniæ Regibus continua Avorum ſerie deductus,ac plurima ſummorum Principum cognatione, quò pluribus diſtractus alveis, eò maioribus auctus incrementis ſeſe, ruptis veluti magnitudine ſua aggeribus, per tot Provincias, ac Regna ſummis honoribus, gloriaque diffudit, ut neſciam pluſne decoris, atque ornamenti acceperit ab aliis,quam præſtiterit?

Avorum verò geſta tot numero ſunt,tanta magnitudine, tot clara in locis, ut ampliſſima quæque familia, nedum vir unus: ſed quid familiam dico? urbes integræ, ac regna ipſa abundè ſatis ornari, illuſtrarique potuiſſent. Sed quoniam non hic mihi mens,neque inſtituti eſt, maiorum tuorum laudes percenſere, referre decora, titulos numerare,nihil de illis addam:etſi illorum rememoratione ſplendidior videri epiſtola potuiſſet. Quin ſupervacaneum prorſus foret.Quis enim adeo rudis hiſtoriarum,ac poëtarum eſt, cui Heroes CANTELMI non noti,ac veluti de facie perſpecti ſint? Vnum tamen Andream avunculum tuum prætereire nefas mihi duxi,ne te,PRINCEPS EMINENTISSIME, eximia voluptate fraudarem.

rem. Cum enim ſpirans adhuc ipſa ſub imagine virtutum noſtris oculis obverſetur: & veluti præſentia, vel nunc clariſſima illius facta intueamur, habet neſcio quid voluptatis recordatio.

Illum autem ſive militem pugnantem, ſive ducem imperantem conſidero, proh dii immortales! quot fortitudinis, quot conſilii, quot prudentiæ mihi ſeſe laudum offerunt argumenta? quot militibus, ac ducibus ad imitandum ſuppetunt exempla? Plena profectò invictiſſimi militis, magnique Imperatoris, & fama, & factis non una Italia, ſed Germania, ſed Belgium, ſed Gallia, ſed Hiſpania. Et quidem, ut quam pauciſſima complectar; cuncta enim perſequi, tam ampla ſeges eſt, ut deſperem: Fractas ad Callòam Batavorum vires, pulſum tot palmarum ducem, ac Imperatorem fortiſſimum, Inſignem Auſtriacis victoriam ſummo Chriſtiani Orbis plauſu partam, ſervatas Provincias illius conſilio, ac fortitudini deberi ipſi Auſtriaci Principes magnis laudibus teſtati ſunt. At quoniam præclaræ virtutis maius eſt ab hoſte teſtimonium, vel ipſi Batavi teſtes ſint, quibus tantum fortitudine ſua terrorem incuſſit, ut cum ipſi infantes ſuos queritantes terrere vellent, adeſſe veluti ad portas Annibalem, CANTELMUM, digito ad os admoto, ut fit in pavidis, admonebant, quaſi nihil ultra eſ-

ſet,

ſet,quod timerent,niſi CANTELMUM, cuius vel nomine, horribili nimirum larva territabantur. Qũapropter non immeritò Belgæ in virtutis æquè,& amoris argumentum effigiem poſuere cum celebri illa Epigraphe:

Novus ſeculi Epaminondas.

Addam iam alterum de ſingulari illius fortitudine, ac prudentia altero ab hoſte, nimirum Gallo duce,teſtimonium. Hic, cũ ei renunciatum eſſet ex obſeſſa Balagaria copias CANTELMUM pari prudentia,ac fortitudine per medios hoſtes inopinata ſtupefactos audacia, per media caſtra vel recedentis fama trepidantia,incolumes trãsduxiſſe, hæſit primùm perculſus rei magnitudine:mox, Oportet, inquit, credi factum;quia factum eſt. verùm tam maſculæ virtutis,atque inveteratæ prudentię exemplum nullus profectò, aut excogitare ſolertius, aut capeſſere fortius, aut exequi prudentius, aut perficere felicius, quam CANTELMUS potuiſſet.

Magna quidem iſthæc tuorum ſunt:maxima profectò quæ tua. Et ſanè, ut à primis exordiar, ſummatim tamen: nolo enim orationem texere; neque id patitur modeſtia tua. Cùm te primùm Romanam in aulam, tanquam in ampliſſimam exercendæ virtutis palęſtram,contuliſti, illico effulſere ingenii tui,animique dotes:rara tempe-

ran-

rantia, ſingularis modeſtia, egregium doctrinæ ſpecimen, mores iidem & candore faciles,& maieſtate ſeveri, indoles prorſus regia. quibus ſtatim captus Sanctiſſimus Pontifex Innocentius haud paſſus tam inſignem virtutem diù intra urbis mœnia deliteſcere. Miſſus igitur in Melitam Fidei Quæſtor. quam provinciam tanta integritate,ac fortitudine adminiſtraſti, ut admirationi eſſes:tanta item humanitate,ut omnium tibi animos, ac benevolentiam conciliares.

Verùm tam præclaræ, magnæque virtuti haud par provincia Pontifici Max. viſa; quare,ne Rempublicam grandi bono privaret, ad ampliſſimum Venetorum Senatum te Nuncium deſignavit.Sed neſcio quo fato factum? ut mutata legatione ad Helvetios mittereris. Hic vero propugnatam Religionem coercitam Hæreticorum audaciam,defenſam Pontificis Maieſtatem, amplificata iura, maximum induſtriæ, virtutiſque tuæ opus fuit.Id vero tam ſuaviter æquè, ac fortiter, tam juſtè à te præſtitum, ut vel Hæretici te amarent, te colerent, teque ſummis honoribus, quod nulli ante contigerat,proſecuti ſint. Nimirum valet inſignis virtus ipſos adverſariorum animos expugnare, ut cujus inſtitutum non probent,diligant virtutem. demirati & ſæpe ſunt non ſolum illam animi gravitatem,

at-

atque conſtantiam: ſed eximiam humanitatem, eundemque ſemper integerrimæ vitæ tenorem.

At largior tibi campus, meſſis amplior deſtinabatur. fruſtra enim inter anguſtos fines magna virtus continetur. Hæc autem fuit Polonia, ampliſſima quidem provincia, & difficillimis temporibus adminiſtrā-da. verùm nulli melius, quam tibi demandandam Pontifici viſum, cui altius animo inſederant virtutes tuæ: inque dies concepta de te opinio augebatur: atque novis identidem de te bene geſta nunciis perlatus, mirum quantum illius erga te amor exarſerat. Profectus igitur ab Helvetiis ſummo bonorum mœrore, quibus magnum tui deſiderium reliquiſti, in provinciam properaſti. Et licet magnis per Germaniam itineribus contenderes, haud effeciſti, quin te fama præverterit. effeciſti tamen ut illius conatus inanis eſſet; nam etſi multa de te magnificè ſpargeret, obſcurata tamen, atq; obruta ſplendore, ac magnitudine præſentiæ tuæ. Statim enim in ampliſſimo illo Palatinorum Virorum theatro effulſere virtutes tuæ. Defatigati iam bello, quod per tot annos cum barbaris ingenti ſumptu, ac labore geſſerant, nullo fere accepto emolumento, iam de pace cogitabant: quæ nonniſi exitialis Imperio, ac Fidei futura erat, nec deerāt, qui clam, vel privato com-

mo-

modo ſervientes, vel invidia laborantes illam non foverent modo, ſed totis viribus promoverent. Tu verò Pontificis Max: legatus ea uſus, qua fūgebaris, authoritate, in Senatum veniſti, orationem habuiſti tanta vi rationum, atque eloquentia; ut ſtatim tùm gravitate verborum, cum dicentis majeſtate capti vel illi ſunt, qui bellum diſſuadebant: eademque omnium vox, idem animus fuit, manere in fœdere, bellum totis conatibus continuare, Romano Pontifici morem gerere, cujus ſuaſu, atque auctoritate ictum fœdus fuerat. quam ſententiam privatis etiam colloquiis confirmare feliciter potuiſti. quin etiam cum Rege, exercituque Sacroſancta ſigna promoves, in hoſtem contendis, animos accendis, præſtas operam, juvas conſilio: ut tibi meritò debeamus ſecutas inde tot Auſtriacorū victorias, receptas Provincias, contuſam barbarorum ſuperbiam, fractamque ferociam.

Verum ſi tanta apud Senatum authoritate, atque eloquentia valuiſti: plus profectò ad Reges, apud quos tanta dexteritate ingenii, tanta oris facundia potuiſti: tantam tuis moribus gratiam conciliaveras; ut exaſperatos ob repulſam Razivilii Principis animos non ſolum mitigares, ſed nova etiā cum Cæſare affinitate Polonos Reges copulares. quod quidem tam arduum principiò viſum, tam difficile, ut fieri hu-

ma-

mana induſtria etiã confidentiſſimi quiquẽ deſperarēt. factum nihilominus induſtria tua admiratus, & gratulatus eſt Sanctiſſimus Pontifex: viderat enim hinc, quod ſummopere expetebat, arctiori vinculo fędus in barbaros colligari.

Sed jam re apud Polonos benè geſta, Nuncius in Germaniam ad Imperii comitia, in quibus de Romanorum Rege creando agebatur, ab Pontifice miſſus. hic brevi magna confeciſti: nec Cæſaris modo, ac Regis Romanorum, ſed Germanorum omnium animos promeruiſti: qui tuam in negotiis dexteritatem, in officiis urbanitatem, ſummamque in moribus gravitatem ſumma cum admiratione commendarunt.

Verum tot rebus, totque in provinciis, tantoque inter ſe ſpatio diſſitis, tam brevi tempore à te præclarè geſtis, magnarum laudum, ac meritorum faſce onuſtus jam in Italiam revertebaris, cùm in itinere CARDINALIS renunciatus. magna quidem dignitas, ſummus honor: ſed neque à natalibus tuis, neque à meritis alienus Nam cui aptior Purpura, quam Regio ſanguini? cui magis debita quam Viro tot, tantorumque meritorum? quinimmo etſi properè oblata, tanta ſeges illorum fuit, ut tarda videretur Secuta brevi tempore Vrbini Legatio, Capuæ Archiepiſcopatus, & tandem, quod in ſummam Patriæ felicitatem futurum

erat,

LIBER I.

Prima Elementa Geographica.

CAP. I.

Quid ſit Geographia, quid Terra Globus.

GEographia, ſi nomen ſpectes, Græcum eſt: Terræ deſcriptio latinè verti poteſt, quemadmodum Coſmographia Mundi totius deſcriptionem ſonat, uti in hujus Elementis indicavimus, *Gaia* enim, ſeù *Gi*, terra, *Grapho*, ſcribo Græcis eſt. Illam autem ſic definies: Geographia eſt Mathematica facultas, quæ univerſum Terrarum Orbem eleganter, eruditèque deſcribit, atque omnes illius partes pictorio veluti penicillo venuſtiſſimè ponit ob oculos. Atque hinc quam homini neceſſaria ſit, quam decora, nemo unus eſt, qui non videat; quippè hanc qui docti fuerint, terras omnes peragraſſe, vidiſſe gentes, cognoviſſe mores, didiciſſe leges, arteſque, & quid quæque ferat regio, perſpexiſſe videntur. quod ſanè utile homini, ac decorum magnoperè eſt. Hiſtoriæ verò, ac Poëſi tanta luce præit, tan-

eamque opem affert,ut illas ſine hac cæcutire penè dixerim; quapropter operæ pretium me facturum arbitror, ſi ſtudioſæ Juventuti hoc comparem Enchiridium.

Geographiæ partes ſunt Chorographia,& Topographia: Chorographia eſt certæ regionis, vel provinciæ deſcriptio, qualem paſſim in Geographicis tabulis exhibemus: in quibus regiones delineatæ,appictæque ſunt. Topographia verò eſt peculiaris loci deſcriptio, ut cum agrum, oppidumve, & ſingula,quæ in illis præcipua ſunt,repræſentantur.

Hydrographia, Aquarum deſcriptio eſt, quæ Maria,ſinus omnes,Oceanumque deſcribit.Cum enim univerſus Mundi globus ex terra, & aqua conſletur, quæ terras appingit Geographia, quæ maria, Hydrographia Græcis appellatur; *ydor* enim aquam ſonat.

Eſt autem Mundi globus,ſivè Terrarum orbis, tota Telluris,& aquæ moles, quæ in ſphæræ figuram eſt conformata, ut in Coſmographiæ Elementis eſt demonſtratum. Illius autem ſitus, ut ibidem oſtenſum eſt, in medio Univerſi, ſive Orbis Stelliferi ritè collocatur:& ea quidem lege,ut Arcticus Terræ polus, Arctico Cœli polo reſpondeat ex amuſſim, Antarcticus verò Antarctico: quemadmodum enim in Cœlo duo ſunt Poli,ita profectò in Terræ globo gemini ſunt, per quos Axis ad Cœlum uſque perducitur.

C A P. I I.

Qui circuli in Terræ globo deſcribantur.

VT Medium Æquator circulus Cœlum dividit, ità huic alter reſpondens mediam Terram ſe-

ſecat, eamque in Borealem, & Auſtralem partitur: Borealis Orbis pars illa eſt, quæ ex Æquinoctiali ad Arcticum polum vergit: eæque omnes regiones, quæ inter Æquatorem, & Borealem polum jacent, Boreales, ac Septentrionales: quæ Æquatorem inter, Auſtrinumque polum, Auſtrales vocitantur, & Auſtralis pars illa Terrarum eſt.

Deſcribitur etiam in Terræ globo Zodiacus in duodecim ſigna diſtributus, qui & ipſe maximus circulus eſt, uti explicavimus in Coſmographia, quam te ad manus habere volo: nè compendio ſtudens, hic eadem repetere mihi opus ſit.

Præter duos hos maximos, minores etiam quatuor, quos, quia æquè inter ſe, & ab Æquatore diſtant, Parallelos nuncupamus, in Terraqueo globo depingimus: Sunt hi, duo Tropici, Cancri nimirum, & Capricorni, & polares Arcticus, & Antarcticus: Tropius Cancri ducitur per initium Cancri in Zodiaco, & ab Æquinoctiali grad. 23. minut. 30. dimotus Arcticum polum verſus. Tropicus verò Capricorni totidem in Antarcticum remotus per initium Capricorni tranſit. Circulus Arcticus Æquatori parallelus circũducitur partibus 23. minut: 30. à Boræo polo ſejunctus. At verò Antarcticus totidem ab Auſtrali diſterminatur.

CAP. III.

De Zonis.

Quatuor minores circuli, quos parallelos eſſe diximus, toram Terræ ſuperficiem in quinque ſegmenta, ſeu plagas dividunt, quas Geographi Zonas appellant, totidem Cœleſtibus Zonis correſpondentes. Eſt autem Zona, ſivè cingulus

Terræ ſpatium inter duos Parallelos comprehenſum: has verò Zonas à diverſa Terrarum habitudine vocitare ſolitavimus. Prima, omniumque maxima, quæ inter duos Tropicos poſita eſt, præ nimio calore, Torrida dicta veteribus eſt. Proximæ, quæ Tropicos inter, ac polares circulos inter iacẽt, Temperatæ à Cœli temperie appellatæ fuerũt: harum, quæ ad Arcticum polum vergit, Temperata Borealis, at quæ ad Antarcticum, Temperata Auſtralis nuncupatur: reliquæ minores, quæ inter polares circulos, & polos ipſos locantur, Frigidæ, Borealis una, Auſtralis altera cognominatæ Geographis ſunt.

Torridæ Zonæ amplitudo eſt partium XLVII. mediam verò ſecat Æquator circulus; hinc pars, quæ ad Septentrionem ſpectat, Torrida Borealis, quæ ad Meridionalem plagam, Auſtralis dicitur. Torridam Zonam inhabitabilem veteres putavere: verum paſſim Mortalibus incolitur, longioris temperie noctis, crebriſque imbribus nonnullis in locis nimium calorem temperantibus. Temperatarum latitudo partium eſt XLIII, ex his Borealis refertiſſima populorum eſt; quippe, quæ Europam fermè totam, magnamque Aſiæ, Africæque partem, & Americæ non exiguam particulam complectitur. Frigidæ XXIII. partes, & dimidiam patent, perpetuoque gelu, ac nebulis damnatæ: ex his Auſtralis incognita prorſus nobis eſt, nulliſque, ut vero ſimile eſt, hominibus inhabitata. Quinque Zonarum poſitus adiecto ſchemate (*Fig.* 1. *Iconiſmi* 1.) appoſitè, clarèque explicatur, & præ oculis ponitur. De his Ovid. 1. Met.

Utque duæ dextra Cælum, totidemque ſiniſtra
Parte ſecant Zonæ: quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem

Ca-

Cura Dei, totidemque plagæ Tellure premuntur;
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramq; locavit,
Temperiemque dedit, mixta cum frigore flamma.

CAP. IV.

De Meridianis, & Parallelis, longitudine, & latitudine Terræ.

PRæter Meridianum immobilem, innumeri alii in Geographico globo deducuntur, qui quoniam maximi ſunt circuli, per Mundi Polos, & ſingulos Æquatoris gradus tranſeunt. ne verò tot circulorum ductu confuſio fieret, ſatius duxere Geographi, ſi per denos Æquinoctialis gradus deducerentur, ut ſint univerſim in globo Meridiani XVIII. horum primus, ac princeps in 360. partes dividitur. Hic olim a Ptolemæo per Fortunatas inſulas ductus eſt, &, ut ipſe arbitror, per eam inſulam, quæ *Teneriffa* vocari noſtris conſuevit, ingentique monte, *Picum* vocant, inſignita eſt. id verò ex eo factum eſt, quia nimitum hæ ultima rerum pars erant, Terrarumque terminus. Superiore ætate ordiri Meridianos à Tertiis inſulis voluere Geographi, & quidem compluſculi; hic enim Nauticam Acum rectà ferire polum compertum eſt: hinc quaſi à vero Occidentis termino Meridianorum exordium fecerunt. Verum ſapientiores qui hoc ævo floruere ab veteri inſtitutione minime recedendum ſibi duxere: atque ab inſulis Fortunatis ordiuntur. Ricciolus, aliique ab inſula Palma, ex qua in Orbem alterum Columbus ſolviſſe dicitur: ab ea verò, quæ *Ferro* appellatur, Galli Geographi Meridianorum deductionem inceptavere.

Quoniam Zodiaci circumductio ab Occidente in Orientem fit, hinc Meridiani ab Occidente in Orientem procedunt, quam juxtà Meridianorum progreſſionem Terræ longitudo eſt. Quæ quidem ſic definiri jubebit: Loci longitudo eſt arcus Æquatoris inter I. Meridianũ, & Meridianum loci interceptus. Sic, quoniam inter primum Meridianum, & illum, qui Neapoli tranſit ſunt grad. Æquat. 38. 22. tanta erit longitudo Neapolitana, ſivè diſtantia à primo Meridiano Palmæ inſulæ juxtà placitum Riccioli.

Per ſingulos primi Meridiani gradus verſus utrumque polum circuli in globo deſcribuntur, qui quoniam Æquatori paralleli ſunt, Parallelos vocitant: & minores circuli ſunt; & quò ad polum vergunt eo minores fiunt, ut in ipſo polo ultimus Parallelorum ſit, ut verò confuſionem vitent, per denos quoſquè gradus ducunt; quemadmodum in Meridianis factum eſt. Per hos Terræ latitudo internoſcitur, quæ ab Æquatore ad utrumque polum procurrit; quare Borealis latitudo, ad Boræum polum, & Auſtralis ad Auſtrinum eſt. Eſt autem loci latitudo arcus Meridiani inter Æquatorem, & Parallelum, qui per locum tranſit, numeratus. Sic, quia arcus Meridiani inter Æquinoctialem, & Parallelum Neapoli tranſeuntem eſt, grad. 41. 2. tanta erit latitudo Neapolitana, quæ quidem perpetuò æqualis polari altitudini eſt; quantũ enim ſupra Horizontem polus elevatur, tantum ab Æquinoctiali locus diſterminatur; quæ clarè, & expoſitè in Coſmographia pertractata ſunt.

CA-

CAP. V.

De Climatibus.

QUoniam nimis ampla viſa eſt antiquis Geographis diſtributio Terrarum in Zonas quinque, illas in Climata ſtrictim diviſere: eſt autem Clima Terræ ſpatiũ inter duos Parallelos interceptum. procedũt hujuſmodi Climata ab Æquatore ad utrumque polorum. Veteres, quibus admodum perexigua Orbis portio cognita, exploratăque erat, VII dumtaxat Climata numerarunt, quibus à locis celebrioribus, per quæ cujuſque Climatis medium tranſit, nomina indidere: Primum per Meroën, quæ Nili inſula apud Æthiopas eſt, in qua urbs ejuſdem cognominis. Secundum per *Syenen Ægypti*, Romani olim terminũ Imperii: Tertium per Alexandriam, Ægypti quondam principem urbem. Quartum per Rhodum, quintum per Romam, Sextum per Pontum Euxinum, Septimum denique per Boriſthenis oſtia. Hæc verò Climata ea ratione interſe diſtant, ut inter parallelum extremum unius Climatis, & extremum alterius horaria differentia ſit ſemihoræ; quare cum in Æquinoctiali dies ſit XII. horarum, in parallelo extremo primi Climatis erit XII. cum dimidia. in ultimo verò II. Climatis dies longiſſimus erit XIII. horarum: hinc fit, ut Climata procedant æquali intervallo horarum, non ſpatii intercapedine: immo quoad polos accedunt, eo ſunt anguſtiora.

Non ſecus Climata Auſtralia ad alterum Mundi polum procedunt: nomina tamen certa non habent, ſed cognominantur ex iiſdem locis per quæ Borealia tranſeunt addita græca voce *anti*:

quare primum Auſtrale dicitur *antì dià Meroës*: nimirum contra per Meroën. Secundum *antì dià Syenen*,& ſic deinceps: Poſſunt etiam nova dari nomina ex novis terris: & Primum per interiorem Æthiopiam,& Lunæ montes: Secundum per promontorium D.Vincentii ſub Tropico hyberno ad extremam oram Braſiliæ,&c.nominari.

Noſtri XXIV.Climata ſtatuere. Primum per Meroën.Secundum per Syenen,Tertium per Alexandriam:Quartum per Rhodum,Cyprum,& Babylonem,Quintum per Romam, & Helleſpõtum. Sextum per Mediolanum, Venetias, & Compoſtellam, Septimum per Scythiam Europæam, Caucaſum, & Viennam Auſtriæ. Octavum per Mæotidem,Coloniam Agrippinam, & Vvittembergam Nonum per Oſtia Rheni,& Roſtochium. Decimum per Oſtia Albis, & Hiberniam. Undecimum per Riphæos montes, & Bohum caſtrum Norvagiæ.Duodecimum per Hyperboreos montes, & Gothiam, Tertiumdecimum per Bergos Norvagiæ. Quartumdecimum per Viburgum Finniæ,& Orcades. Quintumdecimum per Arotiam Suediæ. Sextumdecimum per oſtia Dalen kaulii fluvii:reliqua ſine nomine paribus tamen interſtitiis tranſeunt per finitimos populos Norvagiæ, Suediæ, & Ruſſiæ Albæ, ſivæ Sarmaticæ Aſiaticæ, extremæque Scythiæ, uſque ad Arcticum circulum. Ab Arctico ad polum ſex alia Climata collocantur, in quibus differentia non eſt horarum, ſed menſium, ut ſcilicet in fine primi climatis dies perpetuus ſit unius menſis, in ſecundi duorum,& ſic deinceps,in fine ſexti, nempe ad polum ipſum dies ſit ſex menſium,totidemque nox,hæc autem omnia, ut tibi ſint ob oculos ſequentem tabellam apponimus.

Cli-

Climata.	Paralleli.	Dispoſ. Clim.	Polaris Altitudo Climat. G. M.	Differentia horaria Hor. M.	Amplitudo Climatum G. M.	Milliaria
I	1	Initium	0. 0	12. 0		
	2	Medium	4. 18	12.15	8.34	694
	3	Finis.	8. 34	12.30		
II	3	Initium	8. 34	12.30		
	4	Medium	12.43	12.45	8. 9	660
	5	Finis.	16.43	13. 0		
III	5		16.43	13. 0		
	6		20.33	13.15	7.28	604
	7		24.11	13.30		
IV	7		24.11	13.30		
	8		27.36	13.45	6.36	534
	9		30.47	14. 0		
V	9		30.47	14. 0		
	10		33.45	14.15	5.43	463
	11		36.30	14.30		
VI	11		36.30	14.30		
	12		39.2	14.45	4.52	394
	13		41.22	15. 0		
VII	13		41.22	15. 0		
	14		43.32	15.15	4. 7	333
	15		45.29	15.30		
VIII	15		45.29	15.30		
	16		47.20	15.45	3.32	286
	17		49.1	16. 0		
IX	17		49.1	16. 0		
	18		50.13	16.15	2.57	240
	19		51.58	16.30		
X	19		51.58	16.30		
	20		53.17	16.45	2.31	204
	21		54.29	17. 0		
XI	21		54.29	17. 0		
	22		55.34	17.15	1. 9	172
	23		56.37	17.30		

XII	23	Initium	56.37	17.30	1.49	147
	24	Medium	57.34	17.45		
	25	Finis.	58.26	18. 0		
XIII	25		58.26	18. 0	1.33	124
	26		59.14	18.15		
	27		59 59	18.30		
XIV	27		59.59	18.30	1. 9	93
	28		60.41	18.45		
	29		61.18	10. 0		
XV	29		61.18	19. 0	1. 7	90
	30		61.53	19,15		
	31		62.25	19.30		
XVI	31		62.15	19.30	0.58	78
	32		62.55	19.45		
	33		63.23	20. 0		
XVII	33		63.23	20. 0	0.53	71
	34		63.50	20.15		
	35		64.16	20.30		
XVIII	35		64,16	20.30	0.39	53
	36		64.37	20.45		
	37		64.55	21. 0		
XIX	37		64.55	21. 0	0.30	40
	38		65.11	21.15		
	39		65.25	21.30		
XX	39		65.25	21.30	0.22	30
	40		65.36	21.45		
	41		65.47	22. 0		
XXI	41		65.47	22. 0	0.18	24
	42		65.57	22.15		
	43		66. 6	22.30		
XXII	43		66. 6	22.30	0.14	19
	44		66.14	22.45		
	45		66 20	23. 0		
XXIII	45		66.20	23. 0	0. 8	11
	46		66.24	23.15		
	47		66.28	23.30		
XXIV	47		66.28	23.30	0. 3	4
	48		66.30	23.45		
	49		66.31	24. 0		

VI. Cli-

VI. Climata Ultima.

Clim.	Alt. Poli G.M.	Dies cont.	Latitudo
I	67. 21	31	0. 49
II	69. 48	62	2. 27
III	73. 37	93	3. 35
IV	78. 30	124	4. 53
V	84. 5	155	5. 25
VI	90	180, & 187	5. 55

Quot in Boreali plaga Climata ſtatuimus, tot etiam in Auſtrali collocanda ſunt, quæ iiſdem intervallis diſtant. quia verò non tam culta, atque habitata eſt illa Mundi plaga, idcirco pleraque innominata ſunt. Ex appoſito tamen abaco vides unumquodq; Clima tribus parallelis contineri: primus, initium eſt Climatis; ſecundus medium, in quo temporis differentia eſt ſcrup. 15. ſeu unius quadrantis: tertius finis præcedentis, exordium verò ſequentis eſt, quare angulus terræ ab Oriente in Occidentem tribus parallelis comprehenſus Clima appellatur, ut videre licet in *Fig. 2. Iconiſmi* 1.

CAP. VI.

De diverſis Terra habitatoribus.

QUoniam varia Terrarum poſitio eſt, variam quoque eſſe habitudinem habitatorum neceſſum eſt. Quare qui homines in Torrida zona degunt Amphiſcii dicuntur; quod nimirum ad utramque Mundi partem umbras projiciant, Sole modo ad Auſtralem, modo ad Borealem plagam vergente. hi Aſcij pariter à Plinio appellantur, quia Sole in vertice exiſtente nullam emittant umbram: de his Poëta

Ignotum vobis, Arabes, veniſtis in Orbem,
Umbras mirati nemorum non ire ſiniſtras.

Quoniam enim Auſtralis Arabia in Torrida Zona ſita ſit, biumbres ſunt Arabes Auſtraliores, qui cùm Pompeio ſuppetias ferrent, mirabantur umbras in Meridie non proici ad Auſtralem plagã, Poetis enim Auſtralis Mũdi plaga ſiniſtra eſt, Borealis verò dextra: contra Geographis in Boream verſis Occidẽtalis pars̃ læva eſt, Orientalis verò dextra, ut alibi.

Et quamvis id bis accidat quotannis in tota Zonæ latitudine: qui tamen in ipſo Solſtitii circulo, ſeù Tropico habitant, ſemel experiuntur, hinc Lucanus de Syene, quæ in ipſo circulo eſt, ait:

Umbras nũmquam flectente Syene.

Hujuſmodi habitatores geminas habent æſtates, totidemque hyemes, eſt autem æſtas quum Sol vertici ipſorum inſiſtit. Qui verò in ſphæra recta, ſeù Æquatore poſiti ſunt, nullũ Ver, aut Autumnum habent, ſed hæc anni tempora in æſtate abeunt, quibus ſumma illis ſolſtitia ſunt;

hinc idem Poëta Æquatorem vocavit alti ſolſtitii circulum.

Deprenſum eſt hunc eſſe locum, quo circulus alti Solſtitii medium ſignorum percutit orbem.

Utramque Temperatam Mundi Zonam, qui incolunt, Heteroſcij vocitantur, quia ad alteram tantum partem umbras projiciunt: in Boream, qui in Boreali ſunt, in Auſtrum verò, qui in Meridionali Hemiſphærio.

Qui Frigidam Zonam tenent Periſcii, quaſi circumũbres dicuntur, quia ſcilicet in orbem quoniam Sol vertitur, in orbem etiam umbræ circumporriguntur. his, Sole Borealia ſigna percurrente, cõtinua Æſtas eſt, ſi tamen Æſtas in frigida Mundi plaga eſſe poteſt, Hyems verò cum per Auſtralia decurrit. Qui in Tẽperatis ſunt, certas, & ſtatas habent anni vices, ut in Coſmographia expoſitum eſt.

Antipodes conſtituuntur, qui obverſis plantis degunt, èque diametro opponuntur, atque in eodem Meridiano ſiti ſunt. tales in ſchemate (*Iconiſmi* 1. *Fig*. 3.) ſunt P, M. K, O. eſt enim horizon HR, Meridianus AHBR, terræ ſuperficies PKMO, Æquator AB, paralleli PO, KM, in quibus habitatores K, P ſunt in Superiore Hemiſphærio: M, O in inferiore. Antipodes in diametro exiſtentes P, M, k, O. Lactantius inſtitut: divin: li. 3. cap. 24. & Divus Auguſtinus l. 16. de Civitate Dei cap. 9. negarunt Antipodas; non enim mente concipere poterant, quì ſtare poſſint quin caderent, cum penſiles hortos vix Poetarum fabulæ confixerint. Quin turpe ducebant homines in adverſo Orbe eſſe, quos omnium Servator minimè redemiſſet: At redemit Servator omnes, cum vel in penitiſſimos terrarum angulos, trans Oceani, anique vias divinæ legis Præcones penetraſſe mani-

nifeſtiſſimis argumentis compertum eſt. ſi verò qui obverſis nobis pedibus incedunt non cadere miramur, & nos illi non cadere mirantur: ſed quò tuent in præceps, quos undiq. cœlum flexu ſuo circumplectitur? cum enim ita natura comparatum ſit, ut in medium, centrumque Mundi ſuapte naturæ gravia nitantur, ſivè noſtro in Hemiſphęrio, ſivè in alio inſiſtant in medium conniti neceſſum eſt. Antipodes omnia contraria inter ſe ſortiuntur.

Antœci, quaſi contra habitantes, ſunt qui in eodem quidem Meridiano, ſed diverſis parallelis æquali ab Æquatore ſpatio diſtantibus inhabitant, hujuſmodi ſunt K, P, & M, O, quapropter æqualem habent Poli elevationem, ſed Borealem unus k, Auſtralem alter P: & cum dies uni medius eſt, eſt etiam alteri, & media nox item: A t æſtas ut uni ardet, alteri hyems alget: ideòque cum uni maximus dies eſt, alteri minimus, cum longiſſima nox huic, illi breviſſima. hi appellantur etiam Antomi, humeris nimirum oppoſiti. Periœci, quaſi circum incolentes ſunt, qui in eodem Meridiano, & Parallelo ſunt, Mũdi polo intermedio: quare eandem habent poli altitudinem, etſi in diverſo Meridiani ſemicirculo, tales ſunt K, M. & P, O, hi eaſdem anni vices ſortiuntur, at cum uni Meridies, media nox alteri eſt.

*Syn*œci dicentur, qui ſimul habitant vel in eodem Meridiano, vel Parallelo, nullo alio reſpectu habito.

C A P. V I I.

De quatuor Mundi cardinibus, & de Ventis.

HOrizontem Geographi binis, rectàque invicem ſeſe ſecantibus diametris è centro dedu-

ductis, in quatuor partes dividunt quatuorque ſectionum terminos Cardines Mundi, & Cardinalia puncta dicunt, hujuſmodi ſunt Septentrio, ad Arcticum polum, Meridies ad Antarcticum, Oriens, & Occidens, dextra nimirum, ac læva Mundi plaga: hinc regiones, quæ ad Orientem Solem ſitæ ſunt, Orientales, & dextræ: ſiniſtræ, & Occidentales ad Occidentem collocatæ, vocitantur. hæc verò puncta veri Ortus, & Occaſus, ſive verni, & æquinoctialis ſunt: ubi verò Æſtate ſol oritur, occiditque æſtivus Ortus, & Occaſus ad Cancri initium eſt: ad Capricorni hybernus Ortus, Occaſuſque eſt, ut in ſchemate cernere cuique liquet. *Iconiſmi I. Fig. V.*

Ex hiſce quatuor Cardinibus quatuor præcipui venti ſufflant, qui Cardinales, & primarij nuncupantur: è Septentrione Septentrio, à Meridie Auſter: ab Oriente Eurus, ſive Subſolanus, ab Occidente Favonius, ſeù Zephyrus. noſtris dicuntur *Tramontana, Mezzodi, Levante, Ponente*. De his ſic III. Naut.

Primus purpureo Cœli de Cardine præceps
Eois ruit Eurus Equis: contra æquore ab alto,
Qua Sol flammiferos rubro lavat amne jugales,
Aſſurgit Zephyrus. Mundi de ſede nivali
Deſcendit Boreas nivibus ſtipatus, & horrens
Frigoribus multis: contra venit humidus Auſter
E Libya, & pluvio contriſtat turbine Cœlum.

Elegantius, & inciſè Ovid. de Triſt. lib. 1. Elegia 2.

Nam modo purpureo vires capit Eurus ab Ortu.
Nunc Zephyrus ſero Veſpere miſſus adeſt:
Nunc gelidus ſicca Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus adverſa prælia fronte gerit.

Prætereà inter hos, quatuor alii ſpirant, & ipſi præcipui, inter Septentrionem, & Orientem eſt

Cœ-

Cœcias. *Greco.* Orientem inter, & Meridiem Euro Auſter *Scirocco*: Meridiem inter, & Occidentem Africus, ſivè Libycus *Libeccio*, & *Garbino* tandem medius inter Occidentem, & Septentrionem eſt Arctozephyrus *Maeſtro.* Inſuper ad octo jam dictos adduntur totidem intermedij laterales, & ſecundarii appellati. Aquilo medius inter Septentrionem, & Cœcian, hunc verò, & Ortum inter eſt Helleſpontias: hic noſtris *Greco Levante*, ille *Greco Tramonta*. poſt Ortum ad Auſtrum ſuccedit Vulturnus *Scirocco Levante*, & mox Gangetius *Scirocco à Mezzodi.* inter Auſtrum, & Africum, eſt Libonotus, *Libeccio à Mezzodì*, poſt Africum ad Oceaſum Subveſperus *Libeccio Ponente*. Occidentem verò, & Arctozephyrum inter ſurgit Iapix *Maeſtro Ponente*. tandem ad Septentrionem Circius eſt *Maeſtro Tramontana*, quæ quidem perſpicuè in appoſita figura. Hactenus enumerati ſexdecim ſunt, & quos noſtro in mari nautæ contemplantur. in Oceano minores etiam indagant, qui totidē ſunt, quiq; è mediis locis perflant. hos nothos ventos, & quartas vocant. Sic qui inter Eurum, & Vulturnum ſpirat, noſtri indigitant. *Quarta di Levante verſo* Scirocco, qui verò inter Vulturnum, & Euroauſtrū, *Quarta di Scirocco verſo Levante*. Et ſic in reliquis. Quæ reliquæ Europæ gentes præcipue in Oceano nomina ventis impoſuere, ex ſchemate (*Iconiſmi I. Fig. IV. & Iconiſmi II. Fig. I.*) appoſito pernoſcere nullius negotii eſt, etſi pro cujuſque gentis lingua nonnihil immutent.

CAP. VIII.

De variis locorum menſuris, deque amplitudine Terræ.

PLura de his in coſmographicis Elementis expoſita à nobis ſunt; quare cõpendio iterum libaſſe ſatis videri poterit. Romani locorum intervalla milliariis dimenſi ſunt. mille verò paſſus milliare, & milliarium appellare conſueſſe à veteribus accepimus: paſſum Geometrium vocitatum, quinque pedibus definivere, pedem palmis quatuor, palmum totidem digitis, digitum granis quatuor in latum diſpoſitis. hæc autem primã omnium menſuram ſtatuiſſe majoribus libitum eſt. quoniam verò ad ſingula milliaria terminales lapides, ſeù cippos ad intervalla dignoſcenda præfixere, hinc factum eſt, ut ipſa milliaria lapides dicerentur. Quatuor Romana milliaria Germanicum milliare conficiunt. Græci ſtadiis intervalla locorum metiebantur; ſtadium verò paſſibus CXXV complecti voluere: idcirco octo ſtadia Græcorum uni Romanorum milliario æquantur. Perſæ Paraſangis uſos eſſe compe-rimus: illarum verò ſingulæ XXX ſtadia continent. Ægyptiis ſchœni adhibiti, ſchœnus autem LX, aliis XL, aliis verò XX ſtadiis adæquabatur, hac tempeſtate nõn Itali tantum Milliarii vocabulo *Miglio* utuntur, ſed & Germani Angli, Dani, Svedi, Poloni, Illyricæque fere omnes gentes, nonnihil pro nativo cujuſque ſermone detorto vocabulo: Hiſpani, Gallique leucis utuntur quas illi *Leugas*, hi *Lievës* indigitãt, leuca Hiſpanica eſt paſſum bis mille quingentorum. Gallica ter millium. quæ horaria dicitur. At non prætermit-

tea-

tendam apud omnes fere nationes eſſe Milliaria parva,& magna, & ſingulas ſuas peculiares menſuras adhibere:at de his in Coſmographicis affatim dictum eſt.

Non minor ibi de Terræ dimenſione, deque inveſtiganda diametri magnitudine habitus ſermo eſt,quare hic inciſè,ut nuper factum eſt. Uni gradui maximi circuli in Terræ ſuperficie deſcripti dant paſſim milliaria Romana LX, quapropter, cum in toto circulo ſint gradus CCCLX erunt in toto terræ ambitu milliaria 21600. ſemidiametro 3440. At ex Arabum obſervatis, & Riccioli, quia uni gradui milliaria LXXXI conveniunt,erunt in univerſo circulo maximo milliaria 29349. quare ſi quis totam terram ab Ortu in Occaſum per Æquatorem,aut à Polo per Meridianum percurriſſet totidem milliaria abſoluto curſu compleſſet. hoc juxta placitum ſemidiametro conveniunt milliaria 4673.dixi in circulo maximo; nam quia parallelorum minor eſt ambitus pauciora milliaria debentur, & eò quo minores fuerint paralleli.

C A P. I X.

De Terraquei globi diviſione.

VNiverſus Orbis duas in partes dividitur, Terram nimirum,& Aquam. Terra in geminas, ingenteſque inſulas aquis circumfluas conformata à Natura eſt. illarum, quæ dextrum Mundi Hemiſphærium occupat, Vetus Orbis,qui tãtum antiquis,nec tamen ex integro,cognitus fuit, appellatur: quæ ſiniſtrum tenet, ſuperiori ſæculo Europæorum navigationibus innotuit, atque Novus Orbis dictus eſt. Veterẽ Orbẽ in tres partes

tes cum Ptolemæo antiquiores Geographi partiti ſunt Europam ſcilicet, Aſiam, & Africam. Quãvis Ptolemæi tempore nulla ex his exactè cognita, & perluſtrata. Europæ enim pars illa Borealis, quæ ultra parallelum LXIII porrigitur, abdita prorſus antiquis fuit: hinc ultimus ad Septentrionem Terminus Thule fuit. Aſiæ verò tractus omnis, qui ſupra prædictum parallelum erat, etiã incognitus manſit. Ad Orientem verò magna Sericanæ Provinciæ pars, pleræque Oceani Orientalis inſulæ diù latuere: neque ultra CLXXX Meridianum itum eſt. Africæ pars olim luſtrata, uſque ad parallelum latitudinis Auſtralis partium XVI, & ſcrup. XXV. extendebatur: neque verò hæc tota in Mediterraneis peragrata: Quare tota Terræ latitudo à parallelo Boreali 63, ad Auſtralẽ 16. m. 25 erat partium 79. ſcrup. 25 ſtadiorum ferme quadraginta millium, juxta veteres, nobis verò Mill. 6199. longitudo verò integer ſemicirculus à primo Meridiano, ad Meridianum partium 180. ſtadiorum juxtà veteres nonaginta millium, Milli. 14674. Præterea ultimam Africæ partem ductu Auſtralis terræ incognitæ cum Aſia coniungebant, Oceanumque claudebant: adeò olim rudis erat, & inexplorata terræ, mariſque cognitio, quæ noſtra ætate exploratiſſima, exactiſſimaque eſt.

Novus Orbis, quæ pars alterum Hemiſphærium occupat, America ab Americo Veſpuccio Florentino jure inventionis, appellatur; nam etſi à Chriſtophoro Columbo Ligure primùm detecta, ab Americo tamen, qui illam magna ex parte luſtravit, nomen ſortita eſt. hæc ingens terrarum portio duas, inque magnas peninſulas, quas exiguo tractu adnectit Iſthmus Panamenſis, dividitur; harum, quæ ad Septentrionem vergit, Ameri-

ca

ca Septentrionalis, quæ verò ad Auſtrum, Auſtralis vocatur.

Atque hinc recentes Geographi univerſam Terræ ſuperficiem mortalibus habitatam in quatuor partes diviſere Europam, Aſiam, Africam, & Americam. His nonnulli duas alias partes addunt, ſcilicet Terram Borealem circa Polum Arcticum, & Auſtralem ad Antarcticum.

CAP. X.

De Oceano.

ALtera Terraquei pars globi, Aqua, quæ undique, lateque terras complectitur: Oceanum Græci à velociſſimo curſu dixere, quaſi *ochy petus*: quo nomine etiam Latini indigitarunt. Eſt igitur Oceanus univerſa aquarum moles terram immenſo, implexoque ambitu circumplectens. hinc Manilius:

Ipſa natat Tellus Pelagi luſtrata corona
Cingentis medium liquidis amplexibus Orbem.

Hic autem cum unus ſit à variis Mundi partibus varia ſortitus eſt nomina. ab Oriente dicitur Eous, & Orientalis, qui & Indicus nuncupatus, & Sericus etiã veteribus fuit. Eſt verò Eous Oceanus omnis ille maris tractus, qui inter Oriẽtalem Africæ oram, Indiam, & Seres interluit. ultra ad Americæ litora Pacificum mare dicitur, & *Mar de Zud* Gallis, Hiſpanis, Germaniſque appellatur, Auſtri nimirum mare. Ab Occidente Occidentalis, & ab Atlante Mauritaniæ monte Atlanticus: Gallis verò, Hiſpanis, Germaniſque *Mare del Nort*, ſcilicet Septentrionis. Eſt autem Atlanticus Oceanus, qui inter Europam, Africam, & Americam præterfluit, Ab Auſtro Auſtralis, &

Æthio-

Æthiopicus, quia ultra Æquatorem Africam abluit. A Septentrione tandem Septentrionalis, Hyperboreus Caledonius, & Scythicus dictus eſt,& nonnullis,Congelatum mare, quia nimirum hyeme congelaſcit: hic Oceanus Polum inter,Europam, Aſiam, atque Americam ſitus eſt, dictus etiam eſt Græcis mare Cronium: quia ob frigoris exceſſum Saturno ſubiectum ſit.

Cæterum alia Oceanus,minora veluti nomina ab innumeris fere regionibus, quas perluit adeptus eſt. Circa Seres,& Sinas *China* dictus, Sericus,& Sinicus: Ad Marianas inſulas Hippadis pelagus,vulgò Achiplagus D.Lazari,quia crebras inſtar Ægæi inſulas preterfluit.Sequitur Magnus Sinus,qui à Ptolomæo Sinas inter,& Aureā Cherſonneſum ponitur:erit,quem noſtri vocant *Golfo della Cocinchina*.Qui utramque Indiæ peninſulam intefluit, cujus in gremium ſe Ganges exonerat ab ipſo Gangetius olim,nunc *Golfo di Bengala*.Tota illa Oceani pars,quæ ab Occidentali Indorum ora Arabiam uſque porrigitur,Rubrum mare, & Erythræum dictum, quia Solis repercuſſu talem colorem induat:ab arena tamen alii, terraque appellatum voluere :nonnulli à Rege Erythra, qui in inſula Ogyri tumulatus eſt. nunc ad Perſidem Perſicum, ad Arabiam Arabicum nuncupatur.

Circa Africam Æthiopicus Oceanus inſequitur,qui ad Orientalem oram Barbaricus ſinus appellatur. *Golfo di Zanquebar*, inter Africam, & Cernen inſulam *Iſola di S.Lorenzo* eſt Mare Aſperum, ſyrtibus late, inſuliſque conſitum.

Atlanticus Oceanus Mauritaniam,Hiſpaniamque interfluens Gaditanus, ad Cantabriam Cantabricus, ad Aquitaniam,Aquitanicus,ad Germaniam Germanicus Oceanus vocatur.Galliam verò inter, & Britanniam Britannius: quod mare

Gal-

Gallis *la Manche*, nobis *la Manica* dicitur. Tandem ad Hiberniam Hibernicus, ad Scotiæ litora, quæ olim Caledonia Caledonius. Ad Americam, quà Novam Galliam alluit, quæ & *Canada* Canadenſis: inter Floridam, & novam Hiſpaniam ſinus Mexicanus. ad Braſiliam Braſilicum mare: circa Terram Megellanicam Megellanius Oceanus, Pervanus verò ad Peruviam. demum inter novam Hiſpaniam & Californiam inſulam Rubrum mare; quia inſtar Arabici ſinus efformatum eſt.

CAP. XI.

De celebrioribus Oceani Sinibus.

OCeanus in continentis Terræ gremium illapſus ſinum effecit, qui Græcis *Colpos*, hinc nobis *Golfo*: quinque autē veteribus cogniti fuere. Primus eſt, qui Plinio Codanus, Tacito Svevicus ſinus dicitur: & paſſim Balthicum mare, Gemanis *die Ooſt Zee*, quod Mare Orientale ſonat, & Daniam, Germaniam Svediam, & Livoniam interjacet. hujus pars eſt Finonicus ſinus, qui Svediam interluit;

Secundus eſt, qui Europam inter Africam, & Aſiam ad Mœotidem uſque extenditur Mediterranum, & incluſum mare dictum: Geographis internum: Tertius eſt Sinus Perſicus, Perſidem inter, & Arabiam, in quem Tigris excipitur. *Golfo di Balſorà*. Quartus Arabiam, & Ægyptum præterluit cognomine Arabicus, & Erithræus *Golfo d'Arabia, e Mar Roſſo*: Quintus Caſpius, & Hircanus dictus, in quem Septentrionalem Oceanum influere veteres putarunt: recentiores nonnulli Euxinum per occultos meatus in Caſpium

mare

mare illabi opinatiſunt. Ptolomæus maluit lacum appellare, cum pedibus circuiri poſſit, in Aſiæ medio jacet, Mediam inter, Hircaniam, & *Scythiam*: in hunc Oxus fluvius, & Volga ingenti aquarum mole deſcendunt. His duo alii in Aſia magni ſinus adjungi poſſunt: Sinus Sericanus, qui *Sinas* inter, & Coream peniſulam eſt, vulgo *Golfo di Nanquin*. Et ſinus Japonicus, ſeu Chryſius, qui Coream Japoniam, & Orientalem *Scythiam* longo circuitu perluit.

C A P. X I I.

De Mari Mediterraneo.

OLim, ut veteres commenti ſunt, Europa iſthmo, veluti ponte, Africæ adnectebatur: at terræmotu, quo Atlantia periit, terræ hinc, inde divulſæ: aut ſenſim exedentibus aquis diſſociatæ; quare Naut. VII.

Iſthmus erat medius, terræ diſcrimine parvo
Qui Libyam Europæ jungebat: & utraque Tellus
Una erat. at crebrò veniens vi pontus, & undis,
Paulatim exedit terras, medioque refuſus
Europam tandem è Libya dimovit, & alta
Diducta ex Abyla tunc Calpe, & litora, & urbes:
Ac primum Thetis Oceano dignata marito eſt.
Tantum tempus edax, & edacia ſæcula poſſunt.

Per Abylam igitur Africæ, Calpé Europæ, quos montes Herculis columnas ob illius laborum metas dixere, irrumpens Oceanus per medias terras interfluit, Europam, Africam, & Aſiam allués; atque hinc Mediterrarum mare appellatum eſt: Cæſari clauſum: & nobis etiam incluſum. Illius autem hic eſt circuitus. A læva Europam perluens, eſt ſinus Virgitanus, *Golfo di Cartagena*: ſequi-

qui-

quitur hunc Illicitanus. *Golfo d'Alicante.* appellatur etiam, quod Hiſpaniam alluit, Mare Ihericum. ad Balearides Balearicũ. Deinde eſt Magnus Sinus Gallicus *Golfo di Lione*. Inter Cirnum inſulam, & Liguriam Mare Liguſticum. Cirnum inter, Sardiniam, Siciliam, & Italiam Tyrrhenum mare *Mar di Toſcana* Inferum etiam vocatum, uti Adriaticum Superum; unde Poëta.

An mare, quod ſuprà, memorẽ, quodve alluit infra?

Ad Sardiniam Sardoum, à Sicilia ad Cretam Siculum: quod Orientalem Italiæ oram, & Græciæ interfluit, Ionium mare, omnium maxime procelloſum, hujus pars eſt Tarentinus ſinus: Ex Ionio Hydruntum inter, & Aulonem irrumpens Adriaticũ ſinum efficit, qui in intimos uſque Venetorum receſſus aſcendit, totamque Italiam, Illyricum, & Macedoniam alluit, vulgo *Golfo di Venetia*: hujus partes Urias ſinus *Mar di Puglia, & Golfo di S Angelo.* Liburnicum, & Illyricum mare. Sinus Liſſicus. *Golfo di Lodrin.* Ionium pelagus, quod & Auſonium olim vocitatum accepimus, per Rhion, & Antirrhion *Caſtelli di Lepanto* irrumpens ſinum facit Corinthiacum, qui Cyrrhæus, & Naupactæus. *Golfo di Lepanto.* à Cyrrha, & Naupacto appellatus eſt. Græciam omnem inter, Aſiam, & Cretam inſulam, quod innumeris conſitum inſulis latiſſimè interluit, mare Ægæum Græci, Latiniq; dixerunt, noſtri Archipelagus, Barbaris Mare Album, ut ab Euxino diſtinguant, quod Nigrum vocant. Ægæum mare ad Myrton inſulam Myrtoum, ad Icariam, Icarium, Carpathium ad Carpathon. Sinus præcipui ſunt Argolius *Golfo di Napoli di Romania*. Saronicus *Golfo d'Egina*, Thermaicus, qui Teſſalonicam uſque excurrit *di Salonichi*. Sed jam Magnus Mediterranei ſinus per Sextõ Europæ, & Abydõ Aſiæ. *li Dardanelli* –

nelli, ingreditur Helleſpontum ab Helle Athamantide dictum:hinc tenui Euripi ductu expatiatur æquor, ac Propontidem efficit *Mar di Marmora*:arctaturque rurſus anguſtiæ, Thracius Boſphorus,quaſi Bovis tranſitus,nuncupatur. quem ultra,vaſtum iterum mare aperitur,Pontus Euxinus,Auxenos olim dictus, ſcilicet inhoſpitalis, quod importuoſus,& procelloſus ſit: Græci nunc *Maurothàlaſsàn*, Turcæ *Caradènis*, hoc eſt *Mar negro*,indigitant. Euxinus cum Aſiam longo amplexu permeaſſet, in Mœotidem per Boſphorum Cimmerium *Stretto di Caffa* ingreditur. in Mœotidem,*Mar delle Zabacche*,Tanais influit, fluvius Europæ, Aſiæque terminus.

At Euxino relicto, poſt Ægæum, Carium eſt mare: circa Rhodum, Rhodium: à Creta ad Cyprum Creticum: A Cypro ad Syriam, Cyprium: at circa Pamphyliã Pamphylium, *Golfo di Satalia*, ad Ciliciam Cilicium,& Iſſicus Sinus *Golfo d'Alexandretta*: ad Syriam verò Syriacum, hinc Palæſtinum,& Ægyptiacum. Tota hæc Mediterranei pars,quæ Aſiam Minorem, Syriam, Ægyptum, & Cyrenem alluit,olim Parthenium, & Virgineum mare à Virgine Europa vocatum ferunt, nunc *Mar di Levante*: tandem ad Libyam, ſivè Africam Libycum, & Africum, Numidicum ad Numidiam,,ad Mauritaniam Mauritanicum.

CAP. XIII.

De Fretis, Euripis, & Boſphoris: inſuper & Iſthmis.

Fretum, quod ab undarum fremitu dictum Varro putat, eſt perexiguus maris tractus geminas ex adverſo terras interfluentis. Celeberri-

ma ſunt Gaditanum, ſive Herculeum: *Stretto di Gibaltàr*, quod Hiſpaniam inter, & Mauritaniam fluit, Europamque ab Africa ſubmovet. hic geminæ Æneæ columnæ, ut ait Philoſtratus, at ut Strabo, aureæ cubitorum VIII. erectæ Herculi erant, in quibus Nautæ ſacrificabant. Longitudo hujus freti eſt milliariorum XV. latitudo V. Secundum eſt fretum Siculum, ſeù Mamertinum, *Faro di Meſſina:* Siciliam ab Italia diſterminat: ejus longitudo à Scyllæo ad Leucopetram eſt milli: 23. minor latitudo à Cœny *Capo della Volpe* ad Pelorum *Torre del Faro*, eſt milli: 11 media à Columna Rhegina *la Catona*, Meſſanam uſque eſt Mill. VI. Tertium eſt Calydonium, ſeù Corinthiacum. *Stretto di Lepanto*; Peloponneſum dividit ab Ætolis.

Quartum Chalcidicum fretum, ſivè Euripus, *Stretto di Negroponte*. Euripum autem Græci vocant maris anguſtias, quibus recipro æſtu, citiſſimoque ultrò, citròque curſu fluunt, refluuntque, itemque vorticibus ſorbentur, eructanturque æquora: ut Euripo accidit, ubi quotidie ſepties ſorberi, revomique undas ferunt. hinc Siculum fretum Taurominitanum Euripum Plinius vocat. Sunt adeo anguſtæ Euripi fauces, ut ponte jungantur, quo Eubœa Græciæ adnectitur, hunc pontem vetuſtate collapſum Turcæ ad Chalcidis obſidium inſtaurarunt. Quintum eſt Helleſpontus inter Sexton, & Abydon, hunc ponte è navibus conſtrato Xerſes cum exercitu tranſmiſit: hujus latitudinem M ferè paſſivum faciunt.

Sequitur Sextum fretum, Thracius Boſphorus, quà Propontidis laxitas in anguſtias iterum coit: *Stretto di Coſtantinopoli*, & *Canale del mar negro*. patet paſſibus D: per quem ponte Darius in Europam copias tranſuexit; de hoc Plinius: Invitis hoc

hoc accidiſſe terris indicio ſunt tot anguſtiæ, ác tam parva naturæ repugnantis intervalla ad Helleſpontum 873. paſſuum ad Boſphoros duos, vel bubus meabili tranſitu. Unde nomen ambobus, & tanquam in diſſociatione germanitas concors. Alituum quippe cantus, canumque latratus invicem audiuntur, vocis etiam humanæ commercia, inter duos Orbes manente, ſeù meante colloquio, niſi cum id ipſum auferunt venti.

Septimum fretum eſt Boſphorus Cimmerius, quà in Mœotidem paludem itur, interque Tauricam Cherſoneſum Europæ provinciam, & Aſiam meat ſpatio paſſuum M.M.D. *Stretto di Caffa*. Eſt etiam octavum fretum Sardiniam inter, & Corſicam Gallicum vocatum, & Taphros. Latitudine milli: 7. paſſum D. Addunt nonnulli Cilicium fretum Ciliciam inter, & Cyprum, ſed adeo latum eſt, ut hac appellatione donari minime conveniat.

Celeberrima Oceani freta, ſunt Britannicum Angliam inter, & Galliam, ſive Caletum, & Dubrin, etſi minor latitudo ab Itio portu, & promõtorio Galliæ *Blackness* ad Angliæ promontorium Cantium *The-naſſe* ſit Mill: XXII. Hibernicum Hiberniam inter, & Scotiam latum mill. VII. Danicum, ſeù Cymbricum, per quem in Balthicum mare intrat Oceanus, incolis dicitur *Deiſund*. pateique paſſibus MM. Sericum fretum *Stretto dà Nanquin*. Coream peninſulam à Sinis dirimit intervallo paſſuum MMM. Japonicum Japoniam inſulam ab Orientali Scythia diſterminans: Chryſium *Stretto di Sincapùra*, quo ab Aurea Cherſoneſo Sumatra divellitur: Sindicum *della Sonda*, aliaque quamplurima in Oceano Orientali, quorum laxitates non dum ſatis exploratæ.

Eſt etiam celebre Magellanicum à Coſma Magellano, qui primus hoc fretum trajecit: ultimam Americæ oram ab Auſtrali inſula dividit. Longitudo eſt mill 420. latitudo minima paſſuum M. Mediæ VI. milliar. IV. VIII. & X. maximæ XX. & XL. innumeris inſulis, & Syrtibus conſitum. Præterea Scythicum fretum, vulgo *Stretto di David* inter Orientalem Aſiæ oram, & Americam Septentrionalem, cujus latus non dum ſatis exploratum. Eſt in Sepientrione Fretum glaciale Novæ Zemblæ, vulgò *Stretto di Vvaigts*, quà immenſa glacie Scythicum mare æſtate reſolutum fluit.

Iſthmum Græci anguſtum inter duo maria terræ meatum dixere. Celebriores ſunt, Primus Corinthiacus, quo veluti collo reliquæ Græciæ Peloponneſus adjungitur, Cyrrhæuſque ſinus à Saronico diſterminatur, ſpatio paſſum quinque M. Lachæum inter, & Cenchreas: quæ quidem inter oppida ad Pelopponneſi tutamen murus ductus, inſtauratuſque ab Athenienſibus, atque utrinque Auſtrum verſus inflexus intercapedine mill. VI. atque hinc Hexemilion appellatum.

Secundus Thracius, qui Cherſoneſum Thraciæ ſociat ſpatio mill. V. in hujus extremo litore olim Lyſimachia. Tertius Macedonicus: Athonem montem intercapedine olim paſſuum MD Macedoniæ jungebat; quare nil mirum ſi à Xerſe effoſus perhibetur. Quartus eſt Thauricus inter Scythiam, & Tauricam Cherſoneſum, latus mill: quinque. Quintus eſt Chryſius, ſeù Malacenſis, quo Indiæ extra Gangem Aurea Cherſoneſus copulatur. Sextus Arabicus Aſiam inter, & Africã, qui intervallo C fermè mill. tam magnas rerum partes aſſociat, atque Erythræum à Mediterraneo diſiungit, tantum terræ interſtitium ad expedi-

tam in Oceanum navigationem effodere Seſoſtres voluit, ſed eò deterritum ferunt: ne ſcilicet Oceanus in Mediterraneum irrumpens, Aſiam omnem obrueret. Septimus tandem eſt Americæ Iſthmus Panamenſis ab urbe Panama dictus, qui inſtar Arabici geminos Americæ orbes XVIII. Leucarum interſtitio conjungit, quò ſi præfectò maria miſcerentur, facilis, ac breviſſima navigatio, juſque commercij per utramque Indiam foret.

CAP. XIV.

De Globo, Mappis Geographicis, & diſtantia locorum inveſtiganda.

PRimus, qui Terrarum Orbem in tabulis graphicè pictum exhibuit, ſi Straboni credimus, Anaximander fuit. Nonnulli pellem, qua ventos Æolus incluſerat, Ulyſſique dono dedit, Mappam non immerito interpretantur, ex Pergamea pelle, in qua egregius vir Litora, Sinus, Maria, Ventoſque deſcripſerat: quibus inſpectis facile navigationem inſtituere, & continuare potuiſſet. Certe Socratis ævo Athenis Græcia in tabulis depicta populo exhibita: hanc cum Alcibiades inſpiceret: indica mihi, inquit Socrates, quæ tuæ poſſeſſiones. cumque minime cerni, notarique reſpondiſſet: *Quid igitur*, tunc Socrates, *his tibi divitiis, quorum Geographus nullam rationem duxit, tantopere places?* Auguſti tempore etiam Romæ extabant tabulæ, quibus Orbis inſcriptus viſebatur: quare Propertius l 4. El. 3.

Cogor & è tabula pictos ediſcere Mundos.

Pomponius Mela in uno planiſphærio Orbem pinxit duabus continentibus diviſum. Poſidonius verò, etſi Terram ſphæricam eſſe ſciret, in ovi ta-

men formam deſcripſit, Claudius Ptolemæus Geographorum jure princeps, qui Adriano, & Antonino Imperat. floruit, in quadrati penè formam cognitum ſua ætate Mundum accuratiſſimè omnium antè ipſum appinxit: quadrataſque omnium Provinciarum tabulas dedit. Rem tam miram, tam utilem mirificè minores propagarunt: præcipue poſt annum 1302. cum Flavius natione Italus, patria Amalphitanus Nauticæ Acus, & Magnetis uſum excogitavit. Nauticæ enim Acus, & Nautici Circini ope locorum longitudines inventæ, & certa ratione non tabulis tantùm pictæ, ſed ære inciſæ Terrarum partes, Montes, fluvii, lacus, ſylvæ, loca omnia: ut jam de facie penè totus cognitus, vel imperitis ſit Orbis.

Eſt igitur Globus Geographicus, ſphæra quædam ex papyro, & Gypſo elaborata, in qua Æquinoctialis, Zodiacus, Meridiani, Tropici, Polares, Paralleli omnes, Terra univerſa, cunctaque Maria ad vivum doctè, ſcitèque inſcripta, appictaque ſunt. hic autem Globus Meridiano immobili, & Horizonte, non ſecus, ac Armillaris ſphæra, ſuſtinetur. Planiſphærium Globum ipſum in plano figuratum vocitamus. Primus autem, qui utrumque Hemiſphærium, non dum detecta America, in plano deſcripſit fertur Arzaël natione Maurus, patria Toletanus, inſignis Mathematicus, qui vixit circa annum 1069. jure enim arbitratus eſt non unum Orbem radiis ſuis Solem circumplecti, ſed alterum etiam, quem Antipodes inhabitarent.

In Planiſphærio Æquinoctialis recta linea repræſentatur, ut & Meridianus, qui medius ab uno ad alterum polum excurrit. primus verò Meridianus gemino circumductu utrumque Hemiſphærium claudit: cernentis autem oculus in medio

dio ſectionis conſtitutus, utrumque ſpectat. In Planiſphærio illud eſt incommodi; quod regiones in medio poſitæ arctiores figurantur, latiores verò, quæ ad extrema: id autem in globo minime accidit.

Mappas Geographicas eas dicere ſolitavimus, quibus Terrarum partem aliquam, Europam nimirum, vel Africam, aut Regnum, ſive Provinciam velut Italiam, ſivè Neapolitanum Regnum præ oculis juxta naturalem illius ſitum figuramus. In his per ſingulos gradus à ſiniſtra ad dexteram Meridianos ducimus: ſiniſtra Occidens, Oriens dextra inſcribitur. ab inferiori parte ad Superiorem Parallelos numeramus, inferior pars Meridie, ſuperior Septentrione inſignitur. per hoſce Parallelos latitudinem locorum in Meridianis numeramus: longitudinem verò per Meridianos in Parallelis. Prætereà apponi item ſolet ſcala milliariorũ, qua duorum locorum diſtãtiam indagamus. Si enim circino accipiam diſtantiam datorum locorum: & acceptam in ſcalam transferam, nota fiet in milliariis illorum quæſita diſtantia. Quoniam plurimæ ad manus haberi poſſunt Mappæ Geographicæ; & Enchiridii tenuitas illas minimè patitur; idcircò ab illis abſtinendum duxi: idque vel ex eo præcipuè, quod hæ niſi grandiores haud commode uſui eſſe poſſunt.

Ut autem ſine ſcalæ adminiculo exactiori methodo ex latitudine, & longitudine locorum, eorundem itinerariam diſtantiam ſcire queas, illud animadvertas, oportet, nimirum uni gradui circuli maximi videlicet Meridiani, & Æquatoris milliaria LXXXI. deberi juxtà noſtra placita. Parallelis verò non item, ſed quo ad polum accedunt, eo minora convenire: id ut præ manibus

habeas, appono ſequentem tabellam, qua quot Min: Æquatoris uni gradui ſingulorum parallelorum tribuantur, notata ſunt.

G. Parall.	M.S. Æquat.	G. Parall.	M.S. Æquat.	G. Parall.	M.S. Æquat.
1.	59.59	31.	51. 9	61.	29. 5
2.	59.57	32.	50.36	62.	28.10
3.	59.55	33.	50.19	63.	27.14
4.	59.51	34.	49.44	64	26.28
5.	59.46	35	49. 8	65.	25.21
6.	59.40	36.	48.32	66.	24.24
7.	59.33	37.	47.55.	67.	23.36
8.	59.24	38.	47.16	68	22.28
9.	59.15	39.	46.37	69.	20.30
10.	59. 5	40.	45.57	70.	20. 1
11.	58. 0	41.	45.16	71.	19.33
12.	58.41	42.	44.35	72.	18.32
13.	58.27	43.	43.52	73.	17.32
14.	58.13	44.	43. 9	74.	16.32
15.	57.57	45.	42.25	75.	15.31
16.	57.40	46.	41.40	76.	14.30
17.	57.22	47.	40.55	77.	13.29
18.	57. 3	48.	40. 8	78	12.28
19.	56.51	49.	39.51	79.	11.26
20.	56.43	50.	38.34	80.	10.29
21.	56.22	51.	37.45	81.	9. 23
22.	55.37	52.	36.56	82.	8. 21
23.	55.13	53.	36. 6	83.	7. 18
24.	54.48	44.	35.16	84.	6. 16
25.	54.22	55.	34.24	85.	5. 13
26.	53.55	56.	33.33	86.	4. 11
27.	53.27	57.	32.40	87.	3. 8
28.	52.58	58.	31.47	88.	2. 5
29.	52.28	59.	30.50	89.	1. 2
30.	51.57	60.	30. 0	90.	0. 0

PRO-

PROBLEMA I. PROP. I.

Datis duobus locis ſola latitudine differentibus, eorum diſtantiam in milliariis exhibere.

Sint duo loca A & B, quorum latitudines diverſæ. Subtrahe minorem ex majori: differentiam in grad. exhibitam reduc in millaria tribuendo cuique grad. milliaria LXXXI. ſingulis verò minutis paſſus 1350. ſumma erit diſtantia itineraria inter data loca. Sint exempli gratia Manfredonia in Apulia, & Rhegium Julium in Calabria: quæ duæ urbes in eodem fere Meridiano ſunt: latitudo primæ eſt ſecundum Ricciolum grad. 41. 7. ſecundæ verò 38. 15. hæc ſubducta à prima dabit differentiam grad. 2. 52. hæc in milliaria redacta dabit itinerariam diſtantiam millia paſſuum 232000. Si loca ſint in alio, & alio Hemiſphærio, adde unam alteri latitudini: aggregatū in paſſuum millia ſtatim reduces. In globo nullo negotio id præſtabis: ſi circino ſumas intercapedinem inter data loca: applicatoq; Æquatori circino, diſtantiam in grad. habebis, hæc in paſſus redacta itinerariam diſtantiam exhibebit. Demonſtratio ex ſe patet.

PROBLEMA II. PROP. II.

Datis duobus locis longitudine tantum differentibus; eorum diſtantiam invenire.

Sint duo loca A, & B, quæ in eodem parallelo ſint, at in diverſo Meridiano Si loca ſint in maximo parallelorum, nimirum Æquatore, praxis nil differt à ſuperiori. Si verò in aliis mino-

ribus, ſic operare: ſubtrahe minorem longitudinem à majori. Deinde obſerva in tabula quot milliaria debeantur ſingulis gradibus dati paralleli, per hæc enim ducti grad. exhibebunt locorum diſtantiam. Sint exempli gratia Monopolis in Apulia, & Neapolis: quæ in eodem fere parallelo ſunt: Lõgitudo autem primæ eſt grad. 41. 17. ſecundæ 38. 22. juxta eundem Authorem, hæc à majori ſubducta dabit differentiã gr. 2. 55. Quoniam verò uni grad: paralleli grad. 41. quanta eſt latitudo utriuſque, debentur ex tabula ſupra poſita minuta Æquatoris 45. ſecundas vero 16. cõveniet grad. 2. 55. grad. 1. & minuta ferme 45. hæc autem in paſſus redacta dabunt diſtantiam itinerariam millia paſſuum 142000. hujus autem praxis demonſtratio ex ſe item manifeſte liquet.

PROBLEMA III. PROP. III.

Datis duobus locis latitudine, & longitudine differentibus, illorum itinerariam diſtantiam inquirere.

Sint duo loca A, & B, quorum latitudo, & longitudo diverſa ſit. Primò inquire differentiã latitudinis: inventamque in milliaria transfer: quæ in ſe ducta dabunt numerum quadratum. Secundo inquire differentiam longitudinis: hanc verò duces per milliaria, quæ debentur primi, & ſecundi paralleli utriuſque latitudinis? hæc verò duo producta ſimul adde: dimidium perducti numeri duc in ſeipſum: & habebis ſecundum quadratum, hæc duo quadrata inventa in unum adde: ex aggregato radicem educ, hæc enim erit diſtantia quæſita.

Sit

Sit in figura VI. Iconiſmi I. A Mediolanum, exempli gratia, cujus parallelus AB grad. 45. 14. juxtà Ricciolum, Meridianus AC grad. 32. 10. D *Neapolis*, cujus parallelus DC grad 41. Meridianus BD grad. 38. 22. AD diſtantia itineraria inquirenda. Primo ſubducta minori latitudine à majori, erit differentia grad. 4. 14. cui debentur milliaria 345. quæ in ſe ducta dant primum numerum quadratum 119025. Secundo differentia longitudinis eſt grad. 6. 12. quoniam in parallelo grad 45. debētur uni gradui min: Æquatoris 42.S 30. competent toti differentiæ longitudinis in prædicto parallelo milliaria 344. in parallelo verò grad. 41. milliaria 365. hæc in unum collata faciunt milliaria 709. dimidium hujus in ſe ductum dat ſecundum quadratum 111556. hæc autem duo quadrata in unum aggregata dāt 250382: ex quo numero extracta radix quadrata 480. erit diſtantia quæſita. Cujus demonſtratio patet ex 47. primi Euclidis, ex qua quadratum Hypothenuſæ æquale eſt quadratis reliquorum laterum. Longitudo enim Geographica AB inter Mediolanum, & parallelum Neapolis eſt unū latus, differentia BD latitudinis Neapolitanæ à Mediolanenſi eſt latus alterum, Hypothenuſa AD diſtantia itineraria: idē dic in ſecundo triangulo ACD. Invenimus igitur; &c. quod erat faciendum.

PROBLEMA IV. PROP. IV.

Data loci latitudine, in qua Zona, & quo Climate ſit determinare.

Quoniam latitudo Zonæ Torridæ inter utrumque Tropicum continetur, ſcilicet inter la-

titudinem Borealem grad.23.m.30.& Auſtralem grad.item 23.m.30 loca, quorũ latitudo erit minor grad.23.m.30.in Zona Torrida poſita erunt: quæ verò latitudinem habebunt grad. 23.m.30. erunt in ipſis Tropicis.Sic quoniam latitudo Goæ Borealis eſt grad. 15.m.30. erit in Zona Torrida Boreali. At quia latitudo Novæ Bataviæ eſt Auſtralis grad.6.m.30.erit in Torrida Auſtrali.Rurſus quoniam latitudo temperatæ eſt à Tropico ad Polarem circulum,nimirum à grad. 23.m.30. ad grad.66.m.30. idcircò loca quorum latitudo eſt major grad.23.m.30.minor verò grad.66. m. 30.continebuntur in temperata ſive Boreali, ſive Auſtrali.Ita quoniam lat.Neap.eſt gra.41.Borealis,erit Neapolis in Temperata Boreali. Ea verò loca,quorum lat.erit grad.66.m 30.in ipſo circulo locantur.Quorum autem major fuerit in Frigida ſtatuentur. In mappis id facili negotio ex ſe quiſque conficiet.

Ut vero, in quo Climate locus ſit, diſgnoſcas, ſic ex tabula Climatum poſita præſtabis. Sit datus locus Neapolis,cujus lat.grad.41. jam ſi tabellam conſulas,Polarem altitudinẽ in fine VI. Climatis reperies eſſe gr.41. m. 22. quapropter dices Neapolim eſſe circa finem VI. Climatis, & diẽ maximum horarum XV.Rurſus ſit Praga in Boioẽmia, & Cravovia in Polonia,quarum lati:grad.50.quibus in tabella repertis, vides reſpondere IX Clima;erunt igitur hæ Urbes in IX Climate: & dies maximus erit horarum XVI.cum quadrante: determinavimus igitur &c. quod erat faciendum.

LIBRI I. FINIS.



LIBER II.

Quæſtiones Selectæ.

CAP. I.

De Montium altitudine.

ITa parens rerum Natura Terrarum Orbem effinxit, ut mortalium vitæ eſſet accomodus; quippe qui hominibus ad inhabitandum deſtinabatur. quapropter modo in planitiem æquã extendi, modo in clivos leniter aſſurgere, modo extuberare in montes, inque valles modò humilè demitti juſſit. quæ cum ita ſeſe habeant, illud ſcitu dignum inquiri Geographis ſolet; quanta nimirum altiſſimorum montium recta ſupra Horizontem elevatio ſit. Et quoniam varii, diverſique montes ſunt, varia quoque antiquorum placita fuiſſe comperimus. Nonnulli apud Plutarchum in vita Pauli Æmilii, qui Perſem vicit, Macedoniamque Romano Imperio adjecit, opinati ſunt altiſſimos quoſque montes ultra ſtadia X, paſſus ſcilicet MCCL non aſcendere. Dicæarchus Pelion Theſſaliæ altum facit ſtadiis X. Cyllenem verò Arcadiæ idem apud Geminũ ad ſtadia XV. pro-

promovet. Cleandrus lib. I. Cyclicæ Theoriæ cap.10. nullum vult montem ſupra ſtadia XV. evehi: quemadmodum neque ultra XXX. maria deſcendere. At verò è noſtri ævi Geographis Blãcanus in loca Mathem. Ariſt. nullum ad ſeſquimilliare montis apicem attollit. Petavius, vir ſummæ eruditionis lib. VII. Uranologiæ cap. 10. vix ad VI. millia paſſuum montem ullum aſſurgere affirmat. Furnerius lib. 19. Hydrographiæ cap. 8. ſupra paſſus 7358. attolli rotundè negat. Ricciolus, & Grimaldus apud illum, aliique ad immenſam pene altitudinem montium cacumina emergere ſupra nubes, ac nubila confirmarunt.

PROBLEMA I. PROP. I.

Ex ambitu, & aſcenſu montium illorum altitudinem conjicere.

Ætna, cujus veluti appendix Sicilia, non minus flamma celebris, quam nive, quippe, ut bellè Poëta:

Scit nivibus ſervare fidem, pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

patet ambitu mill. C. ejus verò aſcenſus arduus per oppidum, cui nomen *Randazzo*, olim Trinacria dictum, ſtatuitur milli: XX, à Catana tamen lenior eſt mill. XXX. Jugum ſupremum mõtis eſt paſſuum D, at ſalebroſũ & lubricũ, ut vix duabus exhauriri horis poſſit: ambitus crateris ignivomi patet paſſibus quater M. Sit jam in figura II. Iconiſmi II. conus rectus ABC, cujus circuitus ADCE eſto mill. C, diameter AC ex Archimede mill. XXXII. ſemidiameter AI, XVI: Jam ſi aſcenſus eſſet

ſet æquus per rectã AB mill.XX. jam ex Trigonometrica regula altitudo AB colligitur mill. XII. quia tamen nõ æquus eſt,& jugum ultimum arduum nimis,erit minor mill. fermè 8. atque hinc liquet,quam Maurolycus invenit mill. 4. & quã colligit Ricciolus V, & paſſum DCVI. non eſſe nimis enormem.

S C H O L I O N.

Ricciolus vir ſolers,& induſtrius, cum obſervaſſet altitudinem Paterni montis, ex loco unde ad M. paſſus ſcanditur,ad CXX paſſus elevari ab Horizonte perpendiculariter: clivum verò quà æquum,quà iniquum una hora ſuperari,cõfecit ſequentem tabellam, ex qua minime falſis conjecturis colligi cujuſque mõtis altitudo facile poteſt,etſi non ex amuſſi Geometrica:quæ tam vario, atque inæquali montium aſcenſu exacta ad trutinam haberi non poteſt.

Aſcenſus Paſſus	*Horæ Aſcenſus*	*Altitudo perpend. in paſſus.*
1000	1	120
2000	2	240
4000	4	440
6000	6	960
10000	10	1200
20000	20	2400
30000	30	3600
40000	40	4800
50000	50	6000
60000	60	7200

Ex hac aſcenſus conjectura colligitur ex Dicæarcho Æmi verticem altum paſſus 1250.ab eo tamen

tamen loco, ex quo ſcandere viatores ordiuntur. nam ſupra maris æquilibrium altior erit fortaſſe bis M. paſſus. Præterea, quoniam trajectus Alpium eſt milliariorum LXXXVII. quorum LXXV, ſunt æquioris aſcenſus: reliqua *XII*. ardui: totus verò aſcenſus conficitur diebus V: ſi tabulam poſitam conſulamus, eruemus Alpes altas mill. XII. Hinc verò dilucidum eſt Italiæ montes altiores eſſe, quam Græciæ, Thraciæque montes ſint, quales Æmus, Rhodope, Pangæa, Olympus, Pelion, Taygeta, Oſſa, Lycæum, Parnaſſus, qui una die ſuperantur, ut ait *S*trabo lib. 4. Atlas Mauritaniæ mons, qui, ut Pomponius Mela, altius quam quod cōſpici poſſit in nubila erigitur, Cœlum, & ſydera non tangere modo vertice, ſed ſuſtinere quoque dictus eſt: & ob id Poëta:

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

quantæ ſit proceritatis ita ex Plinio conficitur. hic lib. 5. cap. 22. ita ſcribit: Svetonius Paulinus, quem conſulem vidimus, primus Romanorum tranſgreſſus Atlantem dicitur aliquot millium ſpatio, prodit quidem de excelſitate ejus, quæ cæteri, verticem etiam æſtate altis operiri nivibus, decumanis ſe eò perveniſſe caſtris, nempe diebus X. quia verò una die conſcenduntur paſſus 1250, erit tota altitudo paſſuum 12500: at quoniam lento admodum gradu milites cum ſarcinis progrediuntur; idcircò reduci ad mill. X. altitudo poteſt.

Riphæi, qui ab indigenis ob nimiam altitudinem *Stolps*, nimirum columnæ Cæli appellantur, ne XVII. quidē diebus ſuperari potuere à nobili viro Simeone Teodoronuit, quem Baſilius Moſcoviæ Dux ad explorandam altitudinem, trajectumque in Scythiam miſerat, ut author eſt Sygiſmundus Herbeſtenius, cenſendi ex calculo altiores mill. XXVIII.

PRO-

PROBLEMA II PROP. II.

Data terræ diametro, & arcu diſtantiæ, ex qua in mari, vel in litore incipit apparere ſummus montis apex, illius altitudinem invenire.

E Centro Terræ A (*Iconiſmi II. Fig. III.*) intelligatur deſcriptus quadrans BC: ipſius autem Terræ ſemidiameter eſto AB, cui in directum inſiſtat montis elevatio BD: montis verò apex D incipiat videri ex puncto E in ſuperficie terræ, mariſve: diſtantia maximi arcus ſit BE, quæ ſit nota in gradibus, vel milliariis: ducatur tangens DE: hæc ex 18. Tertii Elementorum faciet cum AE ducta à centro ad contactum angulum rectum AED. jam in triangulo AED rectangulo ad E datur latus AE Terræ ſemidiameter, quare ſi fiat, ut ſinus totus ad ſemidiametrum AE, ita ſecans arcus BE, anguli ſcilicet BAE, (qui etiam ſupponitur notus) ad quartum, prodibit AD: ex hac verò ſubducta ſemidiametro AB, reliquum erit altitudo BD montis quæſita, quod facere oportebat.

SCHOLION.

Ut propoſiti quæſiti praxis clarius innoteſcat, addam hic nonnulla exempla; quæ rem expeditam, ac dilucidam magis facient. Inter Canarias inſulas, quę olim Fortunatæ, celeberrima eſt, quæ vulgò *Teneriffa* (mihi eſt Junonis inſula) appellatur: hac in inſula celſiſſimus mons ſurgit, Picus dictus, cujus apex adamantis inſtar acuminatus perpetuis flammis coruſcat, ut author eſt Aloyſius Calamuſtus apud Ramuſium volum. 1. pag. 98. de hoc monte à nobis VIII. Naut.

Hic

Hic tam præcelſus montis vertex à Matera navigantibus, inſtar marmorii templi eminus viſi ſupra Horizontem conſpicitur: quia verò, utraque inſula in eodem fere Meridiano, maximo nimirum circulo, eſt: atque Materæ polaris altitudo juxta Dudlæum lib. 2. arcanorum maris, eſt grad. XXXII. ſcrup. XXX. *Teneriffa* grad. XXVIII. ſcrup. XXX. quare differentia grad. IV. eſt diſtantia inter utrumque locum : quibus reſpondent mill. 324. juxtà noſtram ſententiam: quoniam verò ſecans grad. 4. ex tabula Sinuum, eſt partium 100244. ſi ducantur per paſſus 4673000, quot ſunt in ſemid. terræ, productum erit partium 468440212000. ex hoc numero deducto Sinu toto, remanet tota AD paſſum 4684402: ex hac vero deducta iterum ſemid remanet altitudo Pici paſſuum 11402. mill. XI, relictis fractionibus, & parte viſa pro refractione. Sit jam alterũ exemplum de Caucaſo, de quo ſic habet Ariſtoteles lib. 1. Meteor. tex 63. ex codice emendato apud Athanaſium Kircherium lib. 9 artis magnæ: Caucaſus verò mons eſt eorum, qui ad æſtivum Solis ortum vergunt, multitudine æque, atque altitudine maximus. altitudinis autem argumentum eſt, quod videtur ab eo loco, quem Profunda Pōti vocant, & à navigantibus in paludem Mœotidem. præthereà ſummitates ejus ad tertiam uſque partem noctis ab Aurora manè, & Veſpere radiis Solis illuſtrantur Hæc Ponti Profunda partes ſũt Euxini maris propè Boſphorum Cymmerium: ſic appellata, quod fundo carere videantur. ad hæc igitur loca præternavigantes, contra quæ campi extenti ſunt, Caucaſi verticem aſpectant. At quoniam juxtà Ptolemæum tam Ponti Profunda, quã Caucaſus in eodem ſunt parallelo, & diſtant gr. 12. gradibus autem 12 parallel, qui ab Æquatore di-

diſtat part. 47, quanta eſt utriuſque loci vel cæ-titudo, reſpondent grad. Æquatoris 9. ſcrup. 37, erit *illius* ſecans 101400. quæ ducta per ſemidiametrum Terræ paſſuum 4673000, erit productum 473862200000. ex quo detracto ſinu toto, & ex reſiduo Terræ ſemid. reliquum dabit altitudinem Caucaſi paſſuum 65622. mill. ſcilicet LXV. demptis fractionibus.

Hic verò non prætercam Philoſophum minimè locutum de tertia noctis parte, ut ſcilicet, uſque ad id temporis à Sole illuminetur, ut quamplurſculi dixere, autumantes Ariſtotelem fabulã è vulgi opinione retuliſſe: at de tertia montis parte, ut textus germanus ſit: Inſuper illuminantur à Sole noctu ipſius ſummitates, uſque ad tertiam partem, & ab Aurora; & iterum à Veſpere: habet enim Græcus codex, juxtà probatiſſimos Auctores.

ἐπι δε ἡλιȣ̃ται τῆς νυκτὸς ἀὐτȣ̃ τὰ ἄκρα μὲχρι τȣ̃ τριτȣ μέρȣ ἀπότε τῆς ἕω, και πάλιν ἀπό τῆς ἑσπέρας. Ità enim congruum eſt ad ea quæ oſtenſa ſunt. Haud enim putarim virum adeo ſolertem, naturæque myſten acutiſſimum fabulas ſecutum. cum enim de Riphæis loquens primo Meteor. textu 63. dixiſſet: ſub ipſa autem Arcto ſupra ultimam Scythiam, quæ vocantur Riphæ, de quarum magnitudine ſermones, qui jactantur valde ſunt fabuloſi: ità profecto & de Caucaſo dixiſſet, ſi fabulam exiſtimaſſet.

THEO-

ribus, ſic operare: ſubtrahe minorem longitudinem à majori. Deinde obſerva in tabula quot milliaria debeantur ſingulis gradibus dati parallelli, per hæc enim ducti grad. exhibebunt locorum diſtantiam. Sint exempli gratia Monopolis in Apulia, & Neapolis: quæ in eodem fere parallelo ſunt: Lõgitudo autem primæ eſt grad. 41. 17. ſecundæ 38. 22. juxta eundem Authorem, hæc à majori ſubducta dabit differentiã gr. 2. 55. Quoniam verò uni grad: paralleli grad. 41. quanta eſt latitudo utriuſque, debentur ex tabula ſupra poſita minuta Æquatoris 45. ſecundas vero 16. cõveniet grad. 2. 55. grad. 1. & minuta ferme 45. hæc autem in paſſus redacta dabunt diſtantiam itinerariam millia paſſuum 142000. hujus autem praxis demonſtratio ex ſe item manifeſte liquet.

PROBLEMA III. PROP. III.

Datis duobus locis latitudine, & longitudine differentibus, illorum itinerariam diſtantiam inquirere.

SInt duo loca A, & B, quorum latitudo, & longitudo diverſa ſit. Primò inquire differentiã latitudinis: inventamque in milliaria transfer: quæ in ſe ducta dabunt numerum quadratum. Secundo inquire differentiam longitudinis: hanc verò duces per milliaria, quæ debentur primi, & ſecundi paralleli utriuſque latitudinis? hæc verò duo producta ſimul adde: dimidium perducti numeri duc in ſeipſum: & habebis ſecundum quadratum, hæc duo quadrata inventa in unum adde: ex aggregato radicem educ, hæc enim erit diſtantia quæſita.

Sit

*S*it in figura VI. Iconiſmi I. A Mediolanum, exempligratia, cujus parallelus AB grad. 45. 14. juxtà Ricciolum, Meridianus AC grad. 32. 10. D Neapolis, cujus parallelus DC grad 41. Meridianus BD grad. 38. 22. AD diſtantia itineraria inquirenda. Primo ſubducta minori latitudine à majori, erit differentia grad. 4. 14. cui debentur milliaria 345. quæ in ſe ducta dant primum numerum quadratum 119025. *S*ecundò differentia longitudinis eſt grad. 6. 12. quoniam in parallelo grad 45. debetur uni gradui min: Æquatoris 42. S 30. competent toti differentiæ longitudinis in prædicto parallelo milliaria 344. in parallelo verò grad. 41. milliaria 365. hæc in unum collata faciunt milliaria 709. dimidium hujus in ſe ductum dat ſecundum quadratum 111556. hæc autem duo quadrata in unum aggregata dãt 250382: ex quo numero extracta radix quadrata 480. erit diſtantia quæſita. Cujus demoſtratio patet ex 47. primi Euclidis, ex qua quadratum Hypothenuſæ æquale eſt quadratis reliquorum laterum. Longitudo enim Geographica AB inter Mediolanum, & parallelum Neapolis eſt unũ latus, differentia BD latitudinis Neapolitanæ à Mediolanenſi eſt latus alterum, Hypothenuſa AD diſtantia itineraria: idẽ dic in ſecundo triangulo ACD. Invenimus igitur; &c. quod erat faciendum.

PROBLEMA IV. PROP. IV.

Data loci latitudine, in qua Zona, & quo Climate ſit determinare.

QUoniam latitudo Zonæ Torridæ inter utrumque Tropicum continetur, ſcilicet inter la-

titudinem Borealem grad.23.m.30.& Auſtralem grad.item 23 m.30 loca, quorũ latitudo erit minor grad.23.m.30.in Zona Torrida poſita erunt: quæ verò latitudinem habebunt grad.23.m.30. erunt in ipſis Tropicis. Sic quoniam latitudo Goæ Borealis eſt grad.15.m.30. erit in Zona Torrida Boreali. At quia latitudo Novæ Bataviæ eſt Auſtralis grad.6.m.30.erit in Torrida Auſtrali. Rurſus quoniam latitudo temperatæ eſt à Tropico ad Polarem circulum,nimirum à grad.23.m.30. ad grad.66.m.30. idcircò loca quorum latitudo eſt major grad.23.m.30.minor verò grad.66.m.30.continebuntur in temperata ſive Boreali, ſive Auſtrali. Ita quoniam lat.Neap.eſt gra.41.Borealis,erit Neapolis in Temperata Boreali. Ea verò loca,quorum lat.erit grad.66.m 30.in ipſo circulo locantur. Quorum autem major fuerit in Frigida ſtatuentur. In mappis id facili negotio ex ſe quiſque conficiet.

Ut vero, in quo Climate locus ſit, diſgnoſcas, ſic ex tabula Climatum poſita præſtabis. Sit datus locus Neapolis,cujus lat.grad.41. jam ſi tabellam conſulas,Polarem altitudinẽ in fine VI. Climatis reperies eſſe gr.41. m. 22. quapropter dices Neapolim eſſe circa finem VI. Climatis, & diẽ maximum horarum XV. Rurſus ſit Praga in Boioẽmia, & Cravovia in Polonia,quarum lati:grad.50.quibus in tabella repertis, vides reſpondere IX Climа; erunt igitur hæ Urbes in IX Climate: & dies maximus erit horarum XVI.cum quadrante: determinavimus igitur &c. quod erat faciendum.

LIBRI I. FINIS.


g: 36
Fig.V

LIBER II.

Quæſtiones Selectæ.

CAP. I.

De Montium altitudine.

ITa parens rerum Natura Terrarum Orbem effinxit,ut mortalium vitæ eſſet accomodus; quippe qui hominibus ad inhabitandum deſtinabatur. quapropter modo in planitiem æquã extendi,modo in clivos leniter aſſurgere, modo extuberare in montes, inque valles modo humilẽ demitti juſſit.quæ cum ita ſeſe habeant, illud ſcitu dignum inquiri Geographis ſolet; quanta nimirum altiſſimorum montium recta ſupra Horizontem elevatio ſit.Et quoniam varii, diverſique montes ſunt,varia quoque antiquorum placita fuiſſe comperimus. Nonnulli apud Plutarchum in vita Pauli Æmilii,qui Perſem vicit,Macedoniamque Romano Imperio adjecit, opinati ſunt altiſſimos quoſque montes ultra ſtadia X, paſſus ſcilicet MCCL non aſcendere.Dicæarchus Pelion Theſſaliæ altum facit ſtadiis X.Cyllenem verò Arcadiæ idem apud Geminũ ad ſtadia XV.

pro-

promovet. Cleandrus lib. 1. Cyclicæ Theoriæ cap. 10. nullum vult montem ſupra ſtadia XV. evehi: quemadmodum neque ultra XXX. maria deſcendere. At verò è noſtri ævi Geographis Blácanus in loca Mathem. Ariſt. nullum ad ſeſquimilliare montis apicem attollit. Petavius, vir ſummæ eruditionis lib. VII. Uranologiæ cap. 10. vix ad VI. millia paſſuum montem ullum aſſurgere affirmat. Furnerius lib. 19. Hydrographiæ cap. 8. ſupra paſſus 7358. attolli rotundè negat. Ricciolus, & Grimaldus apud illum, aliique ad immenſam pene altitudinem montium cacumina emergere ſupra nubes, ac nubila confirmarunt.

PROBLEMA I. PROP. I.

Ex ambitu, & aſcenſu montium illorum altitudinem conjicere.

ÆTna, cujus veluti appendix Sicilia, non minus flamma celebris, quam nive, quippe, ut bellè Poëta:

Scit nivibus ſervare fidem, pariterque favillis
Dureſcit glacies tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu, fumoque fideli
Lambit contiguas innoxia flamma pruinas.

patet ambitu mill. C. ejus verò aſcenſus arduus per oppidum, cui nomen *Randazzo*, olim Trinacria dictum, ſtatuitur milli: XX. à Catana tamen lenior eſt mill. XXX. Jugum ſupremum mõtis eſt paſſuum D, at ſalebroſũ & lubricũ, ut vix duabus exhauriri horis poſſit: ambitus crateris ignivomi patet paſſibus quater M. Sit jam in figura II. Iconiſmi II. conus rectus ABC, cujus circuitus ADCE eſto mill. C, diameter AC ex Archimede mill. XXXII. ſemidiameter AI, XVI: Jam ſi aſcenſus eſſet

ſet æquus per rectâ AB mill.XX. jam ex Trigonometrica regula altitudo AB colligitur mill. XII. quia tamen nõ æquus eſt,& jugum ultimum arduum nimis,erit minor mill. fermè 8. atque hinc liquet,quam Maurolycus invenit mill. 4. & quã colligit Ricciolus V, & paſſum DCVI. non eſſe nimis enormem.

SCHOLION.

Ricciolus vir ſolers,& induſtrius, cum obſervaſſet altitudinem Paterni montis, ex loco unde ad M. paſſus ſcanditur,ad CXX paſſus elevari ab Horizonte perpendiculariter: clivum verò quà æquum,quà iniquum una hora ſuperati,cõfecit ſequentem tabellam, ex qua minime falſis conjecturis colligi cujuſque mõtis altitudo facile poteſt,etſi non ex amuſſi Geometrica:quæ tam vario, atque inæquali montium aſcenſu exacta ad trutinam haberi non poteſt.

Aſcenſus Paſſus.	*Hora Aſcenſus*	*Altitudo perpend. in paſſus.*
1000	1	120
2000	2	240
4000	4	440
6000	6	960
10000	10	1200
20000	20	2400
30000	30	3600
40000	40	4800
50000	50	6000
60000	60	7200

Ex hac aſcenſus conjectura colligitur ex Dicæarcho Æmi verticem altum paſſus 1250.ab eo tamen

tamen loco, ex quo ſcandere viatores ordiuntur. nam ſupra maris æquilibrium altior erit fortaſſe bis M. paſſus. Præterea, quoniam trajectus Alpium eſt milliariorum LXXXVII. quorum LXXV, ſunt æquioris aſcenſus: reliqua XII. ardui: totus verò aſcenſus conficitur diebus V: ſi tabulam poſitam conſulamus, eruemus Alpes altas mill. XII. Hinc verò dilucidum eſt Italiæ montes altiores eſſe, quam Græciæ, Thraciæque montes ſint, quales Æmus, Rhodope, Pangæa, Olympus, Pelion, Taygeta, Oſſa, Lycæum, Parnaſſus, qui una die ſuperantur, ut ait Strabo lib. 4. Atlas Mauritaniæ mons, qui, ut Pomponius Mela, altius quam quod cōſpici poſſit in nubila erigitur, Cœlum, & ſydera non tangere modo vertice, ſed ſuſtinere quoque dictus eſt: & ob id Poëta:

Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

quantæ ſit proceritatis ita ex Plinio conficitur. hic lib. 5. cap. 22. ita ſcribit: Svetonius Paulinus, quem conſulem vidimus, primus Romanorum tranſgreſſus Atlantem dicitur aliquot millium ſpatio, prodit quidem de excelſitate ejus, quæ cæteri, verticem etiam æſtate altis operiri nivibus, decumanis ſe eò perveniſſe caſtris, nempe diebus X. quia verò una die conſcenduntur paſſus 1250, erit tota altitudo paſſuum 12500: at quoniam lento admodum gradu milites cum ſarcinis progrediuntur; idcircò reduci ad mill. X. altitudo poteſt.

Riphæi, qui ab indigenis ob nimiam altitudinem *Stolps*, nimirum columnæ Cæli appellantur, ne XVII. quidē diebus ſuperari potuere à nobili viro Simeone Teodoronuit, quem Baſilius Moſcoviæ Dux ad explorandam altitudinem, trajectumque in Scythiam miſerat, ut author eſt Sygiſmundus Herbeſtenius, cenſendi ex calculo altiores mill. XXVIII.

PRO-

PROBLEMA II PROP. II.

Data terræ diametro, & arcu diſtantiæ, ex qua in mari, vel in litore incipit apparere ſummus montis apex, illius altitudinem invenire.

E Centro Terræ A (*Iconiſmi II. Fig. III.*) intelligatur deſcriptus quadrans BC: ipſius autem Terræ ſemidiameter eſto AB, cui in directum inſiſtat montis elevatio BD: montis verò apex D incipiat videri ex puncto E in ſuperficie terræ, mariſve: diſtantia maximi arcus ſit BE, quæ ſit nota in gradibus, vel milliariis: ducatur tangens DE: hæc ex 18. Tertii Elementorum faciet cum AE ducta à centro ad contactum angulum rectum AED. jam in triangulo AED rectangulo ad E datur latus AE Terræ ſemidiameter, quare ſi fiat, ut ſinus totus ad ſemidiametrum AE, ita ſecans arcus BE, anguli ſcilicet BAE, (qui etiam ſupponitur notus) ad quartum, prodibit AD: ex hac verò ſubducta ſemidiametro AB, reliquum erit altitudo BD montis quæſita, quod facere oportebat.

SCHOLION.

Ut propoſiti quæſiti praxis clarius innoteſcat, addam hic nonnulla exempla; quæ rem expeditam, ac dilucidam magis facient. Inter Canarias inſulas, quę olim Fortunatæ, celeberrima eſt, quæ vulgò *Teneriffa* (mihi eſt Junonis inſula) appellatur: hac in inſula celſiſſimus mons ſurgit, Picus dictus, cujus apex adamantis inſtar acuminatus perpetuis flammis coruſcat, ut author eſt Aloyſius Calamuſtus apud Ramuſium volum. 1. pag. 98. de hoc monte à nobis VIII. Naut.

Hic

Hic tam præcelſus montis vertex à Matera navigantibus, inſtar marmorii templi eminus viſi ſupra Horizontem conſpicitur: quia verò, utraque inſula in eodem fere Meridiano, maximo nimirum circulo, eſt: atque Materæ polaris altitudo juxta Dudlæum lib. 2. arcanorum maris, eſt grad. XXXII. ſcrup. XXX. *Teneriffæ* grad. XXVIII. ſcrup. XXX. quare differentia grad. IV. eſt diſtantia inter utrumque locum : quibus reſpondent mill. 324. juxtà noſtram ſententiam: quoniam verò ſecans grad. 4. ex tabula Sinuum, eſt partium 100244. ſi ducantur per paſſus 4673000, quot ſunt in ſemid. terræ, productum erit partium 468440212000. ex hoc numero deducto Sinu toto, remanet tota AD paſſuum 4684402: ex hac vero deducta iterum ſemid remanet altitudo Pici paſſuum 11402. mill. XI, relictis fractionibus, & parte viſa pro refractione. Sit jam alterũ exemplum de Caucaſo, de quo ſic habet Ariſtoteles lib. 1. Meteor. tex 63. ex codice emendato apud Athanaſium Kircherium lib. 9 artis magnæ: Caucaſus verò mons eſt eorum, qui ad æſtivum Solis ortum vergunt, multitudine æque, atque altitudine maximus. altitudinis autem argumentum eſt, quod videtur ab eo loco, quem Profunda Pōti vocant, & à navigantibus in paludem Mœotidem. prætereà ſummitates ejus ad tertiam uſque partem noctis ab Aurora manè, & Veſpere radiis Solis illuſtrantur. Hæc Ponti Profunda partes sũt Euxini maris propè Boſphorum Cymmerium: ſic appellata, quod fundo carere videantur. ad hæc igitur loca præternavigantes, contra quæ campi extenti ſunt, Caucaſi verticem aſpectant. At quoniam juxtà Ptolemæum tam Ponti Profunda, quã Caucaſus in eodem ſunt parallelo, & diſtant gr. 12. gradibus autem 12 paralleli, qui ab Æquatore di-

diſtat part. 47, quanta eſt utriuſque lo[illegible]poli altitudo, reſpondent grad. Æquatoris 9. [illegible] 2. erit illius ſecans 101400. quæ ducta per ſemi[illegible]metrum Terræ paſſuum 4673000, erit productum 473862200000. ex quo detracto ſinu toto, & ex reſiduo Terræ ſemid. reliquum dabit altitudinem Caucaſi paſſuum 65622. mill. ſcilicet LXV. demptis fractionibus.

Hic verò non prætercam Philoſophum minimè locutum de tertia noctis parte, ut ſcilicet, uſque ad id temporis à Sole illuminetur, ut quamplurculi dixere, autumantes Ariſtotelem fabulā è vulgi opinione retuliſſe: at de tertia montis parte, ut textus germanus ſit: Inſuper illuminantur à Sole noctu ipſius ſummitates, uſque ad tertiam partem, & ab Aurora, & iterum à Veſpere: habet enim Græcus codex, juxtà probatiſſimos Auctores.

ἐπι δε ἡλιȣ̃ται τῆς νυκτὸς αὐτȣ̃ τὰ ἄκρα μέχρι τȣ̃ τρίτȣ μέρȣς ἀπό τε τῆς ἕω, και πάλιν ἀπό τῆς ἑσπέρας. Ità enim congruum eſt ad ea quæ oſtenſa ſunt. Haud enim putarim virum adeo ſolertem, naturæque myſten acutiſſimum fabulas ſecutum. cum enim de Riphæis loquens primo Meteor. textu 63. dixiſſet: ſub ipſa autem Arcto ſupra ultimam Scythiam, quæ vocantur Riphæ, de quarum magnitudine ſermones, qui jactantur valde ſunt fabuloſi: ità profecto & de Caucaſo dixiſſet, ſi fabulam exiſtimaſſet.

THEO-

THEOREMA I. PROP. III.

Montes adeò proceri ſunt,ut ad multà paſſuum millia verticem attollant.

DEmonſtratur:Ex hactenus oſtenſis liquet Picū Teneriffæ ultrà decimum millarium aſſurgere, Caucaſum ſupra L. ergò montes adeo proceri ſunt,ut ad multa mill.attollantur Præterea Caſius mons Antiochiæ proximus, cujus è vertice,ut refert Solinus, vigilia adhuc quarta conſpicitur Solis globus: quod & Pomponius Mela, & Plinius affirmant, cum igitur poli elevatio in Caſio monte ſit grad.38. & nox breviſſima æſtate hor.9.ſcrup.22. erit quarta pars hor. 2.ſcrup.20. ut autem videatur Sol prædicta hora requiritur ex demonſtratis à Ricciolo altitudo 50.mill.tantæ ergo elevationis Caſius erit.Item Beraguæ,ſeù Pariæ montes L milliariis alti ex Columbo emergunt,eſto alii ad XVIII tantum attollant. Atlas procerus XII. Riphæi XXXVI. Norvagiæ montes ex Olao XIII. conſtat ergo altiſſimos montes eſſe,& ſupra nubes,& nubila elevari, quod erat demonſtrandum.

SCHOLION.

SCio equidem compluſculos eſſe, quibus hæc paradoxa videantur:eos præcipue, qui in Hiſtorijs minime verſati, Mathematicaſque diſciplinas vix primis labris deguſtarunt;idcircò,quæ negotii quid faceſſere poſſunt, accurate penſitabo.Et primò quidem,ſi montes tam alti, vaſtique forent, ut turritis verticibus ultrà L lapidem inſurgerent;jam quis ibit inficias tam magnas proce-

ceritates viſendas in ipſius Terræ umbra, vel cæcis eſſe? quare minimè rotundam, ſed ſcabram, atque protuberantem in Lunari defectu Telluris umbram cerneremus, quam tamen globoſam nullis tuberibus prominentem, nullis ſciſſam laciniis; vel Teleſcopio inſpicimus: quapropter nullæ erunt tam præcelſæ montium altitudines. Verùm eſto, altiſſimi montes ſint, non idcircò cum tota Terrarum mole collati, ſenſibilis alicujus magnitudinis invenientur; quare neque illorum umbra ſub ſenſum cadet: certè in pila eburnea, quantumvis lævi, aliquæ ſunt exuberantiæ, quas minimè è longinquo diſcernimus, cũ tamen maiorẽ cum globo habebunt eburneo rationẽ, quam tota cum Terra montes ſui. Prætereà ut Galilæus oſtendit altiſſimi in Luna mõtes ſunt mill. IV. & ut Ricciolus confirmat, VIII. qui cum minori Lunæ mole, majoris rationis ſunt, & tamen quis hoſce in Luna montes lynceus vidit?

Secundò, cùm D. Damaſcenus 2. de fide orthodoxa, aliiq. PP. affirment montes à Deo factos à Terra effoſſa, cum Oceano continendo alveum fabricaret, rationi magis conſentiret, ſi tantum aſſurgere montes dicamus, quantum maria deſcendunt: Hæc ad IV. milliar. eunt in Barathrum, ut vult Leo Albertus lib. 4. Archit. immo ſi Dudlæo, Blancano, aliiſque fides habenda ſit, vix 2. mill. profunda ſunt maria: tantundem igitur aſcendere in altum montes verò ſimile magis eſt. Verum enim verò, concedam licet è terra effoſſa compactos (quod ipſum multis non placet) quid tamen vetat fieri potuiſſe, ut altiores ex aggeſta Terra, e tam vaſtis Terræ cavernis educta, èque tam ingenti Oceani alveo? Inſuper, etſi ad IV. mill. ſubſidere Oceani fundum Nautæ deprehen-

de-

derint, pro certo nihilominus eſt, quamplurima loca reperiri, in quibus immenſæ patent aquarum voragines, ut jure Majolus colloquio X. dierum canicularium, alicubi mare inperſcrutabile dixerit. talis eſt ea Euxini pars, quæ ob id Profunda Ponti appellatur: talis item Oceanus, juxta Taprobanem, ut refert Plin. lib. 6. cap. 22. & Solinus cap. 54. & Fromondus lib. 1. Meteor. cap. 5. Indicum Oceanum, & Pacificum mare miræ profunditatis eſſe à Batavis deprehenſum, atteſtatur. Immò ipſa Sapientia, quæ Cœlum diſtendit, terram fundavit, mariaque terminis circumſcripſit, ita primo Eccleſiaſtici: altitudinem Cœli, & latitudinem Terræ, & profundum abyſſi quis dimenſus eſt?

Tertiò, diluvii aquæ, ut ſacer textus habet, ſupra omnes, maximoſque montes aſcenderunt, ità ut Noëmi arca mõtibus altior enataret: quæ mox ſubſidentibus paulatim aquis ſuper Armeniæ montes quievit: quos montes indigenæ Ataraz vocant, & Caucaſi, Taurique pars ſunt; jam verò, ſi ad L uſque mill. aquarum illuvies aſſurrexiſſet, quam ingens, quam immanis fuiſſet? Quinimmò, aquæ illæ è nubibus effuſæ, cum ſacer codex habeat: Et cataractæ Cęli apertæ ſunt: quapropter altiſſimos quoſque montes infra nubes eſſe cenſendum eſt: at nubes ultra ſtadia XL, ut Poſidonius cenſuit, apud Plin. lib. 2. c. 23. nõ elevantur: neque igitur montes ultra XL ſtadia aſſurgunt. Prætereà cum Olympus nubes exuperet, ut ait non unus Lucanus lib. 2.

Nubes excedit Olympus

Sed Claudianus id ipſum eleganter affirmat:

Ut altus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos, nubeſque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum.

Cel-

Celſior exurgit pluviis, auditque ruentes
Subpedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Idq; etiam aſtipulatur Solinus, Afrodiſeus, & D.Auguſtinus, qui tradunt in ara Jovis ſummo in Olympi vertice extructa, voluente anno repertos caracteres ſacrificiorum intactos à ventis cum iiſdem notis, quas quidam olim iis ad experimentum impreſſerant. Imo, ait Auguſtinus, nec aves ibi repertas, nec homines durare potuiſſe niſi ſpongiis humentibus ad nares applicatis ob illius aëris tenuitatem: quin etiam Philoponus teſtatur ſe virum noviſſe, qui Olympum ſcandens; infra ſe nubes, & fulgura vidiſſet, cum autem Olympus vix X ſtadiis ex dimenſione Zenocratis altus ſit, nullæ nubes ultra X ſtadia à Terra recedent, aut ſaltem XV, quanta ex Gemino Cyllenes altitudo ponitur, quæ quidem Mercurii ara celebris ſupra nubes ſeſe invehit. cum ergo Sacer ſcriptor montes omnes imbribus deſuper effuſis apertos, obrutoſque affirmet, non erunt nubes altiores ſtadiis X. aut XV mill. ſcilicet ad ſummum II. quod & Ariſtoteles fatetur, cum ſcribit primo Meteor. tex 15, nec tranſcendunt venti altiſſimos montes, quod ſi ità, nec nubes ultra volitare conſueſſe, neceſſum eſt; cum graviores ventis exiſtant. Principio, quì redarguetur, ſi quiſpiam dixerit nubes ultra ſtadia 40. attolli? cum locum illum Poſidonii aliter Nonius, & Thyco ex vetuſtiſſimis exemplaribus legant CCCC nimirum ſtadiorum, mill. ſcilicet L. Neque diſſentit Plinius inquiens: plures item nubes DCCCC. ſtadiis in altitudinem ſubire prodidere. ſtatimque ſapienter addit: Incomperta hæc, & ineſtricabilia, ita profecto, & varia res eſt. Fromondus primo Meteor. ad IV. mill. Billyus V. Ricciolus fermè III, ire nubes ſe dimenſos faten-

tentur. Verum quia varia locorum natura eſt, certa regula quì fiet?nonnulli enim ſunt montes, in quibus progigni nubes nequeunt; alii lacunis ſcatent, ut Ceniſtus, Supremus Penninus veteribus appellatus:in his nubes, imbreſque denſis e vaporibus procreari nemo unus inficiabitur. Præterea Olympum, cæteroſque montes nubes tranſcendere, eodē adibito argumento adducti complusculi pernegarunt, fabulas Poëtarum, Græcorumque relata arbitrantes. Imo Maiolus colloquio XVI. refert Philelphum quendam Olympum conſcendiſſe, nubeſque non infrà, ſed ſupra ſe vidiſſe. quamquam hoc Reſta lib.2. Meteor.altitudini Olympicæ tot alluvionibus diminutæ neſcio an jure?attribuit. At verò inficias ibit nemo nonnullos eſſe montes, qui vel ſemper, vel interdum ſint immunes à nubibus, quod de Atlante etiam Solinus affirmat: quamquam ejus verticem incanum nivibus Plin. dicat, recinatque Virg.

Cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulſatur, & imbri.

Tandem Caietanus in cap.7. Geneſeos, docet non omnes montes aquis obrutos fuiſſe: cenſetque Sacrum Scriptorem locutum de montibus, qui ſub aërio Cœlo exiſtunt, ubi nubes coguntur, imbreſque cadunt: non verò de his, qui ſupra exurgunt quales Olympus, Caucaſus, Cyllene, & mons ille, in quo juxta Paradiſum Enochus aſſervatur, neque profectò inſolens Sacro Scriptori, aërem Cœlum identidem appellare, ut ſexcentis in locis manifeſtum eſt. Verùm Ricciolus minimè Caietano manus dat: ſed ex D. Auguſtini authoritate contendit, Divinum Codicem literali ſenſu exponendum, niſi cum palmaris, ſolidaque veritas, ne fiat, certò prohibet. Quamquam enim Olym-

Olympi,aliorumque montium ea ſit conditio, ut perpetuò à ventis, pluviiſque immunes ſint: potuiſſet nihilominus ab imbribus illuc aliò tranſlatis obrui,obtegiq; & eò facilius,quia Diluvium non ex unis imbribus, ſed ex abyſſo erumpentibus aquis conflatum eſt. quin & ſuppeditari nubibus novi vapores potuiſſet,novaque materies, attollique altius, ut excreſcentibus aquis,altiſſimorum vertices montium operirentur. Non enim ſcitè, appoſitèque Fromondus lib.2. cap.6. Diluvii cauſſam è communi Meteor. lege confingit:immò Auguſtinus lib.15 De Civit.Dei,egregiè,ut ſolet,ad rem noſtram: De montium altitudine, quam omnem ſcriptum eſt tranſcendiſſe aquam cubitis XV, quidam non rectè dubitant propter Olympi montis hiſtoriam: ſi enim Terra invadere potuiſſet ſpatium tranquilli illius aëris,ubi dicitur nec nubes videri,nec ſonus ſentiri,cur non aqua creſcendo? Si igitur ab Opifice Maximo attolli tellus potuit,ut nubes ſuperaret, potuiſſet profectò aqua elevari, ut eundem aërem obrueret. At inſana profectò, & inſolens ea aquarum moles.eſto: verum ad puniendam inſanam hominum ſuperbiam, & ſupra omnem fidem inſolentia ſcelera, nonne debita, atque opportuna? Quæ quidem vaſta aquarum moles in aërem,ex quo conflata,ſuum iterum reſoluta,exinanitaque eſt.

C A P. I I.

An montes magis accomodi ad mortalium uſum, an verò Planities ſit.

TErram,parentem nimirum omnium,atque altricem,ex qua educti,quam colimus, vel itineri-

neribus perambulamus; vel jactis ſeminibus herbulis veſtimus, ac frondibus, vel poſitis fundamentis ædificiis habitamus; ſi ad pabulandum ſpectes, nemo unus erit, qui inficias iverit commodiorem eſſe planitiem, quam montes. quapropter magis campeſtria, quam montoſa laudantur: in campeſtribus enim expeditiſſimi curſus non hominibus modo, ſed brutis ipſis, quorum adminiculo plurimum vita juvatur: expedite commercia jungimus, literiſque mutuo datis, acceptiſque animorum arcana clam aperimus; merces diſtrahimus, ſancimus fœdera, leges accipimus, & damus: cæteraque vitæ commoda exercemus; ut non immeritò campeſtria magis placeant. At verò per montes, inacceſſoſque vertices difficillimi aditus, implexæque viæ, ut ne iniri poſſint commercia, ſeque mutuo gentes colere, poſiti videantur. Et ſanè provida parens Natura diverſas genio nationes, moribus, lingua, perpetuis montium jugis diſterminavit. Sic ab Hiſpanis Gallos, interpoſita Pyrene, inacceſſo montium vallo ſe movit. A Gallis verò, & Germanis immenſo Alpium tractu, tutiſſimo veluti muro Italiam ſeiunxit. Quibus noſtra diſcordia, atque in Orientem translata Imperii maieſtas aditum aperivit: ut Bellicorum I.

Barbaricis dedit illa viam tot gentibus: illa
In mea damna iugis Alpes dimovit apertis.
Heu mihi! tunc magni decor omnis, & alta poteſtas
Occidit Imperii, ſedes cum fixa ſub Ortu eſt.
Quis tantus furor, & quæ tanta inſana cupido
Mollibus Auroræ populis mea credere ſceptra?

Fatendum tamen eſt tutiores montes eſſe, in quos haud facilis hoſtibus aditus patet: ut ob id veteres arces, atque urbes jugis impoſuerint: an verò ad reliqua plantationem ſcilicet, & ædificationem commodior, penſitandum in præſentia eſt.

THEO-

THEOREMA II. PROP. IV.

Arbores, ac plantæ rectà aſſurgunt non ſuper pavimentum montis declivis, ſed ſupra Horizontem.

Sit in ſchemate appoſito (*Iconiſ. II. Fig. IV.*) mons declivis ABC, cujus Horizon ſit DE: ex puncto B erigatur perpendicularis BG ad pavimentum montis ABC: præterea ex eodem puncto B agatur HBF perpendicularis ad Horizontem: quæ erit linea directionis, in qua ſolum gravia conſiſtere poſſunt: jam dico arborem aſcenſuram per lineam BH rectam ad Horizontem DE, non verò per BG, ut ſit recta ad planum montis ABC.

Demoſtratur: Gravia non poſſunt recta conſiſtere, niſi in linea directionis, cum igitur arbores gravia ſint, non poterunt extra hanc lineam inſiſtere. quoniam verò linea directionis gravium eſt HBF, non verò BG, fiet ut arbores rectà ad Horizontem aſcendent per BH, non BG, reſpectu ad Horizontem, non ad planum montis habito. Præterea cum ſuapte natura, ut ſtabiliores ſint, radicibus inniti petant, directiores eſſe oportebit. Accedit quod cum arbores maximè calore Solis, apertoque aëre vegetent, ut rectà ſe attollant, quo propius luce, Cœloque gaudeant liberiori, neceſſum eſt. atque ob id altius creſcunt in vallibus, conante ſcilicet natura, ut ab inimicis umbris in lucem ſeſe emittant. Quod quidem minimè locũ habet in vite, cucurbita, hedera, ac portulaca, quæ radicis vitio, vel humi repunt, vel aliis truncis innixæ, veluti precario vivunt, ac creſcunt.

THEOREMA II. PROP. II.

Non eſt magis accomodum ad ædificandum planum montis acclive, quam æqua planities; imo magis hæc opportuna.

Sit in figura V. Iconiſmi II. planum acclive montis AC, planum verò Horizontis ſit AB: jam ſi in plano AC ædificetur turris AEDC, hæc non erit magis capax, quam ſi inſiſteret plano æquo AB.

Demonſtratur: Quemadmodum murus CD rectus centro inſiſtit, eodem modo inſiſteret, ſi demitteretur, uſque ad B in æquam planitiem: quapropter quemadmodum ſunt paralleli muri AE, CD ſaltem ad ſenſum, ſic eſſent paralleli AE, BD: ergo non magis capax erit turris ædificata in acclivi, quam in æqua planititie. Præterea illud incommodi eſt; nam ſi in monte ædificium moliaris, major erit labor comportandi lapides, & cæmenta, tignaque, quę ad ædificii ſtructuram neceſſaria ſunt: qui quidem in planitie non tantus eſt. Inſuper vel erit inutilis pars ABC, vel Terra effodienda, aliòque non ſine ſumptu, ac labore aſportanda: id quod in planitie non accidit. Neque opponas parietes magis diſtare in DE, quam in AB, quia ſcilicet magis diſtant à centro, & quò magis parietes diſtant, majorem extendunt angulum. Nam etſi verùm id certò ſit, exceſſus tamen non eſt ſenſibilis.

THEO-

THEOREMA III. PROP. V.

Non plures arbores plantari poſſunt in acclivi montis ſuperficie, quam in plano ſubiecto.

VT propoſitum oſtendam, præmitto montes duplicis generis eſſe, quidam inacceſſi ſunt, abruptique, & ut ait poëta, lapis omnia nudus: & quidem de his nulli planè dubium ad humanos uſus minime perutiles eſſe. quippe qui feris, ac volucribus dati à natura ad incolendum. & quamquam mollem alicubi Terram vomeriſque patientem habeant, tamen præ nimia declivitate ſemina, quæ jaciuntur, vel alluvione decidunt, vel ſi ſemel radicem fixerint, ſublapſa in præceps aqua, una & ſabulum ruit: atq; deficiente humore, aut germina areſcent, aut ſucco deſtituuntur opportuno, ut ad perfectam maturitatem creſcant. Alii ſunt clementi clivo elevati: & hos hominibus natura largita eſt: de quibus modo cōtemplandum, ſint necne ad noſtrum uſum magis idonei. Inſuper certum eſt plura grana ſpargi poſſe in montana ſuperficie, quam plano ſubiecto: nam cum maior ſit ſuperficies montis curva, quam plana illi ſubiecta, nullum profectò dubiū quin magis capax ſit. id exemplo ponam ob oculos. Sit tabella palmaris, & quadrata: in qua diſponatur longa ſerie, & multiplici grana tritici, quæ ſeſe ſingulis lateribus ſingula tangant. ut verò tota tabella granis repleta fuerit, altera accipiatur, quæ eandem habeat latitudinem, ſed duplam longitudinem: jam ſi illam granis eodem prorſus modo, quo in altera factitatum eſt, repleas, recenſeaſque numerum, duplo maiorem reperies. Id quoque accidet ſi grana ita diſponas,

ut inter ſingula ſpatium interſit: ex ſingulis enim ſeriebus ſingulis granis ablatis, numerus, qui ſupereſt, duplo minor erit in priori tabella, duplo verò major in ſecunda tabella, quam in priori.

Jam verò ſi quæratur, an plures arbores plantari poſſint in ſuperficie acclivi montis, quam in plano ſubiecto: dico non plures plantari in acclivi poſſe, quam in plano. Demoſtratur. Sit in figura VI. Iconiſmi II. planum acclive montis AB, planum ſubiectum CB, ex puncto A demittatur perpendicularis AC ad planitiem CB: in puncto D intelligatur plantata arbor DH. mox ſtatuatur minima diſtantia, quæ requiritur inter duas arbores, ſive hæ ſint pinus, ſive ulmi, aliæve: hæc autem ſit DE: poſitiſque æquis intervallis DE, EF, FG, & ſic deinceps, in quibus intervallis plantatæ ſint arbores DH, EI, FK, GL. erigantur jam perpendiculares DHM, EIN, FkO, GLP. quæ montis planum ſecabunt in punctis M, N, O, P. Quoniam verò ex prima hujus, arbores aſcendunt perpendiculariter, erunt omnes arbores in plano plantatæ in his perpendicularibus, & quia poſuimus arbores ſatas in minori diſtantia, citra quam ſuffocantur, fiet, ut æquales numero ſint arbores poſitæ in monte AB, in punctis M, N, O, P. Quoniam enim inter arbores DH, EI, eadem prorſus eſt diſtantia, quæ inter arbores M, N, ſiquidem perpendiculares ſunt DM, EN, & parallelæ ex 29 primi elementi, cum anguli MDE, NED recti ſint, non poterũt in toto ſpatio MN, vel NO, aut OP, aliæ arbores plantari: ſicuti neque in DE, cum poſita ſit minima diſtantia DE: ergo tot arbores plantari in plano poſſunt, quot in acclivi monte conſtituentur, quod erat demonſtrandum.

SCHOLION.

Quod de arboribus dictum eſt, de aliis plantis minoribus dices, cum hæ pariter certam requirant diſtantiam, quæ ſi deſit ſuccreſcere non poſſunt. Aſt illa hic difficultas, quid negotii faceſſet. Quoniam enim quantitas Terræ MN, quæ eſt media inter arbores MQ, NS, major eſt quãtitate Terræ DE inter arbores DH, EI exiſtente; maior erit diſtantia inter ſuperiores arbores MQ, NS, quam inter inferiores DH, EI; ſequitur in majori Terræ quantitate plures arbores poni poſſe, adeoque plures in monte, quã in plano monti ſuppoſito. Præter eà, quia ſuperius innuimus maiorem eſſe montis ſuperficiem AB, ſuperficie CB; major autem capacior; ideoque utilior ad plantationem. Quod verò ad lineas AB, CB ſpectat, eas inæquales eſſe, & quidem AB majorem, demonſtratur ex 19 primi elementi: cum enim angulus ad C rectus factus ſit, erit latus AB oppoſitum maiori angulo maius. Si igitur ponatur AB dividi in tot partes in quot diviſa eſt CB maiores erunt partes lineæ AB, quam BC: & ſic maior Terræ portio MN, quam DE. Verum propoſitæ difficultati facile occurri poteſt. Si teneatur quomodo ſtatuenda diſtantia ſit. nam etiamſi major Terræ quantitas ſit MN, quantitate DE, ut optime demonſtratum; at aliter accipienda diſtantia. cum enim non à quovis puncto unius arboris ad quodlibet aliarum ſumi debeat diſtantia: nam ſi ſic, nil certè ſtatui poſſet, cum eſſe, & in maiori, & in minori ſpatio poſſent: quod inſolens profectò eſt. patet enim majorem eſſe intercapedinem inter punctum ſupremum arboris DH, & E imum arboris EI, quam ſit diſtantia inter HI, vel DE,

quapropter arbores eſſent,& in maiori,& in minori diſtantia. Quoniam ergo diſtantia certa eſt, non autem imaginaria,conſtitui certò debet. Eſt igitur accipienda intercapedo per breviorem lineam, inter utramque arborem; hæc autem eſt perpendicularis DE, ſecundum quam certa illa intercapedo conſtituitur: quia verò parallelæ ſunt,ut dicebatur, rectæ lineæ DM, EN: eadem erit prorſus diſtantia inter arbores in plano,& in acclivi plantatas: quæ non aliter aſſurgere niſi in illis parallelis poſſunt.

THEOREMA IV. PROP. VI.

Non ſunt magis accomoda montana loca, quam campeſtria.

DEmonſtratur, Non plures plantari arbores in monte,quam in campo ſubiecto poſſunt,non majora ædificia,neque capaciora ex oſtenſis: non igitur montes campeſtribus utiliores.Non negarim tamen, quod ſi ad meſſem, & olera ſpectemus, majores ex ſuperficie montana provenire poſſent, cum hæc humilia ſint; quia verò hujuſmodi loca non undique coli poſſint, at ſaxoſis ut plurimum permixta, fit ut campeſtria ſemper præferenda ſint: etſi aliquando feraciſſima montana ſint ex ubertate ſoli, Cœlique temperie, ut Palæſtina, Cilicia, aliæque Provinciæ, quæ non quia montoſæ, ſed quia feraces maiores proventus afferunt.

CAP. III.

De Iſthmorum perfoſſione, an ſit poſſibilis.

EX literatis compluſculi putarunt Iſthmos perfodi minime poſſe, eo ducti argumento, quod cum id plurimi, & præpotentes aggreſſi fuiſſent, ab incæpto deſtitere: unde proverbium factum iſthmum fodere, quod pro re nimirum ardua, ac prorſus inſuperabili, dictitatur. Ego etſi arduum factu ducam, non tamen, minimè confieri poſſe negaverim.

THEOR. V. PROP. VII.

Iſthmos perfodi poſſe, arduum licet, non tamen ſupra humanas vires.

SUadetur: & quidem facillime, ſi ea, quæ hactenus induſtria, & quidem magna, & vix fide digna, aſſecuta eſt, pěſitemus. Sinæ ingenti, immenſoq; muro leucarum CD, longitud: patente totum vaſtiſſimumq; Imperiū, quà ad Septentrionem patet obvallarunt. Altiſſimos montium vertices longis, profundiſque vallibus diſijunctos pontibus ſociarunt. Romana potentia Iſtrum fluviorum maximum ſtrato lapidibus ponte frænavit, Angliam à Scotia duplici muro diſiunxit, Puteolos immenſis in mare jactis molibus Baiis adnectere aggreſſa eſt: noſtra ætate, ut cætera omittam, Oceanum Mediterraneo mari, effoſſo magnis ſumptibus, ſummoque labore alveo, Francorum potentia commercii cauſſa coniunxit: quid igitur prohibere potuiſſet, ut minore ſumpto, laboreque iſthmus perfoderetur.

SCHOLION.

AT nullus, inquies, ne Romanorum quidem, ut dictator Cæſar, Caius princeps, Domitius Nero, nec Demetrius Rex, & Herodes Atticus, quamvis id ſummo conatu aggreſſi ſint, perfecere: ut bellè, & ingenioſè Pauſanias. Uſque adeo difficile eſt homini violare divina. Præterea cum Gnidii iſthmum ſuum ſtadiorum quinque ſecare vellent, percuſſi ſcopuli in oculos operarum exiliere: qua de re cum Delphicum oraculum conſulerent, hoc reſponſum accepiſſe ferunt, ut Author eſt Herodotus.

Neque cingite Iſthmum mœnibus, neque fodite:
Nam ſi Jovi id viſum, locaſſet in Salo.

Immò ut multorum placitum fuit, cum altior Oceanus incluſo mari, ſi Arabicum iſthmum aperuiſſet Seſoſtres Ægypti Rex, aut ſuperiore ætate Campſo, irrupiſſet profectò Oceanus, Aſiãque obruiſſet: qua ex cauſſâ ab incœpto amoviſſe manus potentes Reges paſſim ferunt. Id etiam vetuiſſe perhibent ſectionem Panamæ ab Hiſpanis fieri. At hic panicus timor, cum in æquilibrio ſtet maria, ut alibi demonſtratum, quare ad rem Moriſotus lib. 2. c. 34. *Si* miſcueris maria, facilis, & breviſſima navigatio, iuſque commercii per utramque Indicam, ſed opinio ſuper undantis, ſi iſthmum ſcindas, beneficium abſtulit hominibus breve iter ad divitias per pelagi regna quærentibus: panicum, & inanem terrorem puto metuentium iras, & tumultus intromiſſi maris. Ad oraculi reſponſum quamquam inania fuiſſe Gentium oracula non dubitaverim, aio tamen nonnulla ita eſſe Naturæ opera, ut inverti ab hominibus per-

diffi-

difficile ſit.immò nonnunquam mortalibus mẽtem auferre Deum, ne plus ſapere videantur. Et hinc factum ut ſæpe ab in cœpto deſtiterint.quod ſi perſeveraſſent,non dubium quin fuiſſent aſſecuti.accedit & illud:cum enim difficiles eventus, & plurimis caſibus implicatos habeant res arduæ, & brevis hominum vita, & ſæpe huc,illuc diſtractæ variis negotiis curæ, raro admodum felices exitus nanciſcuntur.

CAP. IV.

An freta ab exordio Mundi,an caſu facta.

STrato antiquiſſimus ſcriptor apud Strabonem lib. 1. arbitratus eſt Europam olim Aſiæ junctam; nec Euxinum mare commercium ullum cum Ægæo habuiſſe: ſed longo deinde tempore flumina,quæ in Pontum ſe exonerant, vi, ariete aquarum,facta, viam aperuiſſe: idem de Mediterraneo cenſet;auctum enim, & ipſum fluminibus, Euxinoque in ſocietatem accepto,per columnas erupit;Europamque ab Africa disjunxit. At contra Plinius lib. 3. ab Oceano vim factam aſſerit, ait enim: Terrarum initium eſſe à Gadibus, quà irrumpens Oceanus Atlanticus in maria interiora diffunditur: & paulo infra: Proxima autem faucibus utrinque impoſiti montes coërcent clauſtra Abyla Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. Quam ob cauſſam indigenæ columnas ejus dei vocant, creduntque perfoſſas excluſa antea admiſiſſe maria, & rerum naturæ mutaſſe faciem. Valerius Flaccus, & Heruleum,& Siculum fretum,non fluminibus aucto mari, ſed vi ventorum, & tempeſtatum effectum cantat, lib. 1.

Æquore Trinacrio, refugique à parte Pelori
Stat rupes horrenda fretis, quot in æthera ſurgit
Molibus, infernas totidem demiſſa ſub undas,
Has nimbi, ventique domos, & naufraga ſervat
Tempeſtas. Hinc in Terras, latumque profundum
Eſt iter: hinc olim ſoliti miſcere polumque
Infelixque fretum (Neque enim tunc Æolus illis
Rector erat) Libya cum rumperet advena Calpen
Oceanus quum flens Siculos Oenotria fines
Perderet, & mediis intrarent montibus undæ.

Idem Virgilius ſentit:

venit vi pontus, & undis
Heſperium Siculo latus abſcidit.

Qui cum eodem loco ruinam addit, etiã violenti terræmotu diſſiluiſſe terras arbitratur. idem affirmat apud Strabonem Æſchylus: Rhegiumque dictum putat *apò tu Rigios*, quod ibi Terræ motibus Sicilia à continenti abrupta fuerit. Saluſtius verò ſic ait, Italiam Siciliæ coniunctam conſtat fuiſſe, ſed medium ſpatium aut per humilitatem obrutum eſt, aut per anguſtiam ſciſſum.

THEOR. VI. PROP. VIII.

Veroſimilius eſt præcipua Mundi Freta ab initio rerum facta, Mundoque coæva.

Suadetur: Et quidem aucto fluminibus mari terras perfoſſas rationi minimè conſentaneũ: quin potius accidiſſet, ut litora ſupergrederetur & quaquà verſus aquarum incrementum æquali augumento diffunderetur, neque credibile tantum futurum aquarum impetum, ut tantam Terræ molem perrumperet, idque ſi evenire potuiſſet circà Mundi exordia, quo tempore factum fingi neceſſe eſt, quando nullus poſteriorum tem-

porum

porum ſcriptor id certò affirmet, eveniſſet utique aliis in locis ſecutis deinde ſeculis, quod minimè legimus. Præterea cum per ſubterraneos canales è mari redeat aqua ad fontes ſuos, ut iterum refluat; cum item ingens copia in vapores vi Solis attenuetur, evaneſcit vaſtum illud incrementum, quo perfodi terras neceſſe eſt. At ſi ventorum vi effectum; anne veriſimile duxerim adeo exiguam fuiſſe Terræ illius particulam, ut quemadmodum efferi in ſcopulos dum fluctus arietant, eoſdem lancinant, ſic iſthmos illos disjecerint? Si verò effuſum per humilem Terram mare in Oceanum irrupit, altius erit profectò: at id falſum oſtenſum ſatis, ſuperque eſt. Verum terræmotu ſciſſæ, avulſæque Terræ: ſed qualis quantuſque is fuiſſe putandus? corruiſſent oppido regna ipſa, Provinciæque, nedum unus tantum iſthmus. At ſi ad hominum commercia facta maria, diſiungendæ diverſæ genio, ac lingua gentes, & freta à natura facta putandum eſt, neque in animum induxi unquam meum Meſſanæ portum, quo nihil in terris præſtantius, aut operoſius eſt, caſu ex Terrarum divortio factum, non vero ab opifice natura: quando non ſolus Pelorus, ſed univerſus Meſſanæ tractus fertur diſſiluiſſe. Tandem cur non Arabicus Iſthmus diſruptus terræmotu, quo tota Africa, cum Mediterraneum apertum eſt, contremuit? cur non Tauricus anguſtiſſimus, non Corinthiacus, non alii diſrupti? credamus ergo à natura, non caſu facta ab exordio freta fuiſſe.

CAP. V.

An olim Oceanus Navigatus, & de ejus profunditate.

NOſtra ætate omnem perluſtratum navibus Oceanum: quin etiam, quod mirabile ſane eſt, una menſum, obitumque carina, nemo eſt quĩ ignoret, ut Veronẽſis Poëta cecinit elegantiſſimè.

Et canat (auditum quod vix venientia credant
Secula) quodcumque Oceani complectitur æquor
Ingens, omne una obitum, menſumque carina.

An verò veteribus navigatum, dubium eſt: idemque Poeta negat rotunde, dum canit:

Hæc eadem tamen, hæc ætas (quod fata negarunt
Antiquis) totum potuit ſulcare carinis
Id pelagi, immenſum, quod circuit Amphitrite.

THEOREMA VII. PROP. IX.

Magna ex parte Oceanus antiquis navigatus.

SUadetur. Et quidem, relictis poëtarum figmentis, de Glauco, Neptuno, Æolo, Portumno, Jaſone, Ulyſſe, aliiſq; hiſtoriis plurimis cõſtat navigatum olim Oceanum à Phœnicibus, qui priſcis temporibus nautica arte plurimum valuere. hinc Strabo lib. 1. Phœnicum navigatio celebratur, qui etiam extra Columnas Herculis progreſſi ſunt, ibique, & in media Africæ ora maritima condiderunt paulo poſt Troiani belli tempora: anno ſcilicet ante Chriſtum MCLXXXIII. atque hinc colligitur ante Salomonem maritima ſciẽtia peritos extitiſſe Tyrios, & Sidonios, qui Phœnicum nomine memorantur. Quo etiam ævo ut

author

author eſt Diodorus Siculus, Iabolus ex Arabico ſinu ſolvens in Æthiopiam prætervectus mercaturæ cauſſa: captuſque ab Æthiopibus, mox expiationis gratia ex oraculi ſorte in navim cum duobus ſociis impoſitus in Meridiem navigavit ad quandã inſulã, quã Taprobanẽ fuiſſe nonnulli credunt. hinc ad Regem Indiæ ad urbem Polibothrum, à quo humaniter exceptus, mox dimiſſus per Perſidem in patriam reverſus eſt. Præterea Salomonis claſſes ex portu Berenices, quæ Hæbræis Aſiongaber appellatur, nunc Suez, in Oceanum navigarunt: cumque Ophir veniſſent, ingentem auri copiam inde ad regem aſportarunt. item in Tharſen ad argenti, pretioſorumque lapidum, & Elephanti quæſtum profectas eſſe Sacer idem codex affirmat. Hæ verò inſulæ Ophir, & Tharſis, non ſunt quæ nunc Salomonis appellantur, cum nimis longa, & periculoſa fuiſſet navigatio. non etiam ob id Peruvia, quamvis auri, argentique opulentiſſima, neque Hiſpaniola ut poëtica libertate cecinit egregius vates Fracaſtorius ſyphilidis III.

Sed vos litoribus primis ne inſiſtite, nanque
Ultra fata vocant, medio magna inſula ponto
Eſt Ophyre, huc iter eſt vobis, hic debita ſedes.

Eſt autem Ophir aurea Cherſonneſus, de qua nos Naut. VIII.

At ſi purpureis paſſim baccata lapillis.
Sit Chryſeque, Ophyreque vagis luſtranda carinis.

Non negaverim tamen Ophir nomine intelligi Indiam univerſam, & inſulas Eoi maris. Tharſis multis eſt Hiſpania, & regiones Occidentales: mihi non videtur alienum à vero Tharſin eſſe Cernen inſulam, quæ & Menuthias, noſtris D. Laurentij dicta. Inſuper Moriſoſus cẽſet Salomonis claſſem ex ſinu Arabico tota Africa præter-

ternavigata per Gades in Joppen rediiſſe. Necaone Ægypti rege, ut habet Herodotus lib. 4. Phœnices anno ante Chriſtum DCVI. ex Rubro mari biennio, Africa perluſtrata, per Atlanticum, & Fretum in Ægyptum rediere. idem aſſecutus eſt ſub *Xerſe* Sataſpes, qui per Gades navigavit ad extremam Africam, perque eandem viam aquis obluctantibus in Ægyptum reverſus eſt. Verùm Dario rege exploratum Indi oſtia miſſum Sylacem, qui Oceano Orientali emenſo, remenſoque, triceſimo poſt menſe in Arabicum ſinum redux rediit, idem narrat Herodotus. Alexandi tempore circa annum ante natum Chriſtum CCCXXX. Pytheas Maſſilienſis Thulen uſque pervenit trans Oceanum Britannicum, & chaos ibi, & tenebras vidiſſe refert apud *S*trabonem lib. 1. 2. & 4. At Nearchus, & Oneſictitus ab Alexandro miſſi ultra Tropicum navigarunt, ut habet Arrianus in vita Alexandri.

Poſt memoratas navigationes celeberrimæ Carthagineſium fuere. Hanno, ait Plinius lib. 2. cap. 67. Carthaginis potentia florente, circumvectus à Gadibus ad finem Arabiæ, navigationem eam prodidit ſcripto: luſtravit Hanno Heſperiònceran, *Capo verde*, contra quod promontorium Gorgonas inſulas eſſe ait: præterea vidit altiſſimum montem ignivomum dictum Theonochèma, idem eſt currum Deorum: quem nunc Hiſpani dicunt *Sierra Liona*, & tandem Notùceran vidit, nobis Acronotos eſt, *Capo di buona Speranza*. Himilconem ad alia Europæ extera cognoſcenda navigaſſe idem Plinius teſtatur. Qui Romanorum mox ſubdit navigationes, qui in fælicem Arabiam ingreſſi Ælio Gallo ductore in Indiam navigationem inſtituere: ex qua miram opulentiam devehebant, etſi non exiguo ſumptu,

ptu. ait enim Author lib. 6. c. 23. dignas res, nullo anno Imperii noſtri minus H-S quingenties exhauriente India, & merces remittente, quæ apud nos centuplicato veneant. Quod verò ad Septentrionalem Oceanum attinet ita idem loquitur. *Septentrionalis vero Oceanus majore ex parte navigatus eſt, auſpiciis Divi Auguſti*. Imò refert, Q. Metello Celeri Galliæ Proconſuli Indos à Rege *S*vecorum dono datos, qui ex India commercij cauſſa navigantes, tempeſtatibus eſſent in Germaniam abrepti. Hi verò Indi ex Oriente ne, an Occidente venerint, nō conſtat. cum verò per glaciale Oceanum impervium ſit iter fruſtrà toties atque à tot tentatum: ab Occidente veniſſe ſi quis dixerit, non adeò à veritate errabit. Et quamquam legerim in Ammerica effoſſum cadaver Europæis armis indutum, cum Cæſaris numiſmate, non auſim dicere eam navigationem nonniſi caſu, aut tempeſtate contigiſſe. Conſtat ergo Oceanum magna ex parte antiquis perluſtratum fuiſſe, quod erat propoſitum.

PROBLEMA III. PROP. X.

Profunditatem maris bolide invenire.

Fiat vas inſtar Cylindri longitudine pedis, latitudine verò quanta eſt funis cum bolide in profundum maris dimittendus: mox pendes quantum aquæ marinæ in vaſe continetur, notabiſque exceſſum ſupra pondus funis illius madidi unius pedis, deinde, regula proportionis adhibita, invenies quantum ponderabunt mille pedes, vel paſſus aquæ ſupra totidem funis madidi: exceſſus erit quantitas plumbi addendi in altero funis extremo, qua cum ſtabit in æquilibrio, addito inſuper majori pondere bolidis plumbo præponderabit funis aquæ marinæ ſibi mole æquali. hoc vero facile dimiſſo fundum explorabis. Nam ſi ponamus cubitum unum funis leviorem eſſe mole æquæ æquali uncias 6. erit funis 3000. ulnarum, (hoc plurimi uſi ſunt) levior aqua mole æquali uncias 18000. lib. nimirum 1500: niſi igitur plumbum funi appenſũ gravius fuerit 1500. libris, innatabit bolis infra aquæ ſuperficiem, & funis fluitabit.

SCHOLION.

Hoc artificio obſervarunt quamplurî Oceanum navigantes, multis in locis mille paſſus, alibi 1500. raro bis mille rariſſimè leucam mare profundum eſſe. exceptis multis locis in quibus inſcrutabile eſt. At circa litora maris profunditas non excedit paſſus 40. de quibus conſule Dudlæum in maris Arcano. Dixi multis in locis mare inſcrutabile: idque hiſce experientiis con-

confirmo. Primo ut habet Olaus Magnus, circà Ulmam *Svediæ* vorago maris eſt nullis funibus menſurabilis: Et prope in Oceano Norvagico tantam repertam profunditatem, ut ne totis quidem funibus, quo ingentia navigia onerari potuerint, ingentique appenſo pondere attingi valuerit. *Secundò* in America juxtà Virginiam, & Floridam, nũquã inveniri fundum teſtatur Breſſanus *S.J.* idque de Pacifico mari Acoſta, & Fromondus affirmant. Tertio Moriſotus lib. 2. Orbis maritimi cap. 45. Nautas, ait, ad polum navigantes nullo perpendiculo fundum inuenire potuerunt: & in noſtro Mediterraneo, ad Thereſiam inſulam nulla funium multitudine ad imum pelagi pervenitur, idemque accidere in Freto Mamertino teſtatur oculatus teſtis Athanaſius Khircher. Tandem Plin. lib. 2. cap. 10[illegible], ait: In Ponto ex adverſo Coraxorum (gentes vocant Bathea Ponti) trecentis fere à continenti ſtadiis immenſam altitudinem maris tradunt, vadis nunquam repertis. nos de his ſupra diximus, & idem de mari circa Taprobanem, & *Solinus* cap. 54. certis canalibus adeò altum, ut nullæ umquam anchoræ ad profunda illius ima potuerint pervenire. quare multis in locis profundiſſimum mare eſt.

Ta-

Tabula latitudinum,& longitudinum præcipuorum locorum Italiæ.

Loca Nova	Vetera	Latitudo G. M.	Lōgitudo. G. M.
Alba	Alba Pōpeia	44.36	31. 4
Albenga	Albingaunū	44. 0	31. 0
Aleſandria	Alex. Statielo	44.44	31.37
Algieri	Aleria. rū	40. 7	31.35
Aliſi	Aliphæ	41.32	38.29
Agoſta	Auguſta Præt:	45.43	30.19
Aquila	Aquila	42.42	37.13
Aſſiſi	Aſſiſium	42.54	35.55
Bari	Barium	44.13	40.51
Bergamo	Bergamum	45.43	32. 8
Breſcia	Brixia	45.32	33.20
Cagliari	Calaris	38.41	32.18
Capoa	Capua	41.10	38.22
Cariati	Cariathum	39.42	40,36
Catania	Catana	37.36	38.23
Chieti	Theate	42.47	37.40
Crotone	Croto	39 16	40.48
Cremona	Cremona	45. 1	33. 2
Fabriano	Fabianum	43.28	37.16
Faenza	Faventia	44.33	34.59
Fano	Fanum Fort.	44. 4	36.11
Ferrara	Ferraria	44.49	34 45
Fiorenza	Florentia	43.41	34.31
Foſſābruno	Forū Sēpron.	43.52	36. 5
Fulingo	Fulginia	42.48	36. 2
Gaieta	Caieta	41.24	37.28
Genova	Genua	44.27	32.14
Giergento	Agrigentum	3[illegible].58	36.46
Giulia nova	Iulia	43. 9	37.48

Ieſi

Loca Nova	Vetera	Latitudo G. M.	Lōgitudo G. M.
Jeſi	Æſium	43.45	36.31
Imola	Forū Cornel.	44 26	34.51
Iſernia	Æſernia	41.47	38.23
Lago Negro	Nerulum	40.13	39.38
Langianum	Antianum	42.38	38.11
Lecce	Lupiæ	40.30	42. 8
Lodi	Laus Pōpeia	45. 8	33.34
Lucera	Lucena	41.45	39.18
Malta	Melite	35.40	37.45
Manfredonia	Apeneſte	41. 7	39.28
Marſalla	Lilybæum	37.20	35.29
Martorano	Mamertum	39.13	39.50
Melazzo	Mylæ	38.27	38.22
Meſſina	Meſſana	38.21	38.56
Milano	Mediolanum	45 14	32.10
Modena	Mutina	44.38	34. 6
Moliſe	Moliſium	41.49	38.36
Mondovì	Monſviciū	44 21	30 47
Monopolis	Monopolis	41. 6	41.17
Mōtepolciano	Mōs Politian.	43. 0	35.15
Mōte Caſino	Caſinus	41.39	37.47
Napoli	Neapolis	41. 2	38.22
Nardo	Nericum	40.21	41.57
Narni	Narnia (rū	42.29	36.14
Nizza	Nicæa ad Va	43.38	29.57
Nola	Nola	41. 8	38.37
Novara	Novaria	45.10	31.30
Ortana	Ortona	42.45	37.13
Orvieto	Oropitum	42.36	35.29
Padova	Patavium	45.35	34.51
Palermo	Panormus	38.10	36.16
Parma	Parma	44 44	33.26
Pavia	Ticinum	44.58	32.14


Loca Nova	Loca Vetera	Latitudo G. M.	Lõgitudo. G. M.
Perugia	Peruſium	42.58	35.40
Peſaro	Piſaurum	44. 7	36. 5
Peſcara	Aternum	42.51	38.32
Piacenza	Placentia	44.52	72.45
Piſa	Piſæ	43. 9	33.35
Pola d'Iſtria	Pietas Julia	45.20	37.31
Potenza	Potentia	40.41	39.50
Ravenna	Ravenna	44.26	35.12
Reggo di lõ:	Regiũ lepidi.	44 43	33 46
Reggio di ca:	Rhegium	38.15	39.23
Rimini	Ariminum	44.14	55.44
Roma	Roma	41.54	36.18
Roſſano	Roſcianum	39.49	40. 9
Salerno	Salernum	40.51	38.34
Savona	*S*avo	44.18	31.23
S.Severino della Marca	Septempeda	43.26	36.41
Siracuſa	Syracuſæ	37. 4	38.25
Sulmona	*S*ulmo	42.27	37.40
Taranto	Tarentum	40.40	41.15
Taverna	Taberna	39.12	40.13
Teramo	Interamnia	43. 1	57.37
Torino	Aguſta Taur.	44 49	30.46
Trieſte	Tergeſte	45.57	36.42
Ugenti	Uxentum	40. 6	42. 6
Vicenza	Vicentia	45.39	34.12
Urbino	Urbinum.	43.53	35.54

Appoſitæ in abaco longitudines deſumptæ ſunt ex Ricciolo: qui primum Meridianum ducit per Inſulam Palmæ. *S*iquis autem locorum longitudines velit ab Inſula Pluitalia(vulgo *Ferrò* dicitur, Græcis *Ombros*)à qua,cum ultima Fortuna-

tunatarum ſit, incipiunt hac ætate Galli: id nullo negotio aſſequetur: cum enim hæc occidentalior ſit min. fermè 40. ſi longitudini ex tabula inventæ addantur prædicta min. 40. habebitur longit. ſupputata à primo Meridiano Pluitaliç. Nos cum Ptolemæo à Iunonis Inſula exordium duximus Naut. VIII.

Primus, & hac Cæli percurrit circulus alti:
Quique diem noctemque ſecat, duo tempora ſignat,
Quo Sol in medio micat axe altiſſimus, & quo
Sub pedibus Manes luſtrat, Ditemque profundum.

LIBRI II. FINIS.


Est
Nordest
T
Sud Est
Q
A
C

LIBER III.

CAPUT I.

De Prima Orbis parte Europa.

UNiverſum Orbem Terrarum deſcripturi ab Europa exordium ſumimus, quippe quæ virorum altrix, domina gentiũ, literarum parens, artium inventrix, Legum cultrix, atque humanitatis cùm ſit, principem ſibi locum jure, meritoque depoſcit. Illam verò ſic dictam volunt ab Europa Agenoris Phœnicum regis filia, quæ ab Jove in Taurum verſo rapta, inque Cretam inſulam delata, nobiliſſimæ Terrarum parti nomen dedit. Europæ figura ſimilis eſt Virgini ſedenti, cujus caput Hiſpania, collum extrema Gallia, pectus Gallia ipſa ad Rhenum, Brachia Britannia, & Italia, Venter Germania, umbilicus Boiohemia: reliquum corpus regia ſub veſte circa ſedem diffuſa reliquæ efficiunt Provinciæ, Septentrionalis nimirum Peninſula, Polonia Græcia. Illyricum, Mœſia, Dacia, ac Sarmatia penè tota. At verò Strabo Draconi aſſimilat, cujus caput Hiſpania, collum Gallia, corpus Germania, alæ Italia, & Cimbrica Cherſoneſus. Europæ termini

ſunt ab Occidente Oceanus Atlanticus, à *Septentrione* Caledonius, ſeù glacialis, à Meridie Mediterraneum mare, ab Oriente Ægæû, Helleſpontus, Pontus Euxinus, Mœotis palus, Tanais fluvius uſque ad flexum ipſius fluminis ad Tujam oppidum, & linea hinc ad proximam Obii fluminis ripam ducta, ipſeque Obius ad Glaciale Oceanum ſe exonerans. Quamvis recentes Geographi totum Moſcoviæ Imperium intra Europam comprehendant. Maxima Europæ longitudo à Promontorio Sacro Luſitaniæ, *Capo di S. Vincenzo*, ad Obii oſtia, eſt Milliariorum juxta Cluverium 3600, Latitudo à Tænaro promontorio Peloponneſi ad extremum Scandinaviæ Rutubas, vulgò *Noortcap*. eſt Mill. 2200. Sita Europa eſt inter Meridianum fere VIII. qui tranſit per extremam Gallęciæ oram, & C, qui per Obium percurrit: inter parallelum verò XXXIV, qui per Cretam tranſit, & LXXI. per Rutubas tranſeuntem. Ejus poſitio tota ferè eſt in Zona temperata, ſi ultimam Schandinaviæ partem, quæ frigidam ingreditur, excipias. At ſi climatum rationem habeas, inter IV, & reliqua Borealia ſita eſt.

Europæ partes præcipuæ ſunt Hiſpania, Gallia, Italia, Germania, Illyricum, Mœſia, Dacia, Græcia, Macedonia, Thracia, *Scythia*, Sarmatia, Scandinavia. Inſulæ celebriores Britanniæ, *Sicilia*, Sardinia, Cyrnus, Creta, Eubæa, & Baleatides, Sed de his ſingillatim dicendum.

CAPUT II.

De Hiſpania.

PRima Europæ pars viris, animiſque nobilis eſt Hiſpania, quam multi ab Hiſpano rege, alii

ab Urbe Hiſpali *Seviglia* dictam volunt. Appellata etiam Iberia ab Ibero amne: & Heſperia ab Heſpero Atlantis fratre: vel,ut alii,ab Heſpero Stella Occidentali,quia ad Occidentem poſita eſt. Nonnulli perperam *Spanian* ob rerum penuriam, atque incolarum raritatem vocitatam autumant: cum refertiſſima populorum fuerit, Martiarumque gentium; Metallorum omnis generis ditiſſima,vitium, oleæque, ac frumenti ferax, equorum parens fœcunda. finis ejus ab Occidente Atlanticus Oceanus. à Meridie Fretum, & Incluſum mare,e Septentrione Cantabricus Oceanus, & Pyrenæi,ab Ortu iidem Pyrenæi, & Mediterraneum Mare. A Gallia longo Pyrenes jugo diſiungitur. Longitudo Hiſpaniæ maxima à Sacro Promontorio ad Saluſæ fontem *Salſas* eſt milliariorum 760,latitudo à Celtico promontorio, *Capo di Finiſterra* ad Saturni promontorium *Capo del palo* eſt mill.600

Hiſpaniam Romani in tres Provincias partiti ſunt, Bæticam, Luſitaniam, & Tarraconenſem, Bæticæ termini ab Occaſu,& Septentrione Anas fluvius,à Meridie Fretum, & Mediterraneum ad oppidum Murgin *Almeria* uſque, ab Ortu verò Tarraconenſis Provincia. dicta verò Bætica à Bæti flumine.cæteris verò Provinciis & cultu, & nitore præhabita. Luſitania ad Septentrionē Durio fluvio clauditur:ab Occaſu,& Meridie Oceano,ab Ortu Ana, & Tarraconenſi Provincia, à qua linea ducta ab regali Civitate ad Somoram oppidum diſterminatur. Luſitaniam à Luſo, Lyſaque Bacchi ſociis| appellatam nonnulli fabulantur.

Tarraconenſis Provincia reliquam Hiſpaniam occupat à Tarracone Principe olim urbe nuncupata. Celeberrimi Hiſpaniæ populi fuerunt olim

Celtiberi,qui dextram Iberi ripam tenuere,quorum urbs primaria Segobriga *Segorbe*. Regio Celtiberia ab incolis dicta. Vaſcones ad Pyrenæos conſedere, ubi nunc Navarræ regnum, caput Pampelon,ſivè Pompeiopolis *Pampelona*. Varduli eam partem incoluere, quam modo *Guipuſcoa*, gentes vocant. illorum Princeps Flavionavia *Bilbào*. Cantabri, acre genus virorum & , ut ait poëta, indociles juga ferre, quorum virtute factum eſt,ne Mauri univerſa,Hiſpania potirentur, regio,quam hi tenuere nunc *Biſcaia* nuncupatur, caput Juliobriga,*Val de Vieze*. Aſtures, nunc *Aſturias* quorum Metropolis Aſturica,*Aſtorga*.Gallæci Minium inter, & Durium amnes, caput gentium Brigantia,*Braganza*.Vaccæi quorum caput Pallantia,*Palencia*, Carpentani, quorum inſignes urbes Toletum, & Complutum *Alcalà de Henàres*,juxtà hos ad Meridiem Oretani. fuere etiam in Bætica Pœni ab Africa devecti, atque hinc Poëta:

Et uterque Pœnus ſerviet uni.

Hiſpaniam in Citeriorem,& ulteriorem etiam partiti veteres, Citerior Tarraconenſis ulterior Luſitania,& Bœtica.

CAPUT III.

De nova Hiſpaniæ diviſione.

IN Hiſpaniá,quæ poſt diluvium à Celtis ab Aſchenate prognatis habitata fuit,primi omniũ Afri irrupere, qui mox eiecti, iterum Carthaginienſibus ducibus ingreſſi ſunt. hi poſt mutuas clades à Romanis profligati, exceſſere:paruitque tota Hiſpania Romanis uſque ad Honorii tempora,cum in Hiſpanias circa annum ab Orbe inſtau-

ſtaurato CCCC Gothi, & Vandali barbara gens rapinis,& feritate nobilis, impetum fecere, eaſque in tria Regna partiti ſunt: at circa annum DCCXX acciti Arabes, & Mauri, univerſam Hiſpaniam diripuere, inque plurima Regna diviſerunt. Chriſtianis intereà in Aſturiam, ac Legionem munitiſſima Regna compulſis. Regna fuere XIV. nimirum Legio, Gallæcia, Portugallia, Algarbia, Andaluſia, Granata, Murcia, Valentia, Aragonia, Gothalaunia, Navarra, Caſtilia vetus, Caſtilia nova, ſivè Toletanum Regnum, & tandem Balearidum, Ebuſi, nimirum Majoricæ, Minoricæ, & Yuiſæ Regnum. Celebriora tamen fuere Caſtellæ, Aragoniæ,& Luſitaniæ regna. Caſtellæ utriuſque Regnum Legioni adiectum ſub Ferdinando I. Pulſis mox Mauris Caſtellæ acceſſere Gallæcia, cujus caput Compoſtella D. Jacobi Lipſanis toto Orbe celeberrima: Andaluſia, caput Hiſpal *Seviglia* inter Hiſpanię urbes,& opum copia, & ædificiorũ nitore, & navium frequentia,& cultu civiũ florentiſſima. Granata, ab urbe Principe ejuſdem nominis dictum. Murcia ab urbe item Murcia, & Navarra, quæ in regni formam venit anno DCCCCLX. cùm Enecus Bigorriæ comes, deletis Mauris, ſe regem Navarræ dixit: quam Henricus IV. Caſtellæ Rex armis occupavit. Veteris Caſtellæ caput Valliſoletum *Vagliadolid*, novæ verò olim Toletum, nunc Mantua Carpentanorum *Madrid*, ubi Hiſpani regis, cognomento Catholici, aula, & Regius Senatus. Sedet amœno in campo ad exigui amnis ripas, quem gens *Mançanarez* vocat: pluſquam XXV turribus antiquo opere ornata verius, quam munita. olim infrequens, & minus culta, nunc vero ſuperbis aucta ædificiis, ac templis nitet, creſcitque in dies, civium numero, ac divitiis, ut tanti regis meritò re-

regia cenſeri jam poſſit. Collis leni in campo aſſurgit clivo, ubi Palatium, cujus forum ampliſſimum, & pulcherrimum ad Occaſum urbis extentum. Ad Orientem verò alterum Palatium *Buon Retiro* dictum, hortis amœniſſimis, & fontibus inſigne, ubi rex Æſtate, atque Autumno degere ſolitus. Sex leucis à Madrito Pagus eſt, *Eſcurial* nomine, ubi ob victoriam ad S. Quintinum die D Laurentio Sacra anni 1557. relatam de Gallis nobiliſſimum Templum, ac cœnobium Catholici Reges ædificarunt: ubi tumulati Carolus V. & tres Philippi, ſuperbiſſimis Mauſolæis ad dextram Altaris: ad ſiniſtram Iſabella Caroli Uxor, & Reginæ Anna, Margarita, & Iſabella.

Aragoniæ Regni exordium fuit anno MXVI, cum Ramirus Sanctii Magni Navarræi Regis Nothus Rex creatus eſt. mox Gothalaunia, ſivè Catalonia, & Valentiæ Regnum adiecta ſunt: Et tandem Jacobo Rege Baleariđum regnum, Mauris eiectis. at ipſum Aragoniæ Regnum Caſtallæ adiſixit Ferdinandus VI. Caroli V. avus maternus, ducta in matrimonium Iſabella Aragoniæ Regis filia. Qui & Granatenſe regnum armis occupavit anno MCCCCXCII Mauris tota Hiſpania expulſis. Aragoniæ caput Cæſarauguſta *Saragoza* Urbs magnitudine, & opulentia celebris, Cathalauniæ Barcino *Barcellona*, Valentiæ *Valenza*.

Portugalliæ, ſeù Luſitaniæ Regnum hunc in modum conſtitutum eſt: Henricus Lotharus cum in Hiſpania contra Arabes egregie militaſſet, ingenteſque res manu, conſilioque geſſiſſet Tireſiam Alphonſi VI. Notham laborum, virtutiſque præmium matrimonio accepit, proque dote eam Hiſpaniæ partem, quæ Portugallia appellata eſt, dictuſque comes. Hujus verò filius, cum uno prælio quinque Maurorum reges fudiſſet, rex pri-

mus

mus anno MCX conſalutatus eſt: ex hoc reges omnes Luſitaniæ uſque ad Sebaſtianum, quo in Africa victo à Mauris, cæſoque, regnum Caſtellæ adiectum ſub Philippo II. at iterum Philippo IV. diſiunctum, creatuſque Rex Brigantiæ dux Alphonſus Luſitanis regibus ſanguine coniunctiſſimus. Regni metropolis Ulyſipo *Lisbona*, una ex quatuor Europæ maximis urbibus, divitiis, cultu ædificiis, cumque utroque Orbe commerciis celeberrima, ad Tagi ripam ſita, Cœloque amœniſſimo: ab Ulyſſe condita. à Chriſtianis recepta anno 1147. victis Mauris, una cum Ebora, & Pace Julia *Bajadox*, & à Bonifacio IX. Archiepiſcop: facta: Ad Luſitaniæ regnum pertinet Algarbiæ regnum ad Meridiem ſitum, cujus caput Oſſonoba *Silvis*, minimi hujus regni, atque ignobilis primus rex Dionyſius Alphonſi III. Luſitaniæ Regis filius natus ex Beatrice Notha Alphonſi X. Legionis. Portugallia, & Algarbia occupant fere totam antiquam Luſitaniam, Andaluſia, & Granata Bæticam; cætera regna in Tarraconenſi continentur.

Ex adverſo Tarraconenſis Hiſpaniæ in Iberico Mari ſunt Baleārides Inſulæ Major, & Minor: illa *Majorca*, hæc *Minorca* dicitur. Majoris circuitus mill 380. in qua urbs *Maiorca*, ex qua Remondus Lullus, quem populares tanto honore proſequuntur, ut Ariſt. loco juventuti exponant. Minorca ab urbe appellata patet ambitu 150. mill. à Majorca diſtat freto paſſuum XXM. Ad Meridiem ſunt Ebuſus, *Tuiça*, & Ophiuca, *Fromentaria*: prima patet XM paſſuum, oppidumque habet Ebuſum, *Tuiça* Carthaginienſium Colonia, altera ob noxios ſerpentes inculta. Cæterum Baleares, & Ebuſus, & ſoli ubertate, & paſcuis nobiles: ex Terebintho olim oleum parabant. incolæ funda inſignes hinc

Baliſta, & Balearis verbera funda.

ferunt pueros à matre cibum non accepiſſe, niſi quem,ipſa monſtrante, fundæ ictu percuſſiſſent. omnes hæ inſulæ dictæ etiam Gymneſiæ, vel quod nudi illac facto naufragio Bæoti aliquot appuliſſent,ut fert Lycophron: vel quod nudi incolæ incederét. Carthaginiéſibus paruere quibus eiectis duce Metello Romani poſiti sút, mox *Saraceni*, à quibus ereptæ ab Aragonibus Jacobo Rege,anno 1230.de his Dionyſius Afer.

Continuoque iacent Gymnaſia, at has Baleares
Romani memorant.

Tantis leporibus abundabant, ut contra eos militare auxilium ab Auguſto incolæ petiverint. Ebuſus, & Colubraria,ſivè Frumentaria, Pityuſæ dictæ à Pineto,de Ebuſo, quæ & Ebyſſus Ptolemæo,Silius.

Janq; Ebuſus Phœniſſa movet, movet Artabrus arma.

CAPUT IV.

De fluviis Montibus,urbibus Hiſpaniæ,deque gentium moribus,ſolique ubertate.

CElebèrrimi Hiſpaniæ fluvii ſunt Iberus,à quo cognominata Iberia. Erumpit apud Cantabros ex Idubeda monte duobus fontibus,multiſq; auctus fluminibus,& tandem Sicori *Segre*,in Ibericum mare, peractis mill. CCCCLX. excipitur incolis nunc *Ebro* dicitur. Durius *Duero*, ex eodem Idubeda,ubi nomen illi *Sierra de cocollo* juxta Numantiam ſurgit, in Oceanum Atlanticum rapidiſſimo curſu delabitur. Minius ad Aquas ſextianas, *Lugo* oritur, Tarraconenſi Hiſpania, & Luſitania perluſtrata, in Oceanum ſe præcipitat. Tagus ab altiſſimis Oroſpedæ jugis in Carpentanos

nos defluit, & ad Toletum ponte accepto Caſtellam irrigat, perque Luſitan am defluens ultra Ulyſſiponem oſtio paſſuum bis M. lato in Oceanum ſe devehit auro, oſtreiſque divitem, atque hinc Claudianus:

Non Tarteſſiacis illum ſpatiaret arenis
Tempeſtas pretioſa Tagi.

Et Statius.

Hunc Hermum, fulvoque Tagum decurrere limo.

Et Nos Halieuticorum X.

non tantum auro generoſa ſuperbit
Vnda Tagi, niveas pariter devoluit Elenchos.

Anas, *Guadiana* ortum habet ex vaſtis ſtagnis in agro Laminitano *Campo de Montiel* per Oretanos delapſus ad Metallinam, ubi olim Vicelliana caſtra, terris ſe condere putatur, mox ad Villaream quaſi ſæpius naſci gaudens, erumpit, pontem ad Emeritam Auguſtam accipit, & ad caſtrum Merinum in Gaditanum Oceani ſinum delabitur. Bætis *Guadalquivir* etiam ex Oroſpeda oritur, ubi nomen *Sierra d'Alcaraz*, inque Occaſum vergens Cordubam tot ingeniis nobilem, mox Hiſpalim alluens in eundem Gaditanum ſinum ſe præcipitat, fuit olim auro, nunc oleo nobilis unde Syncerus noſter.

Cogit ripa formoſus utraque
Duria, & albenti Bætis præcinctus oliva.

Eſt Sicoris è Pyrenæis ortus, & Calybs, cujus aqua ad ferri temperamentum multum valet. eſt. & fons *Burga* ita fervens, ut in eo ova coquantur, ſueſque facilè depilentur.

Montes celeberrimi ſunt Pyrenæi, qui longo jugo ab Oceano ad Mediterraneum excurrunt: quia & ab Ortu in Occaſum ad Celticum promōtorium Hiſpaniam in Ciſmontanam, & Ultramontanam procurrentes dividunt, præterea, ab

Pyrenæis montibus procedens jugum in Meridiem ad Iberi fontem Idubedã creat *Monte d'Oca*, ex quo emiſſus Oroſpeda, mollibus initio clivis, ſenſimque ſe efferens, ulteriuſque progreſſus *Molinæ* primum montes erigit, Conchæ deinde, mox ad Alcaraſſum, quæ forte urbs eſt Illergetum, argenteum montem attollit, inque Calpem, & Tarteſſum excurrit.

Præter memoratas urbes præcipuæ ſunt nova Carthago in Murciæ regno portu inſignis, & Haſdrubale conditore: hujus meminit Ovid. epiſt. 7.

Nec nova Carthago, nec te creſcentia tangunt Mœnia.

Burgi in Caſtella *Burgos* & Valliſoletum *Valladolid*. Tarraco *Tarragona*, Ilerda *Lerida* ad Sicorim ſita: cujus Luc.

ſuper hunc fundata venuſta

Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur undis.

Recepta poſt Dertuſam *Tortoſa*, Mauris ejectis anno 1143. noſtra ætate pluries tentata: & Urgella *Vrgel*, unde planities inter Pyrenæos, & Sicorim uberrima in Catalaunia. in Cantabria, Oeaſopolis, ſive Fons rapidus *Fonterabia*, fruſtra à Gallis tẽtata anno 1634 Flaviobriga *Bilbaa* emporio celebris. Brigæcia *Oviedo*, Caronium in Gallæcia *Coruña* portu nobile. in Luſitania Bracara *Braga* ad Conadum amnem, Conimbrica *Coimbra*. in Bætica Gades *Gadix* in inſula ædificata, & turribus munita Emporium toto orbe celeberrimum, ac dives. Tarteſſus à qua Sinus Tarteſſiacus *Teriffa* hujus meminit Silius:

Armat Tarteſſos ſtabulanti conſcia Phœbo.

hinc Tarteſſius. Ovid.

Preſſerat Occiduus Tarteſſia litora Phœbus.

Tarteſſi feles maximæ gignuntur, unde Tarteſſia felis proverbium de copia rerum, eſt etiam

lau-

laudatiſſima Muræna Tarteſſia. Ad Bætim Colonia Italica *Seviglia la vecchia* ad eam Herculeius Sertorii legatus cū Metello congreſſus XXM militum amiſit, ex ea orti Imperatores Traianus, Hadrianus, & Magnus Theodoſius ex Italis colonis oriundi,& Silius Poëta Italicus dictus.

Illuſtriores Academiæ Salmantica,& Complutū in Caſtellæ Regno: Conimbrica in Luſitania, Archiepiſcopatus in Hiſpania XII. Epiſcopatus LV. Hiſpani ſunt natura Melancholici,hinc tardi, tenaces,& ſuſpicaciſſimi, ingenio acres, ſed magis ſeveras diſciplinas amant, quam liberales artes; jactantes item,& bellaciſſimi. hinc Silius.

Prodiga gens animi,& properare facillima mortem.

Terra olim populoſa, nunc ob Maurorum vaſtationes, & colonias in Indiam miſſas infrequens: & parum culta, etſi glebæ ubertate nulli ſecunda metallis ſcatet,auro,argento,ære, plumboque dives,etſi effodi deſitum ſit,quodque nunc Hiſpanis India,olim Hiſpania Romanis erat. Religio in Hiſpania Catholica, multis ab hinc ſeculis,piè ſanctèque colitur.

CAPUT V.

De Gallia.

TRanſmiſſo Pyrenæorum ſaltu, Galliam ingredimur,cuius termini ab Oriente Rheni ripa, ab Occidente Oceanus Aquitanicus, à Meridie Pyrenæi,& Mediterraneum mare, à Septentrione Germanicus Oceanus:ejus maxima longitudo eſt ab extremis Pyrenæis in Oceanum excurrentibus ad Rheni, Vahaliſque divortia, ubi nunc Schenckii munimetum,eſt mill. DCC,latitudo à Gobæo promontorio *le four*, ad Varum uſque

mill. DCLX. quamvis alii longitudinem maximam ſtatuant ab Inſula Sena *Heyſſànt* ad Rhenum mill. Gall. CCC: latitudinem à Mediterraneo mari ad Galetum Mill. CCXXCV. Galli antiquum genus, Celtæ olim nuncupati, Græcis Galatæ, vel ab albo colore, vel à Galata Herculis filio, ut quidam tradunt. Quondam in Ciſalpinam, & Tranſalpinam diviſa: cum enim Galli Alpes tranſgreſſi in Italia inſediſſent circa Padum amnem, ea Italiæ pars Gallia Ciſalpina nuncupata eſt; Tranſalpinam, in Braccatam, & Comatam partiti veteres, Ciſalpinam Togatam dixere, Braccata, quæ & Narbonenſis prima Romanorum Provincia habet ab Ortu Alpes, quibus ab Italia diſiungitur, à Meridie Incluſum mare, ab Occidéte Pyrenen, à reliqua Gallia, Garunna fluvio, Gebenna monte, Rhodanoque diſterminatur. in hac hodie, quatuor Provinciæ Linquadocum, Sabaudia, Delphinatus, & Provincia, quæ veterem appellationem ſervat, vulgo *Provenza*. Comata in tres partes diſtributa Aquitaniam, Celticam, & Belgicam. Aquitania ſita eſt inter Pyrenæos, Oceanum, Ligerim amnem, & Gebennam. Celtica juxtà Augusti partitionem, quæ à capite Lugduno *Liòn* Lugdunenſis eſt appellata, iacet inter Oceanum Ligerim, Sequanam, & Matronam amnes. Belgica inter Rhenum, Rhodanum, Ararem, Matronam, & Sequanam amnes.

Celebriores Galliæ populi hi olim fuere. in Narbonenſi Provincia Allobroges quorum caput Geneva, & Vienna, nunc Sabaudiæ, & delphinatus populi. Centrones, quorum Principes urbes Axima, *Centròn*, & Tarantaſia. Segaluni, quorum Valentia, Vocontii quorum Dea *die* Caturiges, quorum Caturigomagus *Corges*: Gavares, quorum Avenio *Avignòn*: Salyes, quorum Aquæ ſen-

tiæ

tiæ *Aix*, Gabali *Vellay*. Ruteni *Rodès*: Helluij, *Albigeois*: Volcæ Tectoſages, Toloſa: Volcæ Arecomici, quorum Nemauſus, *Niſmès*.

In Aquitania, Vaſcones, qui ex Hiſpania in Galliam irrupere. *Guaſcogne*: Auſci, *Armaignac*: Vaſates, *Albrèt*, quorum oppidum *Bazus*. Bigerri: *Bigorre*. Tarbelli, quorum caput Aquæ Tarbellæ: *Acqs*. Auſcorum verò metropolis totius Aquitaniæ florentiſſima Eluſaberris *Aux*. Sunt & Cadurci *Quercis*, oppidum Devona *Cahòrs*: Petricorii, *Perigòt*, oppidum Veſonna *Periguex*. Alverni *Avvergne*, caput Auguſta Nemetum *S. Flour*. Lemovices. *Limosin*. Urbs Auguſtoritum *Limòges* Bituriges, *Berris*, quorum caput Avaricum *Bourges*: Pictones, *Poictu* Urbs Limonum *Poictiers*: Santones, *Samtogne*, metropolis Mediolanum *Saintes*.

In Celtica, ſeu Lugdunenſi Armorici, qui Britaniæ litora incolunt *Coſte di Bertagna*. Veneti quorum caput Vindana *Vannes*: Nannetes, urbs Condivincum *Nantes*: Andegavi, *Anjou*, oppidum Juliomagus, *Angièrs*: Turones, quorum caput Cæſarodunum *Tours*: Aulerci Diablintæ, caput Noviodunum *Maine*: Aulerci Cenomani, Urbs Vidunum *Mans*: Carnutes: Principes Urbes Autricum, *Chartres*, & Gennabum, *Orleàns*, regio appellatur la *Beauſſà*. Lexobii, quorum Noviomagus *Liſieux*, in Normandia: Pariſii, quorum Lutetia *Paris*: Senones quorum Agendicum *Sens* in Campania: Tricaſſi, quorum Auguſtobona, *Troia*: Ædui, ſivè Hedui, quorum Auguſtodunum *Autùn* apud Burgundos, tota Gallia celeberrimi. Vadicaſſes, quorum Noviomagus, *Nuis* apud eoſdem: Seguſiani, quorum oppida Forum Seguſianorum *Fours*, & Lugdunum.

In Belgica populi fuere, Taxandri, qui eas incoluere ſedes, quas nunc Zelandi, & inferioris

Bar-

Barbantiæ populi. Menapii, qui reliquam Barbantiam, & Geldriam ad Rhenum uſque, caput Caſtellum Menapiorum *Keſſel*. Morini, quorum Tervana *Tervàne*, qui Flandriam inter Oceanum, & Legiam amnem occuparunt: horum etiam Itius portus, *Boulogne:* Ambiani, quorum Somanobriga *Amiens:* Bellovaci, quorum regio Beavvoiſia, oppidum Cæſaromagus *Beavvè:* Caletes, quorum Juliobona, *Dieppe*. Vallocaſſii, quorum Rotomagus *Rouen* Atrebates, quorum Nemetacum *Arras*: Nervii, quorum Ragacum *Bavay*, & Cameracum *Cambrày:* Eburones, Condruſi, Segni, Cæreſij, Poemani, qui primi Germani appellati, ipſi verò ſe Tungros dixere, caput Amatuca *Tongren:* Veromandui, capue Auguſta Veromanduorum, *Vermanduè:* Sueſſiones, quorum Auguſta Sueſſionum *Soiſons:* Sylvanectæ, quorum Auguſtomagus *Senlis:* Remi, quorum Durocorcorum *Reims*. Treviri, quorum Auguſta Trevirorum, *Treviri*: Mediomatrices, quorum Divodurum. *Metz:* Leuci, oppida Tullium *Toul*, & Naſium, *Nanſy*: Lingones, caput Andomatunum *Langres:* Sequani, caput Veſontio, *Beſanzòn* Rauraci, quorum Auguſta Rauracorum *Augſt*, nunc verò Baſilea ad Rhenum. Helvetii: quorum pagi quatuor Tigurinus, *Zurich*, Tungenus *Zug*, Ambronius *Emme*, Urbigenus *Orbe*. Helvetiorum caput Aventicum *Vviſtisburg*, circa Rhenum Germanicæ gentes Trebeci, quorum Argentoratum, Nemetes quorum Noviomagus *Spira*: Vangiones quorum Moguntiacum *Mogonza*: Ubii quorum Colonia Agrippina *Colonia*: Lugerni, qui cum trans Rhenum habitarent Sicambri dicti, qui nunc Cliviæ, & Geldriæ partem tenent. Batavi *Bataun*, qui Rheni inſulam incolunt: Nam non procul *Clivis* oppido Rhenus in duo cornua diſ-

finditur. Siniſtrum Vahalis flumen eſt, qui in Moſam influit juxta Vercomum, dextrum verò uſque Batavodurum *Vvychte Duerſtede* lato procedit alveo, inde exiguus rivus Ultraiectum, & Lugdunum interluens in Oceanum vix labitur, arenis alveum opplentibus: quæ inter hos amnes inſula eſt Batavorum fuit.

CAPUT VI.

De recenti Galliæ diviſione.

UNiverſa Gallorum gens decennio à Romanis Cæſare duce domita, ſub Imperio manſit uſque ad Honorii tempora, quum circa annum CCCC. Gothi Narbonenſem Provinciam invaſere, quam *Langue de Goth* dixerunt, prolatiſque finibus uſque ad Ligerim regnum cõſtituere, cujus regia Toloſa. Iiſdem temporibus Burgundiones ab ultima Germania cum Vandalis, *Svevi*ſque in alias Galliæ partes irrupere, regnumque Burgundiæ ſtatuere, cujus regia Arelate, ſub quo Provincia, Sabaudia, Delphinatus, utraque Burgundia, & Ludunenſis ager. Non multo poſt Franci Germana gens (alii Tauricam faciunt) Rheno traiecto Belgicæ partem occuparunt, mox à Gothis eiecti, non multo poſt tempore rediere, ultraque progreſſi Pariſios tenuere, conditumque Regnum Franciam vocarũt, cujus princeps Lutetia. qua etiam tempeſtate nova Barbarorum irruptione, Britanni à Saxonibus, Angliſque pulſi in extrema Celticæ deſcendere, Britanniamque appellarunt. Secutis temporibus Clodovæus V. Francorum rex, Gundebulto Burgundiæ ſuperato, Gothiſque eiectis, utrumque Regnum Franci juris fecit. Verum vita excedens IV. Filiis qua-

tuor Regna diſtribuit. Primus Fráciæ Rex dictus, cui data Cãpania, Cenomani, Turones, Andegavi, Aquitani, Aruerni. Secundus ſueſſionum rex, cui paruere Veromandui, Neuſtrii, qui & Normanni, Piccardi, Vandri. Tertius Burgundiæ, ſivè Aurelianí rex, cui totum Burgundiæ Regnum conceſſum, & Aurelianenſis Ducatus. Quartus Auſtraſiæ rex, cui obvenit quidquid inter Moſam, & Rhenum eſt, cum Urbe Metenſi. mox ad Clotarium totum pervenit, & item ad Clotarium II. at Caroli Magni tempore, Auſtraſia iterum divulſa, mox Flandria: & tandem Henricus III. Burgundiæ regnum Germaniæ adiunxit: at non multo poſt diviſum, direptumque eſt. Beroaldus dux Saxoniæ Sabaudiam invaſit, manetque ſucceſſoribus. Otho Flandriæ Comes eam partem tenuit, quæ liber Comitatus *Franca Contea* dicta eſt, qui cum Flandria ad Hiſpaniæ Reges tranſit: & tandem à Ludovico Magno Galliæ reſtitutus. Guigius Comes, eam partem tenuit, quã Delphinatũ nuncupavit à nomine filii ſoceri, hanc Humbertus Galliæ Regi vendidit, ea pactione, ut Franciæ primogenitus Delphinus vocaretur. Boſo Provinciam, & Arelatenſe regnum ſibi vindicavit, quod ſecuti mox Galliæ reges recuperarunt, Avenionenſem Comitatum in Arelatenſi regno, Joanna Provinciæ Comes Clementi VI. Pontifici conceſſit: eſt etiam nunc Pontificii juris.

Hac tempeſtate Gallia uni paret, quamvis ejus fines anguſtiores, quam ſub Romanis, nam pars circa Rhenum ad Germaniam ſpectat, & inferior Germania, ſeu Belgium non totum Gallici juris eſt. Illius verò celebriores Provinciæ ſunt Britannia, *Bertagne* cuius primus Comes Conanus, ultima Anna, quæ Ludovico XII. nupſit, quibus Nuptiis Britannia Regno adnexa, Normannia,

Normandie, cuius primus dux Rollo Normannus, qui circa annum DCCCCLXI. à Carolo ſimplice Neuſtriam obtinuit, cuius filiam duxerat. ultimus Dux Arturus, quo occiſo, Normannia ad Philippum acceſſit. Piccardia, *Piccardie*. Campania, cuius primus Comes Cerlo Normannus Ruſſlonis ſocius, ultima Joanna, quæ Philippo Pulchro nupſit, coniunctaque Regno Campania cum ſuis ditionibus. Franciæ inſula, *L'Iſle de Franſe*, Belſia, la *Beauſſè*, cuius primus Comes Otho Normannus, cujus ſucceſſoribus extinctis, regno ceſſit. Bituricenſis ducatus, *Berry*, cuius primus comes Harpinus, dux ultima Margareta, Franciſci regis Filia, quæ Emanueli Allobrogum duci nupſit. Andegavenſis Provincia, *Angiò*, cuius primus comes Paullus, ab Rege Chilperico occiſus: ultimus Carolus, qui ducatum Ludovico XI. reliquit. Comitatus Cenomanenſis *le Maine* cuius primus comes fuit Ludovicus Valeſius, poſtremus Renatus Andegavenſis. Bleſenſis comitatus, *le Conte de Blois*, *& Blaiſuè*. Belſiæ pars, cuius primus Comes Theobaldus ſenior Normannus. Turonenſis Provincia *Touraine*. Pictavienſis *Poictù* Olim Regnum ſub Gothis, quibus eiectis, primus Dux Arnulphus, mox Anglis paruit, quibus ob ſævitiam expulſis, Franciæ Regno cum tota Aquitania acceſſit. Santonenſis tractus *Sacntogne*, Petricorienſis *Perigort*. Inculiſmenſis ager, *Angoulèſme*. Lemovicum *Limosin*, Burbonenſis ducatus *Bourbonuè*. Hujus regionis ultimus princeps habuit Agnetem, quam Roberto Ludovici IX. filio dedit, ea lege, ut qui nati fuiſſent liberi Borbonii vocarentur, ex qua gente Henricus IV. Navarræ rex univerſum Galliæ Regnum, adeptus. Cadurcium *Quercis*, liberi olim populi, ut ait Cæſar, Guienna corupte ab Aquitania

nia,cujus Metropolis Burdigala, Urbs florentiſſima,& celeberrimum Galliæ Occidentalis emporium Patria Auſonii, de qua ipſe:

Deligo Burdigalam, Romam colo, civis in hac ſum,
Conſul in ambabus: cunæ hic, ibi ſella curulis.

arcem habet munitam vulgò *Caſtel Trompette*. Vaſconia à Vaſconibus, *Gaſcogne*: utraque veteris Aquitaniæ pars. Linguadocum, de quo ſupra. Provincia *Provenza*, cujus caput Aquæ Sextiæ *Aix* Urbs culta, ac dives: ad mare Maſſilia, Telo Martius, portus tota Europa nobiliſſimus, & Galliæ ad Mediterraneum navale, alterum ad Oceanum in Britannia Vindana *Breſt*. Pares Franciæ à Carolo Magno inſtituti XII. Eccleſiaſtici ſex, Archiepiſcopus Remenſis *Rems*, Epiſcopus Laudunenſis *Laòn*, Epiſcopus Lingonenſis *Langres* Duces: Epiſcopus Catalaunenſis *Chialòns*, Noviodunenſis *Noyòn*: Bellovacenſis *Beauvais*, Comites: Seculares, duces Burgundiæ, Normanniæ, & Aquitaniæ, comites Flandriæ, Toloſæ, & Campaniæ. Conventus, vulgo *Parlamenta*, octo Pariſienſis, Rotomagenſis, Redonēſis *Renès*, Divionenſis, Burdigalenſis, Toloſanus, Gratianopolitanus, Aquenſis: His duo additi, in Bearnia *Pau*, & Metenſis in Lotharingia. Archiepiſcopatus XV. Epiſcopatus verò CIII.

CAPUT VII.

De Fluviis, Montibus, Urbibus præcipuis Galliæ, de gentium moribus, ac ſoli ubertate.

CElebriores Galliæ fluvii ſunt Sequana, Ligeris, Garumna, Rhodanus. Sequana *Seyne*, oritur in Burgundia in Alſeti regione, luſtratiſque populis multis, Pariſiis, & Rotomago in Britannicum mare

mare amplo oſtio decurrit. In Sequanam influit. Matrona *Marne*, Eſia *Oyſe*. Axona *Aiſne*. Ligeris oritur in Pago Velauno, *La fonte de la Loire* amplus eſt, & limpidiſſimus, ampliſſimoque alveo Oceanum ingreditur magnorum navigiorum patiens, ſed ante excipit Elaver, *Allier* Carim *Cher*, Vigennam, *Vignane*, & Meduanam, *Mayne*. Garumna oritur ex Pyrenæis prope oppidum *Cadalup*. acceptiſque Tarni, *Tara*, Egircio, *Gerſ ol-dus*, Duranioque *Dordonne*, irrigataque Burdigala, in Aquitanicum mare, ingentiore prorumpit. Rhodanus *Roſne* oritur haud procul Danubii, Rhæni, Arolæ, Ticinique fontibus ad montem, qui *Briga* vulgo dicitur, Juræ pars: non longe à fonte in Lemanum lacum deſcendit, relictoque ad Genevam, luſtratoque Lugduno, Mediterraneo mari ſe miſcet, auctus Arari *Sone*, Druna *Droſne*, & Druentia, *Durance*. Eſt, & aliis innumeris Fontibus Gallia paſſim irrigua. De fluviis Galliæ Sidonius ſic cecinit.

Iſſum jam Gallia laudat,
Quodque per Europam rigidis hunc abluit undis,
Rhenus, Arar, Rhodanus Moſa, Matrona, Sequana, Le-
Clitis Elaris, Arax, Vacalis Ligerimque bibenni (dus:
Excíſum per fruſta bibit.

Montes Gebenna, Vogeſus, Jura: Gebenna Alvernos ab Helvetiis disiungit. *Montagne de Gebennes, & d'Arugne.* Vogeſus *Mont de Faucilles* Burgundiam à Lotharingia, & Alſatia dividit: gignitque Moſam, & Moſellam. Iura, qui & Iurallus, *Iurten*, aliiſque nominibus dicitur Germanos, gallos, atque Allobroges dividit. hunc totum fere Helvetii tenent.

Urbes ſunt Pariſii, ſivè Lutetia inter quatuor Europæ magnas Urbes maxima: ſunt enim illæ Lutetia, Conſtantinopolis, Moſcua, & Uliſypo.

Ad

Ad Sequanam ſedet, Regni caput, Magni regis aula, opulentiaque nobiliſſima, tanta civium multitudine frequens, ut anno 1681. nati infantes 17424. dicantur: mortui verò 22016. matrimonia celebrata ſunt 4244. Regiæ ædes, Lupara, vulgò *La Lovure*, & Princeps Eccleſia *Noſtre Dame de Paris* cultu, divitiis opificio nobiliſſimæ. Suburbia inſtar magnarum urbium. præcipuum *S.*Germani, ubi interdum Rex inhabitat. Urbs facta Archiepiſcopalis ab 1622. Academia à Carolo Magno inſtituta toto Orbe celeberrima, Sorbona appellatur, & doctores Sorbonici. Ambianum Piccardiæ caput *Amiens*, Rhotomagus *Roan* opulentiſſimum Galliæ ad Oceanum Britannicum Emporium Normanniæ Princeps, ad Sequanæ æſtuarium, de qua in Itinerario.

Luce ſequente, agrique incluſam montibus urbem
Rhotomagum aſſequimur, celeri qua Sequana curſu.

Andeganum *Angiers*, Turonum *Tours*, Aurelianum *Orleàns*, Remi. Tricaſſum *Troia*, Divionum Burgundiæ ducatus caput *Diiòn* Cabilonium *Chaalòn*. Lemonicum *Limoges*, Pictavium, *Poictiers* Rupellæ ad Oceanum celebre Emporium. Martius Narbo *Narbona*. Monſpeſsulanus *Montpellier* Urbs magna, & ſplendida. Maſſilia, *Marſeglia*, inſigni portu, & emporio nobilis, à Phœnicibus condita. Aquæ Sextiæ, *Aix*: aliæque de quibus ſuperius dictum. Academiæ illuſtres ſunt Lutetiæ Sorbona appellata, Cadomi, Andegavi, Aureliani, Biturigibus, Pictavii, Burdegalæ, Toloſæ, Montiſpeſſulani.

Galli proceri corpore, ait Livius, albo colore, flavique coma ſunt, ut Poëta.

Aurea Cæſaries illis, atque aurea veſtis
Virgatis lucet ſagulis, tum lactea colla
Auro innectuntur.

Sunt

Sunt pariter arguti, & fortes, quare M. Porcius Cato Originum lib. 2. Pleraque Gallia, inquit duas res induſtrioſiſſime perſequitur, rem militarem, & argutè loqui: Gloriæque adeo appetentes, ut fugere ignominioſiſſimum ducant. moribus candidi, & urbani, etſi interdum mirum in modum ferociant, primo impetu plurimum valent, laborumque impatientes, hoc ævo, & literis, & belli gloria plurimũ florent. Religio olim permixta, nunc Hæreticis eiectis, una, eaq; Catholica. Tellus undique fluviis irrigata mirum in modum ferax, præterea planus ager, & lenes colles omnigena fæcunditate luxuriant, monſtris vacat, noxioque animalium genere. Auri, argentique Fodinas eſſe etiam in Gallia auctores commemorant.

CAPVT VIII.

De Novo Belgio ſeu inferiori Germania.

QUidquid terrarum inter Piccardos Franciæ limitem ab Occaſu eſt, Colonienſem ditionem, ac Trevirenſem à Meridie, ab Ortu Veſphaliam, à Septentrione Oceanum, Belgium, & inferiorem Germaniam vocamus, indigenæ *Nederlant.* Itali, Galli, Hiſpani *Flandriam* ab una illius parte omnium clariſſima. Regio, & agrorum cultu, & pagorum frequentia, & urbium magnitudine, & armorum paleſtra totius Europæ florentiſſima. Qui cis Rhenum fuerint populi, jam expoſuimus; ultra hi fuere. Friſii à Rheni oſtio, uſque ad Amiſiam *die Ems*, qui hodiè ſunt Hollandi, Occidentales Friſii, Gronigenſes, & Vltraiectenſes: Bructeri in Tranſiſalana Provincia: Marſaci, inter Rhænum, & Iſalam amnes, *Amersfort*. Qui in Gallia

ſunt

ſunt Belgæ, eos Cæſar Romanis vectigales fecit: Hos verò L. Druſus ſub Auguſto ſubegit Theodoſii verò tẽpore direptum à Barbaris Belgium: variique creati ſunt reguli, totaque Provincia, in XVII. diviſa fuit. Sunt autem IV. ducatus Barbantia, Limburgium, Lucemburgium, Geldria: Comitatus VII. Flandria, Arteſia, Hannonia, Hollandia, Zelandia, Namurcum, Zutphania, Marchionatus S. Imperii Antuerpia. Dominia quinque Friſia Occidentalis, Mechlinia, Traiectum Tranſiſalania, Groninga. Friſia primum CCCC. fermè annos regibus paruit, quibus extinctis, Carolus Magnus potitus eſt, mox ut reliquæ à regulis gubernata. Secutis verò temporibus omniũ Provinciarum dominus factus eſt Carolus Burgundiæ Dux cognomento Audax, Abavus Caroli V. Auſtriaci, ad quem Belgium hæreditario jure pervenit Philippoque Filio Hiſpaniarum regi reliquit. Non longo poſt tempore natæ ex inferis Hereſes, ſpemque libertatis populis præferentes, univerſum ferè Belgium Regi ſuo eripuere: ortumque ſæviſſimum bellum, quod XL. annos Europam totam afflixit. quo pars Belgi Regi reſtituta, pars in priſtinam libertatem rediit, inque Reipublicæ formam, Belgium fœderatum appellata eſt. Quæ regi ſubiectæ, hæ fuere Barbantia, cujus caput Bruxellæ magnifica Urbs, & ducum ſedes, nunc Præfecti Hiſpani, olim fuit. Antuerpia titulo marchionatus S. Imperii inſignita, Emporium olim Europæ celeberrimum, ac florentiſſimum ad Scaldis ripam ſita, & munimentis fortiſſima. Sunt etiam Lovanium Academia nobile, Mechlinia, una item ex Provinciis Archiepiſcopatu inſignis. Lira, Sylva ducis, aliæque. Flandria comitatus tota Europa maximus: Cujus caput Gandavum *Gant* ampliſſima Urbs, & Caroli V. natali nobilis.

bilis,Bruggæ.Tornacum,Cotracum,Duacum,Inſulæ *Lilla*,Ypræ.Arteſia, cuius caput Atrebatum *Arras*,& celebre munimentum Fanum D. Audomari *S.Omèr*.Hannonia cujus metropolis Montes *Mons*,Cameracenſis ditio *Cambresis*,cujus Cameracum *Cambrày*, ſedes Archiepiſcopalis, & contra Gallos validum olim munimentum.Namurcum, cujus caput urbs eiuſdem nominis ad Moſæ, & Sabis *Sābre* confluentia ſita,arce validiſſima. Luceburgium ab urbe dictum, quæ tam inelegans, quam arte,& loco munita. Liburgium cum urbe ejuſdem nominis. Geldria ampla Provincia, quæ partim regi, partim Fœderatis adnexa. Hiſpanis parent Geltria urbs Provinciæ princeps,& Ruremunda Epiſcopi ſedes, partiũ fœderatorum Neomagus *Nimèga*. Ex his noſtra ætate à Gallis occupatæ,regnoque adiunctæ Arteſia, Cameracum, Luceburgium,magna Hannoniæ pars,& tota fere Flandria Gallicana,cuius caput Inſulæ.

Provinciæ fœderatæ hæ ſunt,Hollandia, cuius caput Amſtelodamum toto orbe celeberrimum, & Mercatu, & opulentia potentiaque florentiſſimum:ex quo in utraſq; Indias quãplurimæ Coloniæ miſſæ.eſt etiam Lugdunũ Batavorũ, *Leydē*, omnium Belgicarum urbium Cœli ſalubritate, amœnitateque ſplendidiſſima. Roterodamum, Haga comitis *Haia*, nobiliſſimus Europæ vicus, olim ſedes Comitum Hollandiæ, nũnc Concilii Provinciarum.Zelandia, quæ plures complectitur inſulas cuius præcipua Vvalachria cum urbe Principe Middelburgo: eſt Fliſinga portus celeberrimus. Ultraiectenſis Provincia, ab urbe Ultraiecto *Utrèch*, ubi olim Friſiorum ſedes Epiſcopi. Tranſiſania *Over Yſſel* ab Iſala amne cognominata, in qua urbes deventria.Zutphania ab urbe dicta *Zutphen*, Friſia Occidentalis *Vveſt-Frieſ-*

Frieſlandt, cuius caput Leovardium *Lievarden* ſplendidum, & magnificum, ubi Provinciæ conventus. ultima tandem eſt Groningenſis ab Urbe Groninga; *Groeningelandt*. Academiæ in Belgio Regio Lovanienſis, & Duacenſis: in Fœderato Lugdunenſis, Franikerana, & Groningenſis.

Fluvii illuſtres Moſa, Scaldis, *Schelde* qui in Oceanum Germanicum irrumpunt. Sabis *Sambre*, qui in Moſam ſe exonerat, præter Rhenum, & Vahalim, Iſalamque. Sylva celeberrima Arduenna.

CAPUT IX.

De Inſulis Britannicis.

E Belgio, Rheniquæ oſtiis proximus eſt in Britannias excurſus: Britannias antiqui eas inſulas dixere, quæ in Oceano poſitæ Europæ adiacent. præcipuæ duæ fuere, major, dicta etiam Albion, quaſi albicans, & minor, Ibernia appellata. Maioris Britanniæ longitudo à Tarvidio promontorio *Dunsbyheat*, ad Dubrim uſque *Dover* eſt mill. D, latitudo inter Dubrim, & Bolerium promontorium *the landes end* CLXXX. forma ferme Triquetra: Orientale latus reſpicit, Scandinaviam, Occidentale Hiberniam, Meridionale Galliam: Septentrionalis vertex in Caledonium Oceanum exurrit, uſque ad gradum lat. LIX. contra in Arctico circulo Thule eſt. Ut olim inculti, & barbari fuerre incolæ, ita incompertum, qui primi habitatores, & unde advecti, veriſimile tamen eſt, ex proximis regionibus adnavigaſſe. nullas olim urbes habuere, ſed creberrimis ædificiis diſperſim ingens multitudo inhabitabat. ut verò Inſulam Romani tenuere cultius extructis urbibus incoluere, urbanoſque ri-

ritus ex Romanis coloniis didicere:celebres verò coloniæ Camalodunum *Malden* maritimum in Eſſexia oppidum,& Londinum *Londra* Emporio, & conventu jam tunc ſatis nobile. Julius Cæſar Romanorum primus ex Gallia in Britanniam legiones duxit, aditumque poſteris aperuit verius, quam ſtraverit, etſi felici certamine gentes vicerit. Mox Claudius Cæſar, cum iterum traieciſſet, incolas domuit:inque Provinciæ formam redigi cœpta ea pars Britanniæ, quæ Galliæ contermina eſt. tandem ſecutis temporibus tota inſula, ut ex Severi,& Conſtantini Hiſtoriis liquet, ſubacta eſt. manſitque ſub Imperio ad Theodoſij uſque tempora, cum evocatis legionibus ad tutandam Galliam, inermis relicta eſt. qua Occaſione Scoti, ac Picti, qui ultima inſulæ incolebant, eaque montana, quibus confiſi ſæpius rebellarant, in citeriorem, nimirum Angliam, irrupere: quos ut repellerent, Anglos, & Saxones è Germania Britanni evocarunt, qui Scotis, Pictiſque pulſis, hoſpitii fidem violarunt, Britannoſque pepulerunt. Iii pars in Galliæ extremum angulum navigarunt, pars intra Valliæ montes ſe munivere, quæ ad hæc uſque tempora antiqua Britannorum gens creditur. Tunc factum, ut Scoti regem ſuum habuerint, ſuum Angli; qui ſuperatis tandem, qui in Vallia regnabant, Anglorum regnum ampliarunt: factumque, ut Angliæ regis primogenitus Valliæ princeps appellaretur.

At ſecutis temporibus cum luxu, & flagitiis omnia tenerentur, illorum pœnas repetente Numine, in inſulam Dani irruperunt, regnumque ad Suenonem, & Canutum Magnum pervenit. His non multo poſt eiectis, Guillelmus Nothmāniæ Dux è Gallia evocatus tamquam legitimus hæres; Rex conſalutatus eſt anno 1067. hujus ve-

rò cum ſtirps defeciſſet, in Henrico I. *Stephanus* Comes Bononienſis Henrici ſorore genitus ſuffectus eſt anno 1135.

Ante annos CCCC Robertus Suartius ex Comitibus Louquhabriæ per Marioriam matrem filiam Regis Roberti Brus ad *Scotiæ* regnum evectus, ex cujus ſucceſſoribus Jacobus VI. per Margaretam proaviam filiam Henrici VII. ad Angliæ regnum accerſitus.

Fuit etiam apud veteres tota Britannia in majorem, & minorem diviſa, Major quæ nunc Anglia, minor, quæ Scotia. in maiori clariores populi Oſtidamnii, & Damnonii *Cornuvàl*. Durotriges *Devonshire*: Belgæ *Sommersèt*, Segontiaci *Soutſex*, & *Southamptòn*: Briboci *Surrey* Cantii, quorum regio Cantium *Keat*, Tribonantes *Middelſex*, & *Hardforshire*. Caſſij *Cambrigde*, & *Eſſex*: Zoeni *Nortfolch*, & *Suffolch*, Ancalitæ *Oxford*, & *Buckingàm*, Dobuni *Gloceſter*: Silures, Vallia, vuolgò *Vvalles*, & *Galles*: Ordovices *Cardigàn*: Demetæ, *Carmathin*: Cornavii *Cornavan*: Coritani *Lincoln ſhire*: ; Pariſij, *Torck ſhire*: Brigantes *Northumberlànt* Meætæ *Cumberlànt*. Ex his Silures bellicoſiſſimi, Brigantes numeroſiſſimi.

In Minori, quæ Caledonia, præter Caledonios extremos inſulæ, Caledoniam Sylvam, & Grampium montem, obſcura omnia, ut meritò Scotia dicta ſit: memorantur tamen *Scoti*, & Picti.

CAPUT X.

De nova majoris Britanniæ diviſione, Vrbibus, fluviis, cultuque ſoli, & gentis.

VT jam memoravimus, univerſa Britannia in duo regna dividitur, Angliam, & *Scotiam*, quæ

quæ gemini dividunt fluvii Tueda, & Solveius. Angliæ longitudo à promontorio *Vvaymouth* propè Dorceſtriam ad Barvichum oppidum eſt mill. CCCXX. latitudo ab oppido D. Davidis ad *Yarmouth* mill. CCXL. at minima, ubi olim Murus à Romanis extructus ad incurſionem Barbarorum reprimendam, vix eſt mill. LX. Anglia in duas olim partes diſtributa, Cambriā, ſeù Valliā, & Loegriā, in quibus olim ducatus aliquot, nunc in LII comitatus diſtinguitur, quos incolæ *Shires* vocant, totius Regni caput Londinum poſt quatuor celeberrimas Euoropæ Urbes prima divitiis, atque ædificiis ſplendidiſſima, illius mænia Magnus Conſtantinus poſuit. ad Tameſim ſedet amœniſſimis in campis. pontem XIX. fultum fornicibus ex ſaxo, continuiſque ædibus adornatum Joannes Rex ædificavit. at Æthelbertus D. Paulo Baſilicam Sacravit, Epiſcopi Sedem illi Pyramis impoſita plumbo obtecta, cujus vertex altus pedes XXXIV. priuſquam anno 1081. cælitus tacta deflagraret. Arx amplo vallo, ac turribus munita Londinenſis dicta Tameſi adiacet. Suburbia continuis ædificiis ſecundum fluvium excurrunt ad Monaſterium tota Anglia celebertimum, ab Occiduo ſitu *Vveſtminſter* appellatum, quod Religioſis D. Benedicti Eduardus Rex tradidit, in eo Reges inaugurantur, vitaque functi tumulantur. Regium palatium ampliſſimum genti *Vvitehall* nimirum Alba Aula dictum. de Londino in itinerario ſic habetur.

Sero Londinum admiſſo properante veredo,
Sed primo Tameſis traiecto ponte, ſubimus.

Cæterum Tameſi ad Dorceſtriam confluentes Tama, & Iſis nomen faciunt quorum hic ex Vultonia fluens Oxonium *Oxford* rigat Britanniarum Athenas collegiis XVII. aulis VIII. atque

inſtructiſſimis bibliothecis celeberrimas. ferunt ibi aliquando numerata XXX. millia diſcipulorum. Tameſis maximus fluviorũ Angliæ torrentem excipiens *Meduveàg* navale conſtituit claſſi regiæ, inſulamque facit Toliapim *Shemppye* ab avibus dictam. Tameſis Salmonibus, & ſiluris dives. cum æſtu tumet onerarias Londinum uſque ad LX. millia paſſuum devehit. Secundum locum tenet Eboracum, *Torck* Urbs celeberrima. in ea patrum memoria in ædicula, ubi Conſtantinum Chlorum ſitum fama erat, ardens lampas reperta. Briſtolium *Briſtoàl* Gallicarum mercium nobile emporium, Cantuaria *Canterburì*, cujus Archiepiſcopus Angliæ primas, ut Remenſis Galliæ, Hiſpaniæ Toletanus. Cantabrigia *Cambrìgde*, altera Angliæ Academia illuſtris, & ædificiis. Vvarvicum, Vvervàch, olim Romanorum præſidium, nunc caſtrum opere, & natura munitum, cum inſigni oppido. Portus celebres Dubris, Pliſmouthum, & Cheſtria. Ad Angliam hæ inſulæ ſpectant, ab Occaſu Mona, *Man:* Menavia, *Angleſèy*. Anglis, Vallis verò *Mon*, à Meridie Vectis *Vight*, in Anglia Archiepiſcopatus duo Epiſcopi XXIV.

Scotię longitudo à Meridie ad Septentrionem inter Promontorium, quod Hiberniam ſpectat *the Mule of Gallovày*. & Caledonium Orcades contra *Dunsby heat* eſt mill. CCLXXX. latitudo à promontorio Novantum *Ardermouth heath* ad Buchananum *Buguhamnes* eſt. mill. CC. Regionem medius ab Occaſu in Ortum procurrens Grampius mons ſecat, qui vulgò *Gransbaim* dicitur: qui Merionalem partem tenent cultiores ſunt, Anglis perſimiles, quorum moribus, & lingua utuntur, qui ad Septentriones Sylveſtres, ac feri ſermone, habitu, moribuſque Hibernicis vivunt. Regni caput Edenburgum, Sunt etiam Ar-

chie-

chiepiſcopatu, & cultu nobiles Glaſcum, & Fanum D. Andreæ, in hac, & Aberdonii urbe Academiæ, ultima portu celebris. Epiſcopi XIII. ad Occidentale Scotiæ latus ſunt Hebrides inſulæ numero XXX. *Veſternes*. Ad Septentrionem Orcades XL. *Orknay* has ſuprà Acmodæ *Farre*.

Britanniæ fluvii Tameſis *Tamigi*, jam memoratus. Sabrina *Saverren*, & *Humber*, latiſſimis oſtiis navibus acceſſum præbent. Camus, qui Cantabrigiam rigat, & Vla, qui anno MCCCIC. paulo ante civilia bella Lanclaſtrenſium, & Eboracentium per tria millia paſsuum aruit, aquis retrocedentibus, mirumque extumeſcentibus. Britannici ſoli natura, etſi rigido ſub cœlo, ferax eſt, cultuique parens, metallis, ferro præcipue dives. Homines induſtrii, & qui olim Barbari, & rudes, delicatiſſimi nunc ſunt, atque eruditi: at genio volubiles, ac tumultuoſi, cujus hoc ævo inſignia dedere argumenta regibus altero, carnificis manu obtruncato, altero eiecto. Religio olim Catholica innumeris piis, Sanctiſque regibus exculta, nunc, Hereſi omnia devaſtante, depravata, ſchiſmate, & variis erroribus. Regem, Sacrorum item principem colunt. Gallis olim terra, marique formidabiles, nunc ne mari quidem pares, ſic omnia verſante fortuna. De Britannis meminit Virgilius ecloga 1.

Et penitus toto diviſos Orbe Britannos.

Circa Scotiæ litora Electrum colligitur, quod aliqui Pini arboris ſuccinum putant, alii bitumen ex lapidibus profluens, quod maris frigiditate obdureſcit, aurei coloris eſt, & grati ſi pefricetur, odoris. hujus ingens item copia ad Germaniæ litora. de quo nos Halieut. IX. de Nereidum metamorphoſi canentes, ſic

Dum caſus miſeræ deflent, atque aſpera fata.

Muſcoſis ſtillant flaventia ſuccina ſaxis.
Frigore quæ multo concreta, æſtuque marino,
Sithonii vicina ferunt ad litora venti.

anno MD ferunt ingentem maſſam repertam equo parem. abundat item Salmonibus univerſa Britannia, qui affatim in fluminibus capiuntur tantę molis ut XL libras pendant. eſt itẽ Arecidum *harengas* vulgus vocat ingens vis, de quibus nos libro V. Haliet. de his piſcibus illud mirum narratur: ſi aliquo in loco eorum occaſione cædes, aut humani ſanguinis effuſio contigerit, ab eodem per aliquot annos abhorrere, tantum homicidii vel brutis odium.

CAPUT XI.

De Hibernia, & Thule.

MInor Britannia, quæ & Hibernia, nunc appellatur *Irlanda* ad Occidentem poſita, cujus maxima longitudo à Motio promontorio *Myſsin Head* ad ultimum Septentrionis latus Robogdium, eſt mill. CCCXL. latitudo inter Dublinum, & Gallivam *Gallovày* mill. CXX. de hac Pomponius ſic habet: *Adeo luxurioſam herbis, non latis modo, ſed etiam dulcibus, ut ſe exigua parte diei pecora impleant, & niſi pabulo prohibeantur, diutius paſta diſſiliant: Cultores eius inconditos eſſe, & omnium virtutum ignaros, magis, quam alias gentes*, at ſi olim ità, modo culti, humani, atque literis perpoliti Cœlo gaudent miti, ac ſereno: nec noxium habent animal, Straboni Ierna appellatur, hinc Claudianus:

Munivit Stilico, totam cum Scotus Iernam.

Hibernia verò ab hyberno tempore dictam nonnulli putant. In Inſula memorantur hi populi

Bri-

Brigantes, Cauci, Menapii: quos ex nomenclatura conſtat è Gallia, Germaniaque illuc navigaſſe, primos alii incolas Hiſpanos fuiſſe ex Cantabria advectos voluerunt. Romanis intacta, ſuis legibus vixit, nunc Anglis paret, dividitur in quatuor regiones, quæ ſunt Langinia *Lenqueſter* ad Orientem cultior, Mononia *Mounſter* ad Meridiem: aſperiores ſunt Canonia ad Occaſum *Connacth*, Hultonia *Quunſter* ad Septentrionem. Comitatus ſunt XXXIII. Regni caput Dublinum, olim Armacanum *Armagh*. Sedet ad Liffij ripas VII. millia paſſuum ab oſtio diſtans, Emporio Templo S. Patricii, & Bibliotheca inſignis, cæterum incolæ Dublinum *Ballaclich* vocant. Reliquæ urbes, oppida verius ſunt, Archiepiſcopi IV. Epiſcopi XXX. Academia Dublini. celebre munimentum Limericum, *Lymerich*: portus celebris *Arglas*. Hiberni magna parte Catholici, reliqui Anglicana hæreſi infecti. Illos autem ad fidem adduxit D. Patricius *S.* Martini affinis, & S. Germani diſcipulus ſub Cæleſtino, anno CCCCXXXII. Thule, quæ *Island* appellatur in Hyperboreo mari, ultima Britannicarum, à frigore, & glacie dicta *Islandt* magnitudine Hibernia major, horrida, inculta, & barbara, eſt tamen Meliſæis catellis clara, & Hecla monte, qui perpetuò flammas eructat, rivisque calidis, & ſulphureis paſſim ſcatet. ferunt cacodæmones miris larvis incolas interturbare. Daniæ regi ſubiecta eſt. Urbs præcipua *Schalolt*. de Thule Virg.

Numina ſola colant: tibi ſerviat ultima Thule.

* *
*

CAPUT XII.

De Veteri Germania.

E Britannicis inſulis rurſus in Europæ continentem deſcendimus:& quæ prima nobis occurrit Germania eſt,inculta olim,& barbara, ſylvis ,ac feris horrida, & vicis nulla elegantia, cultuque habitata;nunc verò, mutata in meliorem aſpectum natura, omnis eruditionis palma inſignis, artium novarum inventrix , civilibus moribus exculta,ornata legibus,ac florentiſſimis urbibus, Faniſque divorum perpolita, cultuque dives agrorum facta eſt. tanta rerum humanarum viciſſitudo . Germaniæ olim termini, hi fuere: ab Occidente Rhenus, quo à Gallia ſeiungebatur, ab Oriente Viſtula amnis, ultra quem Sarmatæ; à Septentione Germanicus Oceanus,& Balthicum mare:à Meridie Danubius. At Cluverius ampliſſimos facit Germaniæ limites, totamque peniſulam Septentrionalem Germaniæ adnectit. item Pecuinos, qui à Viſtulæ fontibus, uſque ad Euxinum habitabant, & ad Septentriones Pruſſos, & Livones: atque illius lõgitudinem à Scritofinniæ promontorio *Noortkin* ad Danubium uſque conſtituit mill. MCC. latit. verò à Rheno prope Baſileam ad Amadocam uſquePaludem,in confiniis Ruſſiæ,Lituaniæ, & Podoliæ ſita,eſt mill. DCCC. Ego logitudinem ſtatuo ab Alpibus ad ultimum Cimbriæ promontorium mill.DCC.latitu.ab Alſatiæ montibus ad Pomeraniæ limitem mill.ferme DC. Termini eius nunc ſunt ab Occidente Gallia,ex qua Belgium,Lotharingia,Alſatia Burgundiæ Comitatus, & Helvetii avulſi ad Germaniam ſpectāt: ab Oriente Polonia,quæ ferme to-

ta

ta ex Germania avulſa eſt,& Hungaria,à Septentrione Oceanus,& Balthicum mare,à Meridie Alpes, quibus ab Italia dividitur: Ex qua parte ad Germaniam acceſſere Rhætia, Noricum, Vindelicia,& Superioris Pannoniæ pars. De Germaniæ nomine ſic Tacitus: *Quidam plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marſos, Gambrivios, Svevos, Vandalios affirmant, eaque vera eſſe, & antiqua nomina.* Cæterum Germaniæ vocabulum eſt nuper auditum; *quoniam qui primi Rhenum transgreſſi Gallos expulerint tunc Tungri, nunc Germani vocati ſint: Ita nationis nomen, non gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes primum à victore, mox à ſe ipſis invento nomine Germani vocarentur.* Nonnulli ſic dictos putant, quaſi Germani, à fraternitate, ut hoc incitamento arctius coniungerentur; alii quaſi viri fortes,& bellicoſi, *Man* virum, *Mannen* viros ſonat: *Verren* pugnare, unde Galli *Guerram*, atque ob id ipſum, quidem illorum dicti Alemanni, virili pectore nimirum homines. id enim *Alle mannen* ſignificat. Cæterum gens ipſa ſuo ſibi vocabulo appellata Teutiſci, vulgò *Die Teutiſch*, à cognomine veri, æternique Dei, rerumque conditoris Theuth, quem terra genitum fabulantur, eiuſque filium Mannum, ut ait Scaliger, qui fortaſſe ad illud Taciti reſpexiſſe videtur: *Celebrant Germani carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriæ, & annalium genus eſt Thuiſtonem Deum terra genitum, & filium Mannum originem gentis, conditoreſque.* Ex his verò Teuthum genitum, & hinc dicti Teuthones Germani fuerunt, ut idem Scaliger; qui alia multa congerit ſatis jactanter pro more. Verum nemo dubitare poterit Germanos, atque Hiſpanos Celtas origine ab Aſchenate progenitos, ut meritò Germanorũ gens ab Hæbræis dicta fuerit *Aſkenazim.*

Celebriores verò populi in Germania hi à Plinio recenſentur, Vindili, Ingævones, Iſtævones Hermiones, & Peucini, qui & Baſtarnæ appellati.

Vindili, dicti pariter Græcis, Latiniſque ſcriptoribus Vinili, Vandili, Vandali, Vandalii, & Vanduli, quorum nationes fuere Gothi, & Gotthi, ſeù Guthones, qui eam Caſſubiæ partem tenuere ad Viſtulam, quæ nunc *Pomerella*. Catini, Pomeraniæ pars ubi *Stolpe Colberg*. oppida. Lemovii, ea item pars Pomeraniæ ubi *Stetin*, & *Volgäſt*. Rugii circa *Rege* flumen Pomeraniæ; qui in proximam inſulam tranſgreſſi Rugiam dixere *Rugen*. Varini in Meckelburgenſi ducatu circa oppidum *Varne*. Anglii: reliqua prædicti ducatus pars Lubecam uſque. Eudoſes, Suardones, Nuithones, pars Meckelburgenſis, Pomeraniæ, & Marchiæ finitima. Caviones pars Marchiæ proxima comitatui Dannebergenſi: Deuringi, qui & Thoringi in Marchia ad oppidum *Havelberg* Lungobardi in Marchia, ubi nunc *Middelmach*, inter Albim, & Viadrum amnes, circa Urbes *Brandenburg*, *Berlin*. Semnones in partibus Marchiæ, Miſniæ, Luſatiæ, Sileſiæ, atque Poloniæ, inter Albim, & Varram. Burgundiones, qui partem Caſſubiæ, Poloniæque incolebant.

Ingævones in hos dividebantur: Chavios, qui & Cauci, inter Amiſiæ, Albiſque oſtia poſitos, & utramque Viſurgis ripam accolentes Bremam uſque, & Mindam, quà Cattis erant finitimi. Foſi Tacito, reliquis Saxones, quorum Holſatia primum ad Cimbricam uſque Cherſoneſum, mox omnis ora maritima ab Albis oſtio ad Rhenum uſque, atque hinc Anglis coniuncti in Britanniã traiecerunt. Cimbri, qui peninſulam tenuere, quæ nunc Daniæ regnum. Teutoni qui Danicas inſu-

inſulas,quarum maxima Melæ Codanonia, *Zeelandt*, qui quidem populi jam tunc Dani, Godani, ex quibus adiacens mare Codanus ſinus. Hanc ſuprà Regiones poſitæ,Norvagiæ,ſivè Norvegiæ, ſuediæ,Finnęque regna complectuntur:totaque Tellus ingens peninſula Scandinavia appellata, & Scandia à vicinis populis: & Baltia à freto inter Danicas inſulas vulgò *Belt*. In prima peninſulæ parte eſt Plinio Fiuningia *Finlandt*, in reliqua peninſula populi Scandii, ſive Scanii *Sconen*. Supra has Helleviones *Hallandt*, & ultra ad Occidentum Sitones,nunc Norvegii *Norige*, quæ Græcis Nerigos dicta.Marchiofinni *Marchfennen*, ad Septenrrionem Scritofinni, *Scritfennen*, ubi promontorium Rutubæ Plinio, *Noortkin*. Juxta hos ad Ortum Lappiones, ſivè Lappii *Lappen*, & *Lapponia*. In medio circà ſinum Bothanum ſunt poſiti Suiones,ſivè Sueones, nunc Suedi *Svezia*, & *Svezzeſi*. Infra ad meridiem Gutæ,quorum regio *Gutlandt* Cluverio,aliis Gothi, & Gothia, ex qua primi ad Balthici maris oram traiecere, & circa Viſtulam conſedere: qui mox latè per Europam irrupere: quique ad Orientem profecti in Scythiam, atque Euxini maris litora Oſtrogothi, quaſi Orientales Gothi appellati, qui ad Occidentem Viſegothi,Occidentales Gothi dicti ſunt.

Sequuntur, qui Rheno proximi erant Iſtævones,quorum qui cis Rhenum,jam deſcripti, ultra Rhenum hi fuere: Angrivarii inter Amiſiam, & Viſurgim inhabitarunt, ubi nunc *Minden*: Chamavi hos ſupra Amiſiam inter, & Loam: qui una cum Angrivariis,Bructeris, qui inter ſuperiorem Lupiæ amnis partem, & Coloniam incolebant, eiectis,illorum agros occuparunt, & Chamavi ad Occidentem ſederunt Aggrivarii ad Septentriones, Dulgibini inter Paterbornam, & Viſurgim,

quà oppidum *Flotovv*. Juxtà ad Meridiem Chaſſuarii, ſivè Chattuarii, Cattorum pars ad Viſurgim, ubi oppidum *Huter*: Auſibarii item inter Viſurgim, & Lacum *Domnel*, ubi oppidum *Diepholt:* Tubantes ad Superiorem Amiſiam. Sicambri ad Rheni ripam à Colonia Agrippina ad Rheni divortium,& ob Oriente Cattos,uſque ad Luppiæ fontes, & oppidum *Medebach*: qui à Tiberio in Galliam aſportati inter Moſam, & Rhenum, appellati fuere Gugerni. Horum agros ad Rheni ripas tenuere Uſipii,ſeù Uſipetes ad Rheni divortia:Tencteri verò juxtà Coloniam.Ubii ad dexteras Rheni, & Mœni ripas habitarunt, ad Coloniam Agrippinam uſque ab Oriente Cattis finitimi: quorum agros deinde Juhones,& Mattiaci occuparunt, atquè hi ſuperiorem ripam, & comitatum Naſſovienſem, Veteraviam, Haſſiæque partem,ubi *Marpurg*, olim Mettium, ex quo gentis nomen:illi verò reliquam partem, & Veſtervaldiam tenuerunt. Marcomanni, primum inter Rhenum, & Danubium, Cocharum, & Nicrum amnes:mox cum Seduſiis, & Harudibus in Boiohæmum agrum commigrarunt. Seduſii inter Cocharum Nicrum,Rhenum,& Mœnum. Hos juxta Harudes, à Mœni fonte ad Danubium Ingolſtadium uſque Alemanni, e Gallia erumpentes ſub Auguſto cum ſupradictis habitarunt, quouſque in Boiohæmum irrumperent, ab his Germania Gallis dicta Alemannia *Alemagne*.

Succedunt Hermiones, ex quibus fuere Cheruſci,ubi nunc Branſvicenſes. Catti ubi Haſſi, & Thuringi: Hermunduri, ubi Voitlandia, & Miſniæ, Saxoniæque ſuperiores partes primum inſedere:mox Harudum agros,his in Boiohæmum profectis,Danubium uſque occuparunt,ubi nunc Suevia,ac Suevi propiè appellati ſunt,Nariſci,qui

ea

eas ſedes habuere, quæ inter Boiohæmi latus occiduum,& Danubium,lineamque ab Mœni fonte ad Ingolſtadium ductam, jacent. hi ſecutis temporibus Armalauſi appellati. Marcomanni, qui à Rheno tranſgreſſi Boiohæmum inter Herciniæ ſaltus occuparunt. Quadi primùm inter Boiohæmum Danubium, & Marum amnem habitarunt, mox uſque ad Carpathi juga propagati inter oppida *Erlam*,& *Vacciam*. Oſi Moraviæ, Sileſiæque partem tenuere inter urbes *Oſtram*,& *Oſviecziim*, quarum hæc Viſtulæ, Maro illa adiacet. infra hos Gothini, qui Sileſiæ partem inter Mari fontem, & Vartæ coluere. Juxta hos Largii inter Vartam, & Viſtulam, qui magnam, gens & ipſa magna, Poloniæ partem uſque Uladislaviam incoluere. Horum finitimi occidétem verſus Burii Vartam inter,& Viadrum:& horum Marſigni Viadrum inter,& Boiohæmum.

Baſtarnæ, ſive Peucini, olim à dextra Viſtulæ ripa, uſque ad Iſtri oſtia ampliſſimas ſedes tenuere, ipſaſque Iſtri inſulas, quarum maxima Peuce illorum de nomine appellata. fuere etiam Æſtii è quinque generum populorum, qui in Scytros ſeu Sceres, & Hirros dividebantur: primi Pruſſiam, ſecundi Livoniam coluere. Cæterum regiones omnes, quæ ab Occidente Boiohæmicis mõtibus, Sala, Albi, Travaque omnibus ſinu Codano, marique Germanico, à Septentrione glaciali Oceano, ab ortu Albo ſinu, Alboque lacu, Bothnico ſinu, Codanoque, ac Viſtula, Maroque fluviis, à Meridie Danubio continebantur, Suevia eſt appellata, inque expoſitas gentes diſtributa. Harum verò antiquiſſimi fuere Semnones, qui Viadrum ex utraque ripa tenuere, qui olim Suevus amnis dicebatur, ex quo genti cognomen factum eſt: hinc & Suevico mari. At ſecutis poſt ſeculis

Suevi uni Hermunduri dicti, duratque ad hæc tempora nomé in regione *Suaben* nobis Suevia.

CAPUT XIII.

De Fluuiis, Sylvis, & Montibus Germaniæ, deque eius antiquo ſtatu.

NUllas habuiſſe urbes antiquos Germanos ſatis, ſuperquè notum eſt. diſcreti, diverſique coluere, ut fons, ut campus, ut nemus placuit, ait Tacitus. una tantum memoratur Bardevicum, quam Henr. Leo evertit: ex huius ruinis Hamburgum creviſſe proditum eſt. Fluvii ſunt Rhenus, qui ab Alpibus ortus è Cripalta monte, qui Adulæ pars eſt, perque Lacum Brigantinum tranſiens Baſileam alluit, ex qua per æquam planitiem amæniſſimoſque campos delabitur ad Bingium uſque, ex quo per horrendas montium fauces Bonnam uſque cogitur. Hinc tot clarus urbibus, tot auctus amnibus per novum alveum Vahalim ſeſe miſcet Oceano. In Rhenum influunt Nicer, *Necker*, ex Arbonæ iugis ortus in ducatu Virtembergenſi à Danubii fonte non amplius D. paſſus. Mœnus *Meyn*, qui ex Pinifero monte erumpit duobus rivis rubro, & albo, mons vulgò *Fichtelberg* metallorum dives. Lupia, *Lippe*, ortus ex Veſphalia Urbem irrigat Paderbornam à crebris fontibus dictam. Eſt præterea Amiſius, ſive Amiſia, & Amiſis, *Ems*, ſcatens è montibus Haſſiæ, quos Ptolemæus Obnobios vocat: rigatque Paderbornenſem, Monaſterienſem, Oſnoburgenſem Epiſcopatus, & Comitatum *Emden*, inque Emdanum ſinum devolvitur. Viſurgis *Veſer*, qui ex Thuringiæ ſylva emergens, Bremamque alluens in Germanicum mare ſe exonerat. Albis *Elbe* Bohemis

Albo quod XI. ſonat,vel quia à fontibus XI. oriatur,vel quod XI.in eum amnes influunt,è Sileſiæ Montibus in valle *Teuffels grund*, nimirum valle Dæmonum ortus auratas devehit arenas,emenſiſque Mill. DXII.in Germanicum Oceanum ſe præcipitat juxtà Hamburgum navibus patiens, quæſtuque nobilis.

Ex præcipuis, qui in albim ruunt, eſt Sala *Sale*. & Chaluſus,ſivè Trava *Trave*. Viadrus Ptolemæo, Guttalus Plinio, Suevus Cluverio, appellatur, *Odera*: non procul Olmuſio in Moravia oritur, inque Codanum ſinum triplici alveo deſcendit: unius aquæ vireſcunt, alterius caneſcunt, tertii navigatio tempeſtatibus obnoxia. Viſtula *Veixel* è Carpatho,ſeù Sarmaticis montibus erumpit,inque Balthicum currit, ultimus Germaniæ veteris limes,à Cracovia ad mare navigiorum capax. Danubius, terminus olim ad meridiem, de quo infra plura dicentur.

Ex Sylvis Germaniæ celebratiſſima Hercynia, quæ 60. dierum iter olim occupabat, mediamque Germaniam ſecabat vulgò. *Der Bohaymer uualdt*. Sunt Bacenis in Brunſvicenſi ducatu *der Hartz*. Gabreta *der Duringer uualdt*. Luna inter Poloniam,Moraviam, & Hungariam. Martiana, ſivè Hartiana *Der Schuuarte uualdt*, in Suevia Italis *la ſelua negra*. Cæſia non procul Veſatia ad dextram lupiæ ripam.

Montes ſunt,Heruſnium Bohemiam cingens, qui & Judiri montes. Adnoba memoratus: Taunus ex adverſo Moguntiaci *der Hayrich*: Rhætico, contra Bonnam, *das Siebengeburge*. Melioboves juxta Semanam Sylvam *der Blockesberg*.

At,qui antiqui gentium mores,qui cultus Mela,Tacitus, aliique produnt. *Immanes ſunt animis, atque corporibus, & ad inſitam feritatem vaſtè utra-*

que

quæ exercent, maximo frigore, nudi agunt, antequam puberes ſint, & longiſſima apud eos pueritia eſt. Hyeme ſpeluncas, in quibus degunt operiunt fimo. Viri ſagis velantur, aut libris arborum quamvis ſæva hyeme: ſagum autem fibula, aut ſpina nectunt: barbam radunt omnino, præter labrum ſuperius. bellum cum finitimis gerunt: cauſas eorum ex libidine accerſunt. Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat. Annuus erat apud quoſdam per vices magiſtratus, quem verò illatum feris bellum in magiſtratu deprehendiſſet, is durante bello rex dicebatur, cuius imperio gens tota parebat. Qui verò juxtà Rhenum, & Rhætiam habitabant cultiores ob viciniam populi Romani, & humaniorum gentium, & hinc Cæſar: Ubiorum civitatem amplam fuiſſe narrat, atque florentem, ut fert captus Germanorum, ipſos quoque cæteris Germanis humaniores: propterea quod Rhenum attingerent, multique ad eos mercatores ventitarent, ipſique propter propinquitatem Gallicis eſſent moribus aſſuefacti.

Cæterum Germanum nomen primùm Romanis innotuit Cimbrorum, Teutonorum, Tigurinorum, & Ambronum irruptione: hi cum more barbarico è ſuis ſedibus exciti in Imperii fines perveniſſent, ſedeſque dari petiiſſent, quibus à Senatu negatis armis, & vi uſi ſunt, cumque *Sylanum*, Manlium, ac Cæpionem fugaſſent, Miſſus C. Marius quartùm Conſul, qui primum ad Aquas Sextias Teutonos, mox propè Alpes Cimbros delevit, quibus duobus præliis cæſa trecenta, & quadraginta millia, capta centum, & quadraginta millia barbarorum. Mox C Cæſare, & M Antonio Con: miſſi à Senatu, qui Orbis univerſi menſuram caperent, inſumptis in eam rem annis XXI. menſibus V, diebus IX, Zenodoro Oriens dimenſus.

ſus eſt, Septentrio Theodoto, Meridies Polycleto: ſic de Germania habita notitia eſt. At ſecunda irrumptione, cum Uſipetes, aliique à Suevis pulſi Rhenum in Belgicam tranſiiſſent, Cęſar CCCCXL mill: occiſis delevit: victo primum difficili prælio Arioviſto Germanorum rege.

Sub Auguſto à Druſo, & à Germanico ſub Tiberio, omnis Germania inter Rhenum, Viſurgim, & Albim domita, hinc ponuntur Trophæa Druſi ad Viſurgim, & Germanici ad Albim: Secutis Cæſaribus, varia fortuna domiti, numquam tamen in Provinciam redacti cùm ob gentis barbaram ferociam, tùm ob civiles noſtrorum diſcordias, ob quas ſæpe rebellantes ſe in libertatem vindicarunt. Sub Antonino, & Severo, incertùm, quo docente, Chriſtianis ritibus imbui cæpere. At jam reſtituto poſt tot Barborum incurſiones Occidenti Imperium per Francos, in denſiſſimas Germaniæ Sylvas viam ſibi victoriis Caroli Magni Gladius aperuit, victoſque non tam ſibi, quam Chriſto ſubiecit; miſſis ſanctiſſimis Viris Bonifacio, Vihone, Hildegrino, & Lugdero: qui gentem Sacris aquis luſtrarunt: Ex quo, Sacris Fidei acceptis, humanitatem, quoque acceperũt. nova tunc Germaniæ facies, novi homines apparuere. Regio amœna, ac nitida, urbibus culta: montes vitiferi, opaca nemora, aprici colles, uberes campi, læta prata, ſalubres thermæ: ſtudiis exculta ingenia, artibus inventis inſignia, etſi aliquid ſapiant vel nunc antiquitatis ſuæ. quam quidem felicem regionem Tartarea Hereſis face ſuperiore ſeculo Lutherus, Calvinus, aliique ſectarii miſerabiliter incenderunt, latèque vaſtarunt.

CA-

CAPUT XIV.

De Germanico Imperio.

ANno ab orbe inſtaurato DCCC cum Carolus Magnus Francorum Rex Romam ad vindicandam iniuriam Leoni III. Pontifici Max. illatam, veniſſet. Pontifex ipſo Natalis Dominici die ad Carolum ne opinantem quidem accedens, ejus capiti coronam Imperii inſigne impoſuit, ac Romanum Imperatorem conſalutavit, manſitque apud Gallos imperium uſque ad Ludovicum IV. quo deficiente, ad Germanos tranſiit, & quidem Primus Conradus I. Secundus Henricus Auceps Saxo. cuius filius Otho Romam profectus anno DCDLXII. à Joanne XII. coronatus Imperator, Carolo Magno per omnia diſſimilis non ſicut ille Eccleſiam ſummis honoribus eſt proſecutus; hic maximis iniuriis affecit: quippe ſequẽti anno, Pontificem contra jura divina, humanaque de gradu deiecit: mox Benedictum Joanni ſuffectum pari affecit iniuria, illataque Romanis clade, in Germaniam aſportavit. Hujus Nepos Otho III. timens ne ad Italos rediret Imperium, edixit, ut jus creandi Imperatoris penes Germanos eſſet, latamque à ſe legem, ut à Pontifice Gregorio V. Conſobrino ſuo confirmaretur, obtinuit, an verò ad hæc tempora decreti Septemviri, an ſecutis temporibus conſtituti, incertum eſt. Et quamvis Bullæ aureæ fides gravibus viris ſuſpecta ſit, ut ait Furnerius, certum tamen eſt ex antiquo poteſtatem eligendi Imperatoris ad Septemviros contractam. Sunt verò hi tres Eccleſiaſtici, iidemque Archiepiſcopi, & Archicancellarii S. Imperii. Primus Moguntinus per Germaniam

niam

niam, Secundus Colonienſis per Italiam: Tertius Trevirenſis per Galliam: Quatuor Seculares primus Rex Boiohæmiæ, Pocillator; Secundus Palatinus Rheni, Dapifer: Tertius Dux Saxoniæ, Enſifer: Quartus Marchio Brandeburgenſis, Cubicularius, ex his Rex Boëmiæ non fert ſuffragium, niſi cum paribus ſuffragiis reliqui inter ſe diſſident, quoniam verò Palatinus Rheni, quod Bohêmis rebellantibus opem tuliſſet, oblatumque regnũ accepiſſet, gradu deiectus, ſuffectuſque Bavariæ dux: mox Suedis, & Anglis adnitentibus, reſtitutus, manſit octavus Elector, ut non Septemviri, ſed Octumviri dicendi jam ſint. Atque hinc manifeſtum quomodo ad Francos, & mox ad Germanos Romani Imperii nomen translatum. Quod cum per varias familias excurriſſet, ad Auſtriacos primùm in Rodulphũ Hasburgenſem Comitem, mox ad Albertum Auſtriæ ducem pervenit, ex quo ad hæc uſque tempora in Auſtriacis durat magno Chriſtiani Orbis bono, ac felicitate. Cæterum Germanicum Imperium in tria membra dividitur. Primum eſt Electorum: Secundum Principum Eccleſiaſticorum, & Secularium: Tertium liberæ civitates conſtituunt, quæ ſunt penè LX. quare totum Imperii corpus Reſpublica videri poteſt. Quamvis enim Imperator, Principes, liberæque civitates ſuas ditiones, jura, populos in quos jus vitæ, & necis habeant; tamen quia omnes Imperio ſubditi, quin & Cæſar ipſe legibus obnoxius, omnes unà ſpeciem Reip. referunt. Prætereà anno MDXII. tota Germania in circulos diſtributa fuit, & in ſingulis concilia inſtituta, in quibus deliberant quomodo exequenda, quæ decreta ab Imperii proceribus ſunt. Ad graviores verò cauſſas inter Imperii principes, liberoſque populos recognoſcendas inſtituta eſt Spi-

ræ ex viris XLI. Camera Imperialis: qui viri à Cæſare, Septemviris, & circulis eliguntur; illis à Cæſare Præſes præficitur.

CAPVT XV.

De Novis Germaniæ Provinciis cis Rhenum.

PRima eſt Leodicenſis ab urbe Leodico ad Moſam poſita amœna, & Eleganti *Liège*, quæ Colonienſi Septemviro ſubjecta eſt, & tota fere Belgii Provinciis circumcingitur. in hac Buvillonii ducatus *Bullion*, quem Godefridus ſacram expeditionem adornans Leodicenſi Epiſcopo vendidit, majore profectò vendentis laude, quam emptoris. Secunda Ducatus Juliacenſis. *Gulich*, cuius caput Juliacum *Giuliers*, munitum oppidum Brandeburgenſi Septemviro paret, in hoc ducatu Urbs celeberrima Aquiſgranum Gallis *Aix*, Belgis *Aken*, Caroli Magni aula, & ſepulchro inſignis. Cuius pii Imperatoris corpus opobalſamo conditum in aurea ſella ſedet imperatoriis veſtibus exornatum, ſubter verò cilicio, quo uſus, dum inter vivos ageret. Sceptrum una, altera verò manu Evangelium tenet, & peram, quam ſecum tulit religionis cauſſa Romam profectus, Caput diademate redimitum, cum Crucis inſigne, Enſis lateri affixus, ſcutum à Leone Pontifice conſecratum è fornice pendet. theſaurus immortalitate vere dignus, cuius pietate ad Gallos, mox Germanos translatum imperium. Mos olim Aquiſgrani Imperatores inaugurare ſub ferrea corona è templo pendente.

Tertia Colonienſis Archiepiſcopatus, cuius caput Colonia Agrippinenſis, ſeù Ubiorum, quæ Agrippinæ Claudii Cæſaris uxoris auſpiciis deducta

ctafuit.urbs eſt maxima, Emporiumque ad Rhenum nobile.olim Archiepiſcopi, nunc ſui juris. Septemviri ſedes eſt Bonna, vetus, munitumque oppidum. Quarta Lotharingia, Ducatus, quæ à Lothario Caroli Magni nepote nomen accepit.in hac Metenſe regnum;quod Auſtraſiæ dictum, ſub prima familia Regum Franciæ, & mox ſub ſecunda ad annum DCXLIII. at anno DCCCCXXXIX. victo Ludovico Francorum in Alſatia ab Othone Germanorum rege, Lotharingia in manus victoris venit, varieque hinc,inde vexata, donec Otho II. eam in Feudum à Lothario Galliæ Rege accepit.anno MDCXXXIV. Ludovicus XIII. occupavit, & rurſus Ludovicus XIV,cui nunc paret. Metropolis olim Divodurum Mediomatricorũ, quod & Metæ *Metz*, Caroli V. obſidione nobile. Libera olim urbs; at multis jam annis, una cum Viroduno *Verdùn*, & Tullo *Toul*, Gallici juris facta. Ducis ſedes Nanſium, *Nanſi*, cum arce munitiſſima. In reliqua Auſtraſia *Veſtreich* ſunt Trevirenſis Archiepiſcopatus, cujus caput Auguſta Trevirorum *Treveri* Eſt & Confluentia ad Rheni,& Moſellæ confluentes. Urbs munita,& Vitellicum *Vithlich* Septemviri ſedes. Archiepiſcopatus Moguntinus, cuius princeps Moguntiacum *Mogonza*. Sedes verò Archiepiſcopi eſt Aſciburgium *Aſchebùrg* ad alteram Rheni ripam in ſolo Germanico. ſunt etiam in Auſtraſia liberæ civitates Vormatia,Spira,& *Oppeheym*. Ducatus Bipontinus *Zweybrucken*, & Comitatus *Sarbrucken*, *Leyningen*, & *Bitſch*.

Septima Provincia cis Rhenum eſt Alſatia,in ſuperiorem, & inferiorem Lantdgraviatum diviſa:in Superiori ſunt oppida Colmaria, *Colmàr*, & Selectadium *Seleſtàt*.in inferiori Tabernæ *Zabèrn*, & Hagenoa, *Hagenaw*: In quo tractu eſt Argento-

ra-

ratum, *Argentina*, Germanis *Strabürg*. ubi exigua manu innumeras copias Julianus delevit, & mox XXX. Millia Alemannorum Gratianus profligavit. poſt Romanos Franci occuparunt, cum Clodovæus deiecto Apollinis coloſſo Templum Virgini dicavit. cui anno MCCLXXVII. Turris ædificata pedum DLXXIV, quæ Europæ maxima cenſetur. nam Viennenſis in Auſtria, eſt pedum CCCCLXXXVI. Antuerpienſis CCCCLXI. Carnutenſis CCCLXXVIII. Pariſienſis CCIV. Bononienſis CCCXII. Neapolitana in templo B. Virginis à Monte Carmelo paulominor aſſurgit. Cæterum nuper una ex liberis civitatibus, nunc Gallis occupata. à quibus, & Alſatia tenetur, Auſtriacæ olim ditionis. regio argento, cupro, plumboque dives, vino, frumentoque abundans, & paſcuis læta. In Alſatiæ, Burgundiæque cõfiniis eſt Comitatus *Mantbeliard* Ducis Virtembergenſis, dictus ab oppido eiuſdem nominis ſatis munito.

Supereſt Helvetia, cuius longitudo à Conſtantia ad Genevã eſt mill. 172. lat. inter Arolam, & fontes Rheni, ac Rodani mill. 76. gens inter Celtas bellicoſiſſima, quæque totius Galliæ imperium affectavit, repreſſa tamen à Julio Cæſare, Romanoque Imperio ſubiecta: paruit uſque ad Honorii tempora, cum eam Alemanni occuparunt. Mox Auſtriacis additi Helvetii verius, quam ſubiecti: demum loci natura tuti, ac præfectorum iniuria irritati, deſcivere: cæſiſque Leopoldi copiis perpetuum fœdus inierunt anno MCCCXV, ſeque in libertatem vindicarunt: dictique *Suizzeri* à pago *Svitz*, ubi fœdus percuſſum eſt. diviſique in XIII. pagos, ſivè urbes vulgò *Cantoni*: ſunt verò Tugenum, *Zug*, Forum Tiberii, *Svitz*, Lucerna, Berna, *Bera*, Scapuſia *Schaſhauſen*, Abbatiſcella, *Appenzèl*, Friburgium, *Fribürg*, Glarona, *Glaritz*

Sa-

Salodurum *Soloturn*, Baſilea, *Baſel*, Colonia Tigurinorum, *Zurich*, Urij Urbigenarum metropolis *Uri*; Undervaldii, *Undervalden*, hi duo poſtremi regionum nomina: primæ caput *Altorf*. ſecundæ *Stantz*. Ex his Catholici Lucernates, Friburgii, Salodurii, Tugenſes; Urii, Undervaldii, Svitii: Hæretici Bernates, Tigurini, Scandusii, Baſileenſes: utramque profitentur religionem Glaronenſes, & Abbatiſcellenſes. Helvetiorum conventus habetur Aquis Helvetiis *Reich Baden*. Helvetiis fœderati Valleſii, gens Inalpina vulgo *Valliſer*, qui à Rodani fontibus ad Lemanum Lacum habitant, quatuor populis diviſa. Viberis, *Gomers*, Sedunis, *Siòn*, Vetagris, *Martinàch* Nantuaribus *S. Mauritio* Has omnes gentes Ser. Galba Cæſaris Legatus Romanis ſubiecit.

CAPUT XVI.

De Provinciis ultra Rhenum circa Danubium, & primum de antiquo Norico, & Vindelicia.

ANtequam reliquas Provincias deſcribamus, exponere opus eſt; qui olim fuerint Vindelicorum, Noricorumque fines: quicquid igitur terrarum inter lacum Brigantinum, Danubij fontes ad oſtium Oeni, Oenum ipſum, & Alpes, Vindelici tenuere: quod verò inter hos, Danubium, Alpes, & Cethium montem Norici. *Sic* dicti, ut perhibent, à Norea urbe, *Gorstia*, quæ ſupra Aquileiam ſita eſt. horum etiam oppida fuere Ovilia, *Vels* ad Danubium, Vindoniana, ſive Juliobona *Vienna*. Lauriacum *Lorick*. Longium *Lintz*. Celeiæ *Cilley*, Luvanium *Saltzaburg*. Dividebatur à Romanis Noricum in Mediterranum, & Ripenſe. Vindelicorum Metropolis Auguſta Vindelico-

rum,

tum, quæ ſic vocata, cum illuc Auguſti Cæſaris auſpiciis Colonia deducta; nam antea Damaſia, nunc *Ausbürg*. alia oppida Reginum, ſivè Regina Caſtra, *Regensbürg*, à fluvio Regino, *Regen*: & Batava caſtra, Patavium *Paſsàu*, ad Oeni, ac Danubij confluentes: Boiodurum, dictum à Boiorum trajectu. hi à Boiohæmo à Marcomannis pulſi in has horas irrupere, ſervantque vitiatum nomen nepotes Bavari dicti. ſunt præterea Campodunũ, *Kempten*, Iſiniſca, *Monaco*. Poſtquam in has terras Alemanni, Suevi, Boii, Quadi, Sclavi, aliæque barbaræ gentes inſedere, in varias regiones, & Provincias diviſere, quas jam exponere tempus.

Prima eſt Suevia, in qua Suevorum reliquiæ: dicta eſt etiam Alemannia, ſuoſque olim Reges habuit: qui olim Imperio potiti, & utroque Siciliæ regno. ultimus fuit Conradinus, qui anno MCCLXVIII. extinctus eſt, regnumque in plures dinaſtias diſcerptum, ut ne titulus quidem relictus. poſita eſt inter Rhenum, lacum Brigantinũ, Necari ſuperiora, & Lichum *Linch*, quo à Bavaria dividitur. Metropolis Auguſta Vindelicorum, urbs libera, atque ædificiis, & divitiis florentiſſima. mediam regionem ſecat Danubius, in quo Vallis Danubiana. à fonte Danubii Ulmam uſque quæ una Vallis nomen uſurpat, olim Abbatis majoris Augiæ nunc Imperii civitas: juxta quã in Danubium influunt Hyletus, *Iler* Tiberii, & Druſi victoriis notus, & Blavus, quibus auctus fit navigabilis. eſt etiam ad Danubium Dilinga, ſedes Epiſcopi Auguſtani, Academia, & emporio nobilis.

Pars Sueviæ circa Rhenum eſt Briſgovia *Briſgaun*, queque olim ad Alſatiam Auſtriaci juris pertinebat: caput Friburgium, & Briſiacum *Briſach*, hæc urbs capta à Suedis, Anno 1638. mox

Gallis

Gallis vendita: quibus deinde Friburgium, & Briſgovia acceſſit: munitio totius Rheni præſtantiſſima, in montis clivo, qui in pontem deſinit, ædificata à Valentiniano contra Alemannos.

Supra Sueviam eſt Ducatus Virtembergenſis, ab Urbe Virtemberga appellatus, qui & ipſe olim Sueviæ pars: oppida conſpicua Strudgardia ducum ſedes, cuius ager vinetis undique conſitus. *Hailbrun*, & *Veimphen*, inter quæ Tillius Bavarorũ ductor, & Corduba Hiſpanorũ inſigni clade Durlacenſem profligarunt anno 1622. *Landſurt* primum terræmotu dirutum, mox ab Hunnis, à Conrado Sueviæ Duce reſtitutum. qui Imperator dictus hic ſedem, & Cameram Imperialem fixit anno 1146 nunc cum Helvetiis fœderata eſt etiam urbs Tubinga Academia nobilis, & *Conſtat* mercatu.

Sequitur Franconia, ſeu Francia Orientalis, quæ primum à Francis occupata, antequam Rhenum traiiceret. poſita eſt inter Haſſiam, Saxoniam, Bohemiam, & Palatinatum Bavariæ. Caput eſt Herbipolis, *Vuirtzburg*; cujus Epiſcopus appellatur Dux Franconiæ: urbs eſt elegans, ac dives in planitie, qua tota gaudet Franconia; in collem deſinit, ubi arx eſt: In Fracõnia Bamberga, cujus Principatus Epiſcopo olim ab Herico II traditus, ibiq; Eccleſiam extruxit, & Cruce, & Clavis Dominicis ornavit: inque ea ſepeliri mandavit: urbs ad Mœnum ſita, ad quem etiam ſedet Segodunum Ptolemæi *Noremberg*, quæ altiſſima habet mœnia, turres 365, plateas 528, fora 10, quæ nundinis perpetuis frequentantur, arx eſt in colle, caſtrum Noricum appellata. ager ſterilis, at plebs induſtria: unde illud celebre; Noribergentium aſtutia, Argentoratenſium tormentis bellicis, Auguſtanorum pecunia tota decipitur Germania. Sedet

ad Mœnum Francofordia *Franfurt* nũdinis,& Imperatoris electione celebris. Coburgum ducatus caput è Saxonum familia. at ubi Tubarus *Tuaber* in Mœnum ſe exonerat, Rotemburgum à turriũ robore dictum, oppidum liberum,& dives. ſequitur tandem *Mergeth*, ubi ſedes Magiſtri Ordinis Theutonici, qui ex oppidis ſubiectis 80. millia Talerorum quotannis corrogat.

Pars olim Franconiæ Palatinatus Rheni, ſic dictus ab officio,quo fungebatur circa annum M. Comes Henricus ex Caroli genere oriundus, qui Palatio Othonis III. præerat, cum Imperij Elector creatus, ac Palatinus Comes dictus. caput regionis *Heidelberga* Electorum ſedes ad Necarum ſita,in faucibus Montium, in quibus tanta fragorum copia, ut hinc dictam putent. Neoſtadium cis Rhenum,*Neuſtat*; Manhemium,*Manehim*, tutiſſimum propugnaculum ad Rheni, Nicrique cõfluentes,ubi Joannes Papa triennio in vinculis detentus,cum haberetur Concilium Conſtãtienſe.*Franckendàl*,Francorum vallis,oppidum probè munitum.Verum preſenti bello fere tota cum arcibus diruta, vaſtataque à Gallis Provincia, quæ totius Germaniæ amœniſſima, ac feraciſſima, hinc Rheno,& hinc Necaro irrigua.Comes Palatinus,e Ducibus Neoburgicis nũc eſt Catholicus.

Inter Danubium,Franconiam, & Boiohæmum eſt Palatinatus Superior, qui & Nortgavia *Nortgauu*,cuius caput Amberga. oppida Neoburgum, & *Sultzbàch* Principum Palatinorum ſedes. eſt Landgraviatus Leuchtenburgicus, cuius ſedes *Pfreimbt*. Hic Palatinatus ad Bavariæ ducem ſpectat.

Eſt verò Bavaria inter Danubium,Lichum, Alpes,& Auſtriam ſita,crebris paludibus, Montibus,& Sylvis impedita. Inclinante Romano Impe-

pe-

perio, in Vindeliciam Boii irrupere, à quibus Baioarii: mox ab Avaribus Hunnorum reliquiis Bavari dicti,& regio Bavaria,in qua ſui reges imperitarunt, donec Clotarius II. Francorum Rex Garibando devicto, Ducem conſtituit Thaſſilonem anno DLXXIX: mox Ludovicus Pius Ludovicum filium Baioariæ Regem reliquit: ex quo regnarunt ad Arnulphum, qui Cæſar creatus periit morbo pediculari anno DCCCXCVI. his ſucceſſere duces Palatini, abundat regio frumento, & gregibus ſuum,& cervorum,ob glādis copiam. nullaque Germaniæ cultior urbibus pars eſt. Gens ocreis gaudet, ac cyaneo colore. Urbs princeps eſt Monachium, *Mungen* ſita ad Iſaram, ab Henrico Duce,extructa anno 1467.in agro unius frumenti feraci:ſunt in ea Principis Aula, templa, Bibliotheca, horti,omnia elegantiſſima: familias habet octodecim millia. Secunda Ingloſtadium, Friſinga Sedes Epiſcopalis. Eſt etiam celeberrima ad oſtium Regnitii *Rengensbürg* dicta olim Colonia Quartanorum,quod in ea ſtationem legio IV. Italica haberet:poſteà Ratisbona à ratibus,quibus incolæ utebantur,antequam Henricus Dux anno 1135. pontem extruxiſſet longum paſſus L Imperii Comitiis inſignis:& Patavium.Bavarię pars, eſt Archiepiſcopatus Salisburgenſis, *Saltzbürg*, olim Juvanium elegans: Archiepiſcopo paret, qui præeſt Epiſcopo Pataviensſi, Viennenſi, Brixienſi,Tridentino, aliiſque quinque. Eſt in urbe Sepulchrum Philippi Theophraſti, cognomento Paracelſi, qui obiit anno 1541. primus, qui docuit ſpargiriticam medicinam.

Inter Alpes Rhæticas, & Bavariam eſt Comitatus Tyrolenſis ab arce *Tyrol*,quem medium ſecat Aenus,qui ab Alpibus deſcendens,urbemque principem Aenipontum *Inſprück* Comitum olim

 nunc

nunc Arciducum Auſtriæ ſedem,ubi Senatus, & prætoria domus ſatis munifica. Aenus autem rapidiſſimo alveo navium capaci in Danubium irrumpit. urbes etiam Tyrolenſis ſunt Brixia *Brixen*, & Tridentum œcumenica Synodo celeberrimum. Carinthiæ Ducatus, ubi olim Carnorum ſedes,caput,& ducum olim ſedes Claudia *Clagenfurt*,patet regio à fonte Dravi,ad oſtium Lavandæ mill. 100. Sclavi, mixtimque Germani incolunt, qui fidem ſuſcepere anno 790. Henrico duce defunćto ſine liberis,Carinthia ad Imperium devoluta,& à Ludovico Cæſare Duci Auſtriæ dono data.eſt etiam Julium Carnium *Villack* ad Dravum ſitum.

Italiam verſus ſequitur Carniola circa Savum, ubi olim ſedes Carnorum Lapidum:ducatus item, cuius caput *Laubach*, olim Pamportus, & Nauportus,quo & amnis nomine dicitur,quo in Savũ navigatur: eſt comitatus *Cilley*, quæ urbs olim Celeia Romanorum Colonia,& Præfećti ſedes.

Stiria patet ſecundum Dravum inter oſtia lavandæ,& Maræ,regio fertilis,& Metallorum dives,urbs primaria Grætia *Gratz*. ad Dravum Variana Caſtra,*Varaſdin*, Muripons *Prackan der Mure*, oppidum Caniſia validiſſimum contra barbaros munimentum ſuperiore anno receptum. Stiria ducatus titulo inſignita à Friderico Cæſare,cum Leopoldus Dux Auſtriæ Ottocari Marchionis Stiriæ filiam duxit.unà cum Carinthia,& Carniola Auſtriacis paret.

Poſtrema circa Danubium eſt Auſtria, olim Marchionatus titulo,mox ducatus,tandem à Friderico III. Archiducatus honore inſignita anno 1488, cum primum Philippum Maximiliani filium Archiducem dixit,vel ut Hiſpanicæ affinitati idoneum faceret,ſive ut ducibus reliquis præ-

fe-

ferendum cenſeret. habet ab Occidente Bavariam, ab Oriente Moraviam, & Hungariam, à Septentrione Boiohæmum, à Meridie *Stiriam*. eius long. eſt ab oſtio Æni ad oſtium Marchæ, & Maranahæ. dividitur in ſuperiorem, & inferiorem: inferior ultra Danubium antiquæ Germaniæ pars, in qua oppidum *Krembs*: ſuperior antiquæ Pannoniæ pars, in qua imperii Metropolis Vienna, validum contra Barbaros propugnaculum bis tentatum, bis fortiſſime defenſum. olim dicta Fabiana, à Fabiano præfecto Legionis X. Germanicæ: & Alauda, ex qua Primi Auſtriæ Marchiones V. Alaudas aureas pro inſignibus habuere. Regia Herulorum, mox Avarorum, ſæpius everſa ſæpius inſtaurata, agro gaudet plano, fæcundo, amœno, ædificiis, & civium ſplendore nulli Germanicarum ſecunda. eſt etiam ad Danubium nobile Emporium *Lintz*, & Hungariam verſus *Neuſtat* ſatis munitum.

CAPUT XVII.

De Provinciis inter Rhenum, & Albim.

PRima inter Rhenum, & Albim eſt Vveſtphalia, dicta à voce *Valen*, quæ *Saxonum* lingua pullum equinum ſonat: his regio abundat, & pullum pro militari ſigno, atrum ante ſuſceptum baptiſmum, poſtea candidum gens habuit. antiquam Germaniæ faciem refert, eſt enim ſylvis, ac paludibus horrida animalibus magis, quam hominibus alendis: vini, & frumenti indiga, ad Oceanum uſque excurrit à montibus Abnobiis, quibus Thuringiæ, Haſſiæque conjungitur: ſunt in ea Epiſcopatus IV. Monaſterienſis, *Munſter*: quę urbs caput eſt Vveſtphaliæ: Verdenſis, Mindenſis,

Paderbornenſis,& Oſnaburgenſis:comitatus verò multi,celebris eſt Oldenburgenſis antiquiſſimus, & annuo reddituꝰ nulli ſecundus. Monaſterium dictum ab inſigni Monaſterio Virgini dicatum, ante *Mymingode*. Epiſcopatum fundavit Carolus Magnus.urbs nobilis, & amœna. anno 1533, & 1534. Joannis Leydani Batavi Anabatiſtæ lymphatico regno percelebris.

Ad Viſurgim ſedet Brema, ex qua Bremenſis Archiepiſcopatusinſtitutus à Carolo Francorum Rege anno 788. primuſque antiſtes Villchaldus Anglus urbs eſt magnifica, & mercatu celebris.

In Vueſtphalia ad utramque Rheni ripam eſt Cliviæ *Cleves*, & Montium ducatus, *Berg*, cujus caput *Duſſeldorp*. Ducum Neoburgicorum ſedes, quibus parent hi ducatus. Ad Oceanum eſt Friſia Orientalis,ſivè Embdanus comitatus,ab urbe Embden: non tam ampla,quam portu capax, comitum ſedes Auricum *Aurick*.

Sequitur,Saxonia quæ in Superiorem,& Inferiorem dividitur.inferior inter Viſurgim, & Albim, in qua Brunſuicenſis ducatus; *Brunſuick*. urbs primaria,quæ Imperii libertate fruitur, ſatis munita,& contra ducum Brunſuicentium obſidiones maxime nobilis. hic ducatus inſtitutus eſt Leonis tempore:at poſtea in varios principatus ſciſſus eſt. Urbes præcipuæ ad Allerum amnem. Celia *Cell*, ubi Sedes ducum Luneburgenſium,ad Oreanam ortum à monte Ramolo, pluſbi fodinis ditiſſimo:ſedent Gollaria, & *Vvolfembutel*,Ducum ſedes. Eſt etiam ducatus *Annover*. Superior Saxonia habet à meridie Bohemiam, & Franconiam, ab Oriente Luſatiam, Haſſiam ab Ortu,à Septentrione inferiorem Saxoniam: Duci Electori paret, cui etiam ſubeſt Miſniæ Marchionatus cum Voitlandia, è parte Comitatus

Hen-

Henneberg, Làdgraviatus Thuringiæ, Luſatia, & Epiſcopatus Magdeburgenſis, atque Halberſtadenſis. Principes originem ducunt à Vviſichindo ſaxonum rege, qui cum accerrimè bellavit Carolus Magnus. ex hac familia Cæſares Henricus Auceps, Otho I. II. & III, & Henricus II. Urbs princeps Electoratus Vittemberga quondam ducum ſedes, olim Calægia, ubi Academiam inſtituit Fridericus anno 1502. hìc Lutherus Hereſeos virus omne evomuit, perque Germaniam omnem perlata contagio. *Mulberg* notiſſima ob prælium commiſſum anno 1547, in quo profligata à Carolo V. LX. millia hæreticorum, captique rebellium principes Fridericus Elector Saxoniæ, Philippus Landgravius Haſſiæ, & dux Vitembergicus. Luſatia inter Saxoniam, & Sileſiam poſita: urbes præcipuæ *Boutzen* ad amnem *Spre*, & *Gorlitz* ad Neiſſum, qui in Oderam labitur. Sunt in Saxonia Anhaltinus Principatus, & Mansfeldiç comitatus ſui juris. Anhaltini principes ab Aſcania gente antiquiſſimi utrumque Electoratum Saxoniæ, & Brandeburgici poſſederunt.

Miſnia inter Salam, & Albim ſita, metropolis Miſna ab Henrico Aucupe condita anno 930. cōtra Hungaros, nunc *Dreſda* Ducum ſedes, aëre rigido, terraque haud feraci. hic primùm cuſi argentei craſſiores in valle proxima Lochimia, Thaleres dicti, quaſi vallenſes. eſt etiam Lipſia *Leipzing* celeberrimum Emporium, quò Academia è Bohemia ob Hereticos Huſſitas tranſlata 1408. ad hanc anno 1631. infeliciter cum Suediæ rege à Tillio pugnatum, at anno 1632. non longe ad oppidum Lutzen totis Germaniæ viribus biduo decertatum, cæſuſque Guſtavus rex. In Miſnia eſt ducatus Voitilandiæ, ſeu terra advocatorum, caput *Hoff*.

Turingia montibus undique vallata plana regio eſt,ac ferax,inter Viſurgim, & Salam amnes extenſa,olim ſuis regibus ſubdita, qui *Sorabi* dicebantur: quibus à Francis deletis circa annum 524, factus eſt Landgraviatus, qui hinc abiit in Haſſiam.caput *Nauburg* ad Salam;& Academia,& nundinis celebre, & Erfordia, una ex maximis Germaniæ urbibus,Gera amne irrigatur: Academiam habet à Dogoberto Rege Francorum inſtitutam.

Magdeburgum, olim Parthenopolis à Venere, quæ tribus Gratiis ſociata hic ſtabat in curru.Idolum Carolus Magnus deiecit, atque Archiepiſcopatum inſtituit,qui primas olim Germaniæ. urbs eſt Imperialis, & elegans, quam anno 1630. Tillius Catholicarum partium dux vi cepit, ſecutoque anno incendit.Halberſtadium eſt item Epiſcopatus à Carolo inſtitutus: Otho item Magnus auxit,illique multa attribuit:ager eſt adeò ferax, ut ſegetes hominis equo inſidentis altitudinem ſuperent.

Haſſia Landgraviatus jacet inter Veſtfaliam,& Franconiam,provinciæ metropolis eſt Caſtellum Cattorum *Caſsel* cum arce munita, in qua Landgraviorum ſedes ad amnem Edrum urbs, & Comitatus *Valdeck*. Megethuſia Comitum domicilium,montes Haſſiæ auro, & ferro divites. Infra eſt Buchavia à ſolitudine fagis conſita cognominata, nunc Fulda ab urbe dicitur, Abbatia tota Europa celeberrima, quam Pipinus Magni Caroli parens fundavit ad amnem Fuldã D.q. Bonifacio attribuit.Suprà ad Albis æſtuariũ urbs eſt Hãburgum Hanzeatici fœderis maxima.ſepulcro Benedicti V.Pont.M.& Emporio celebris,condita tempore Caroli Magni à Dominis de Ham unde Hamburgum, in qua Baſilicam D. Petro idem Carolus di-

dicavit,primuſque Præſul creatus Anſgarius

Sequitur verò in Germaniæ meditullio Boiohæmum , ſivè Bohæmiæ regnum Herciniæ ſaltibus undique cinctum,medium verò Albis rigat,in Amphitheatri formam,ſepta planities.Boii primum pulſis Germanis has ſedes coluere. poſt hos Marcomanni, poſtremo Sclavi, quorum lingua ad huc perſeverat.Principio paruit ducibus, qui ſub Ludovico Pio Chriſto nomen dedere. at anno 1086. Vatiſlaus primus ab Henrico IV.Rex appellatus.cum mox Sileſia, Moravia, aliæque ditiones acceſſere.Anno 1437. extincto Sigiſmundo Imperatore, regeque Bohæmiæ,& Hungariæ, cumque eo regia ſtirpe ſublata,omnia ad Albertum Auſtriæ Ducem translata. regio pecore, piſcibus dives,hominibuſque frequens. Metropolis Praga ad Multaviam amnem *Ultau*,qui è Carpatho monte oritur,inque Albim delabitur.Urbs eſt ampliſſima,ac triplex, palatio, turri prætoria, & horologio inſignis.Sunt etiam Egra ad amnem ejuſdem nominis, qui navium capax oritur e Pinifero monte , *Fichtelberg*, ex quo in quatuor Mundi cardines quatuor amnes erumpunt Egra Mænus,Sala, & Nabus.aliæ urbes *Kutemburg* fodinis, *Leutmeritz* vinetis nobile.In Montibus feræ varii generis,& bubali,vulgò Lomos, quibus infra mandibula ampla veſica aquæ plena, quæ quicquid tangit,dum ſpargitur,adurit.

Ad Orientem Bohæmiæ,& Auſtriæ, eſt Moravia Marchionatus:ſic dicta à Mora fluvio , quem Marum Tacitus vocat,Germanis *Marck* , quaſi limes, hinc populi, qui Germaniæ limites infeſtabant,Marcomanni appellati,regio nemoroſa,frumenti,Vini,Croci,thuris,& Myrrhæ ferax.hæc verò è ſolo eruitur:ut & maſulum thus non ſolum à ſimilitudine teſtium dictum , ſed quia corpus in-

integrum repertum. Ad Morum, qui in Danubium piſcoſus devolvitur Olmutium urbs elegans: ad *Zwartzaha* Bruna Marchionum olim ſedes. Principio reges habuit, at victo ab Arnulpho Cæſare Zuatocopius circa annum 900, in quatuor Imperii Marchias recenſita: donec à Sigiſmundo Alberto generi attributa.

Inter Bohæmiam, & Poloniam juxta Viadri curſum uſque ad Carpathios montes extenditur Sileſia ducatus titulo nobilis: inque XVI. Principatus diviſa. metropolis eſt Uratislavia *Breslaw*, ſplendida, & inter tres Germaniæ computata, aliæ duæ Lipſia, & Monachium. eſt etiam nobilis Glogovia, *Glogauu*. Sileſia olim Poloniæ ſubiecta: at circa annum MCCC. in Bohæmorum regum fidem ſe tradidit: ex quibus ad Auſtriacos devoluta. Eſt inter Sileſiam, & Bohæmiam Glacenſis comitatus *Glatz*, qui dominis extinctis ſine liberis, in Bohæmos tranſiit.

CAPUT XVIII.

De reliquis Germaniæ Provinciis ad Balticum mare, & Cimbria Cherſoneſo.

Prima eſt Ducatus Meckelburgenſis, quas terras, & quicquid inter Albim, & Suevum amnem eſt, Vandali, ſive Vindili, & Vinnuli tenuere: Sic dicti quod Vinnus barbarorum lingua cincinnum molliter flexum ſonat: unde & tellus Vandalia appellata: tenuerũt mox Longobardi, à longioribus barbis, capilliſque ſic vocati, tandem Obotritorum duces regionem ſub ditione habuere. ex his Meckelburgenſes dinaſtæ originem repetunt, qui comites primum, mox anno 1349. ducatus inſignia à Carolo IV. Cæſare acceperunt,

Urbes

Urbes præcipuæ ad mare Balthicum ſunt Lubeca à Principe Obotritorum Godſchalco condita anno 1040. libertate donata à Federico anno 1182, & Hanſeaticæ Societatis caput,conſtituta, in qua ut plurimum illarum urbium conventus celebrantur. Hanſa,dictio Gothica multis eſt conventum ſonans,aliis Teutonica,immunitatem ſignificans. hinc Urbes liberæ & fœderatæ immunes dictæ,quæ LXIV. erant, cum penè totidem fœderatis ad ſua privilegia conſervanda: hæ urbes in quatuor Provincias dividuntur Lubecorum, Dantiſcorum,Brunſuicorum, & Colonienſium. Sunt etiam celebres Roſtochium,urbs Hanſeatica nova,& vetus, Viſmaria, & Travena,*Chalus.*

Sequitur juxta litora Balthici maris Pomeraniæ ducatus; unde & appellatio. Vandali enim *Pmameren*,terram maritimam vocabant. Solo eſt fertiliſſimo, & litus ſuccinum è mari accipit. in plures ducatus item dividitur. Primus Caſſubiæ Viſtulam inter,& Oderam:urbs præcipua Colberga:Secundus Pomeraniæ, cuius metropolis Stetinum ad Oderam emporio dives, fœderiſque Hanſeatici:Tertius Vandaliæ in inſulis Lulina,& Uſedomia, quæ Oderæ oſtio obiectę ſunt. Lulinū *Volin* Vandalorum olim nobile Emporium tota Europa maximum:Quartus eſt Volgoſtenſis,ſive Bardenſis, ab urbibus *Volgaſt*, & *Bart*: inter quas eſt Straſulnda ducum olim ſedes,Quintus Rugiæ Inſulæ *Rugen*,quæ contra *Straſulnd* iacet, horreū Pomeraniæ. Duces Pomeraniæ à Griphonibus Sarmatiæ Europææ regibus ortos ferunt, nunc Partim Suediæ regi, cum Stetino illi attributo anno 1648 partim Brandeburgico Electori paret.

Inter Pomeraniam, & Saxoniam eſt Marchia Brandeburgenſis, quæ in novam, & veterem dividitur: novæ caput Francofurtum ad Oderam,

integrum repertum. Ad Morum, qui in Danubium piſcoſus devolvitur Olmutium urbs elegans: ad *Suuartzaha* Bruna Marchionum olim ſedes. Principio reges habuit, at victo ab Arnulpho Cæſare Zuatocopius circa annum 900, in quatuor Imperii Marchias recenſita: donec à Sigiſmundo Alberto generi attributa.

Inter Bohæmiam, & Poloniam juxta Viadri curſum uſque ad Carpathios montes extenditur Sileſia ducatus titulo nobilis: inque XVI. Principatus diviſa. metropolis eſt Uratiſlavia *Breslaw* ſplendida, & inter tres Germaniæ computata, aliæ duæ Lipſia, & Monachium. eſt etiam nobilis Glogovia, *Glogauu*. Sileſia olim Poloniæ ſubiecta: at circa annum MCCC. in Bohæmorum regum fidem ſe tradidit: ex quibus ad Auſtriacos devoluta. Eſt inter Sileſiam, & Bohæmiam Glacenſis comitatus *Glatz*, qui dominis extinctis ſine liberis, in Bohæmos tranſiit.

CAPUT XVIII.

De reliquis Germaniæ Provinciis ad Balticum mare, & Cimbria Cherſoneſo.

PRima eſt Ducatus Meckelburgenſis, quas terras, & quicquid inter Albim, & Suevum amnem eſt, Vandali, ſive Vindili, & Vinnuli tenuere: Sic dicti quod Vinnus barbarorum lingua cincinnum molliter flexum ſonat: unde & tellus Vandalia appellata: tenuerūt mox Longobardi, à longioribus barbis, capilliſque ſic vocati, tandem Obotritorum duces regionem ſub ditione habuere. ex his Meckelburgenſes dinaſtæ originem repetunt, qui comites primum, mox anno 1349. ducatus inſignia à Carolo IV. Cæſare acceperunt,

Urbes

Urbes præcipuæ ad mare Balthicum ſunt Lubeca à Principe Obotritorum Godſchalco condita anno 1040. libertate donata à Federico anno 1182, & Hanſeaticæ Societatis caput,conſtituta, in qua ut plurimum illarum urbium conventus celebrantur. Hanſa, dictio Gothica multis eſt conventum ſonans,aliis Teutonica,immunitatem ſignificans. hinc Urbes liberæ & fœderatæ immunes dictæ,quæ LXIV. erant, cum pene totidem fœderatis ad ſua privilegia conſervanda: hæ urbes in quatuor Provincias dividuntur Lubecorum, Dantiſcorum,Brunſuicorum, & Colonienſium. Sunt etiam celebres Roſtochium,urbs Hanſeatica nova,& vetus,Viſmaria, & Travena,*Chalus*.

Sequitur juxta litora Balthici maris Pomeraniæ ducatus; unde & appellatio. Vandali enim *Paameren*,terram maritimam vocabant. Solo eſt fertiliſſimo, & litus ſuccinum è mari accipit. In plures ducatus item dividitur. Primus Caſſubiæ Viſtulam inter,& Oderam:urbs præcipua Colberga:Secundus Pomeraniæ, cuius metropolis Stetinum ad Oderam emporio dives, fœderiſque Hanſeatici:Tertius Vandaliæ in inſulis Lulina,& Uſedomia, quæ Oderæ oſtio obiectę ſunt. Lulinū *Volin* Vandalorum olim nobile Emporium tota Europa maximum:Quartus eſt Volgoſtenſis,ſive Bardenſis, ab urbibus *Volgaſt*, & *Bart*: inter quas eſt Straſulnda ducum olim ſedes,Quintus Rugiæ Inſulæ *Rugen*,quæ contra *Straſulnd* iacet, horreū Pomeraniæ. Duces Pomeraniæ à Griphonibus Sarmatiæ Europææ regibus ortos ferunt, nunc partim Suediæ regi, cum Stetino illi attributo anno 1648 partim Brandeburgico Electori paret.

Inter Pomeraniam, & Saxoniam eſt Marchia Brandeburgenſis, quæ in novam, & veterem dividitur: novæ caput Francofurtum ad Oderam,

Gymnaſio,& Emporio nobile; veteris Berlinum Principis ſedes, & tribunal: ad Albim Tungermunda Caroli IV. ſedes,adeoque ampla, & magnifica: *Aneburg*, ubi Guſtavus Rex Suediæ Tillium profligavit. eſt & *Croſſen* ducatus, antea Sileſiæ,nunc Brandeburgico paret. qui ab Othone I. dictus Marchio Germaniæ antiquiſſimus, & ex Septemviris potentiſſimus, nam illi parent Marchia utraque,pars Voigtlandiæ, Pruſſiæ ducalis, Croſſenſis ducatus,Comitatus Marchenſis,& Revenſpurgenſis,& pars Clivienſis ducatus. In Concilio Conſtantienſi Sigiſmundus Rex anno 1418. Burgravio Norimbergenſi Marchiæ ditionem dono dedit, ex quo ad hanc diem Heredes dominantur.

E Germaniæ continenti in Oceanum porrigitur Cimbrica cherſoneſus, quæ tres in partes ſecatur: prima eſt Holſatia, ſecunda Iutia Meridionalis, tertia Iutia Borealis. Terram Cimbri primum, mox Iutæ tenuere, inde vulgo *Jutland*. nemoroſa eſt,& piſcibus abundans. Secutis temporibus Dani appellati, unde vulgò *Daneſmarck*, quaſi fluviatiles, ſive albi, & proceri homines. Holſatia terminatur Albi ad Hamburgum,ad Lubecam Billo,& Trava amnibus. Dorſum cherſoneſi appellat Ptolemæus, vulgò dicitur *Holſtein*, quia ſylvoſa ſit; *Hol* gentibus ſylvam ſonat. In ducatum evecta à Friderico III, & Chriſtiano I. Daniæ regi conceſſa: at Chriſtianus unum quem vellent è filiis eligi in ducem populis permiſit. anno 1581. mortuo Joanne Seniore Duce, & Chriſtiani II. Fratre. Holſatia partim Daniæ regi partim Adolpho Duci obvenit. urbes præcipuæ *Oldenburg*, Chilonium *Kiel* à cuneo,cui ſitû nomen eſt,portu, & piſcatu nobile: contra eſt Fimbria inſula, *Femeren* piſcibus, & tritico dives. in

con-

continenti arx *Gotterp* ducum ſedes. Iutlandia, in qua juxta Holſatiam ducatus ſleſvicenſis à ſlia, ſive amne, ſive ſinu Codani maris, una cum aliquot inſulis ad Ortum Cherſoneſi, & parte Gothiæ Daniæ regnum conſtituũt. Præcipua inſularum eſt Codanonia ab incolis Codanis; unde & Codanus ſinus vulgo *Seelandt*. in hac totius regni caput Hafnia, incolis *Kiobenhaffn*. Germanis *Kopenhagen*, celebre emporium, ac regum ſedes. eſt etiam Elſenor, ubi naves prætereuntes regi vectigal pendent, & juxtà muniſſima arx *Cronenburg*. in medio eſt altera inſula Fionia, in qua oppidum *Ottenſehe*. Sunt etiam in hoc freto inſulæ *Bornholm*, & Gothiā *Gottlandt* ſaxo albo inſignis Danoque ſubiecta.

Cæterum Dani reges notiſſimi tempore Catuli, & Marii, & Caroli Magni tempore Gotricus, qui plurimum illi negotium fecit. hujus verò poſteris extinctis, Chriſtianus primus ex Oldemburgica familia Friſiæ ad regnum evectus circa annum 1445. primus Chriſtianus fuit Ericus Rex ab Anſgario Epiſcopo Bremenſi baptiſmo luſtratus. at Chriſtiernus eiuravit, Lutheri dogmata ſecutus anno 1537. Cæterum Danorum olim ſumma potentia, quippe qui Hiberniam, Angliam, Scotiam, Ruſſiam, Saxoniam, & proxima regna, ſæpius debellarunt. hac tempeſtate Dano parent Norvagia, Cimbrica Cherſoneſus, Inſulæ Codani maris, Thule, & Gothiæ Litora Occidentalia.

CAPUT XIX.

De Scandinavia peninſula & Suedia regno.

SEd jam è Cimbrica traicientes in ingentem peninſulam, inſulam antiqui crediderunt, deſti-

dimus, quæ longo circuitu ultra circulum Arcticum excurrit, flexaque iterũ ad Scythicum mare, non longo iſthmo variis Lacubus, & fluminibus ſciſſo coniungitur illi Europæ parti, quæ olim Sarmatia dicebatur. Tellus Balthia Græcis, Scandia, & Scandinavia Romanis dicta, indigenis vero *Schanan*: nimirum amœna regio, ſed barbarica amœnitate. Hæc illa adeo fœcunda barbararum gentium parens, quæ tædio infelcis ſoli in amœniores Europæ Provincias exundantis inſtar maris ſeſe effudere: & quandiu Romani Imperii res ſtetit in Occidente ſæpius à Romanis Imperatoribus non repreſſæ modò, ſed debellatæ, triumphatæque fuerunt. Peniſula ſita eſt inter gradum Lat. borealis LV, & LXXI. à Septentrione, & Occaſu Oceano Hyperboreo clauditur, à Meridie Balthico mari, ab Ortu Finnico ſinu, & Lacubus Lagoda, & Onega, fluviis Povenetio, & Pluſiokyo, medioque Iſthmo mill. XII. Eoam partem Suedi tenent, Occiduam Norvagi, Arcticam verò Lappones, quos omnes perpetuus montis tractus Alpium inſtar dirimit, quem Sevonem Plinius vocat: gentibus *Schars* tota Europa altiſſimum: jugis ſubiectæ ſunt ſpecus profundæ, & opacæ, per quas immenſa aquarum vis tanto ruit impetu, ut admotæ aures, vel fragore obſurdeſcant, vel frigore obrigeſcant. Naſcuntur hic variæ animalium ſpecies, quibus calor, & æſtus inimicus, ut ex volucribus Onocrotalus, anſare non minor, qui repleto aquis gutture rudẽtem aſinum imitatur: ex piſcibus Ziphius omnium maximus, qui vel Phocas deglutit: ex quadrupedibus Alce, ſeù Rangifer, cervo non minor, qui turmatim incedit: habetque cornua ampliſſima cervinis graciliora, ſed pluribus ramis diffuſa. His gentes veſcuntur, eque agris, ubi plurimos alunt, ad tibiæ

can-

cantus evocant:quin, mirû, curribus juncti XXX. Mill. Germanica infra XII. horas ſine cibo conficiunt. Ferunt Aureliani currum his fuiſſe inſtructum,cum de Gothorum rege triumphavit. Certè hoc ævo Rangifero nova nupta ad ſponſi domum invecta deducitur.

Prima Provincia maximè Borealis eſt Lapponia,quæ in tres partes ſecatur:prima à caſtro Vardhuſiæ per promontorium *Nordcap* ad Norvagiam uſque Dano paret,& Scritofinnia appellatur. Secunda à prædicto caſtro ad Album mare, cujus populi Lappones Pyheniemi: & Moſcorum Imperio ſubiecti: Tertia eſt pars Meridonalis ad Sinum Botnicum:& hæc Suedo ſubiecta. A Kalendis Maij ad finem uſque Auguſti continua dies eſt;at in Hyemali Solſtitio nox perpetua. Regio in propria dominia minime diſtributa, ſed qui primus terram occupat,uſum retinet, donec arboribus ad ignes, & paſtum conſumptis, feriſque aliò ſe transferentibus, quò & ipſi commigrant. æſtate viridi panno, bruma pellibus ſe totos præter oculos obtegunt.regulos olim habebant,quos *Fieldekonga* vocitabant.

Sequitur ad Occidentem Norvagia, Plinio Nerigon,aliis Nortmannia, gentibus *Norrige*. Gens eſt proba,& ſine fuco,externorum amans,algoris, inediæ,ac laboris patientiſſima; in omni fabrili arte exercitatiſſima:convictui,hoſpitioque maximè indulget. raræ habitationes, & quæ ſunt, ex aſſumentis ſurgunt, ceſpiteque conteguntur, merces,quas,ad exteros mittunt, pelles pretioſæ, Aſelli piſces *Baccalà*, pix, trabes, ad naves fabricandas. Regnum à duobus jam ſeculis Dano regi obvenit ex matrimonio,quod cum Huquinó Regina Margareta iniit. Regni caput Nidroſia *Fratrum*; nobiles etiam urbes Berga Emporio,& portu

ampliſſimo celebris: Altera, in qua curia, ubi de gravioribus litibus Norvagi agunt.

Gothia Meridionalem Peninſulæ partem occupat, eamque à Norvagia *Trolheta* fluvius dirimit: Hunc verò *Vener* lacus excipit, mox cum XX V, quos ſorbet unicum reddit. ille verò tanta rapiditate in Codanum ſinum irrumpit, ut aquarum ſtrepitus ad XX. millia paſſuum audiatur. circa lacum urbes variæ, quarum præcipua Scara Epiſcopi ſedes, & antiquorum regum à Scarino condita, quem Abrahæ æqualem, imo & Superiorem Gothici annales fabulantur. Arx *Leckia* in rupe impoſita, in qua CC. pedes profundus eſt puteus duriſſimo inciſus ſaxo, flamma trecentis porcorum lateribus alitur. ad leucam diſtans Abbatia *Vernen* cum celebri Regum Mauſolæo viſitur. Cæterum univerſa regio in ſex Provincias dividitur, hæque ſunt VeſtroGothia, Hollandia, Scania, Blekingia; Smalandia, OſtroGothia. Hollandia, Scania, & Blekingia ad Danum ſpectant; cum Cimbrica enim, & inſulis adjacentibus Daniæ regnum integrant: reliquæ ad Suediæ regem. In Danicis Provinciis urbes Varburgum, inſigne munimentum in Hollandia agrorum ubertate, & pecorum divite; Helſingoburgum in Scania, incolis *Schone* dicta, quaſi amœna. Coronia *Landſcroon* condita ab Henrico VII. anno 1413. portu capaci nobilis. Lundia *Lundõ* Archiepiſcopalis. Malmogia totius Scaniæ metropolis. Trulleburgum in Blekingia, & Chriſtianopolis.

Supra ad Septentrionem circa Botnicum ſinum eſt ampliſſimum Suediæ, ſive Suetiæ regnum, quod gentium annales antiquiſſimum faciunt. quippe qui Scarinum undevigeſimum regem ſuperiorem Abrahæ temporibus ſomniantur. inficiari tamen non poſſumus apud indigenas antiquiſ-

quiſſimam fuiſſe regiam poteſtatem . at propriis regibus extinctis, vocati Duces Mechelburgenſes. mox Daniæ,Svediæque regna coniuncta ſunt. Exin iterum devulſa, cum Guſtavus ex antiquo regum genere avitum ſceptrum è Danorum poteſtate vindicavit,tranſmiſitque ad poſteros , at verò Sigiſmundus,dum externum Poloniæ affectat patrio adiungere, hoc amiſit: ſuffectuſque à regni proceribus Carolus patruus anno 1604. huic ſucceſſit Guſtavus II , qui Victoriarum fortuna Moſcoviam,Poloniam , ac Germaniam terruit. hoc extincto , conſalutatus eſt anno 1654. Carolus X.ex domo Palatina ducum Bipontis , cedente regno Chriſtina Guſtavi filia Catholicam fidem amplexa.

Regnum in has provincias dividitur Gothiam *Gotland* Suediam,Finlandiam , Ingriam , & Æſtoniam. De Gothia dictum : de reliquis agendum . Suedia in V. Provincias ſecatur: Sudermaniam, cuius caput Nicopia: Neriείam metallis divitem, cuius oppidum Orebròa: Dalercaliam: Veſtmanniam cujus caput Aroſia *Veſterros*,cum arce, & Epiſcopi ſede:Ulpandiam,quæ lacu Mellero, Suga amne,& mari terminatur.ad annum Chriſti 1060 contra Moſcorum irruptiones ad oſtium Melleri lacus in inſula juxta mare arx ædificata , ubi hodie *Stocholmia* Ulpandiæ,totiuſque regni metropolis, ubi regum ſedes, & Emporium celebre . Sunt & urbes Enecopia , & Uſpalia Archiepiſcopatu,& academia inſignis:olim regni caput.

Finlandia ſuos olim reges habuit ad annum uſque MCL , cum ab Henrico Suediæ rege ſubacta; & ab Henrico item Uſpalenſi Epiſcopo ad Chriſti fidem adducta eſt Dividitur in ſeptem regiones Caianiam,Tanaſthiam , Finlandiam , Nylandiam,Savolaxiam,Corellam & Europam.illarum

ſum autem principes urbes *Caianeburg, Tavaſth, Abo, Viburg, Niſlort, Kekolm, Notteuurg*. Regio tota paluſtris maximi lacus Duega, & Ladoga, qui Europæ maximus, Phocas alit, & piſces Harengios maiores, *Ladog* dictos, unde, & Lacus nomen.

Ingria & Eſthonia, ubi olim Æſtiones à Tacito poſiti circa Iſthmum Scandinaviæ ſunt, Harriæ, ſive Eſthoniæ caput Revalia, Ingriæ quæ & Virria Nerva: ſunt etiam urbes Capuria, & *Tavonegorad* munitiſſimum in Iſthmo propugnaculum. hæ Provinciæ cum parte Finlandiæ ſuperioribus annis Moſcovitico fœdere Suedis adiunctæ. Cæterum Finnones lingua utuntur propria, in qua nullam dictionem inchoant à literis B, D, G, nulla duplex conſonans, nullum generum diſcrimen, & unicus articulus. rudes omnino, & ni pueri in Suediam eruditionis cauſſa mittantur, ineptiſſimi ad literas addiſcendas Sueci cultiores, & Latinè, Gallicè, & Germanicè plerique loquuntur olim penes Epiſcopos dignitas Senatoria, qui arces, & villas habebant: At confeſſio Auguſtana omnibus exuit, regioque Fiſco addixit.

CAPUT XX.

De Sarmatia Europaa.

QUid quid Terrarum ultra Viſtulam, & Iſtrum amnes uſque ad Riphæos montes extendebatur, Sarmatias veteres vocavere, & quidem Occidentalem partem Europæam, Orientalem verò Aſiaticam. Huius autem vaſtiſſimæ regionis termini, ab Occidente ſunt Viſtula, Suevicum mare, Finnicus ſinus media linea cum Granduico, ſive albo lacu coniunctus, à Septentrione Oceanus Sarmaticus, qui & Scythicus, ſive concretū mare:

ab

ab Ortu iidem termini, qui Europæ: à Meridie Mæotis palus, Pontus, Iſthmus Tauricus, Iſter, Hieraſius, & Carpathi montes. Longitudo ab Hieraſii, Iſtrique confluentibus ad *Oby* ripas eſt mill. IIMCXVI. latitudo ab amne Rha ad Granduicum ſinum MCCCCXL. ſita eſt inter VIII, & reliqua climata Borealia.

Præcipui montes Sarmatiæ ſunt Riphæi, Hyperborei, Alauni, & Carpatus. Fluvii verò Vagus, Rha, Tanais, Boryſthenes, Viſtula, Chronius, Turuntus, & Cheſinus. Populi celeberrimi Riphaces, qui in Hyperboreos, Agathyrſos, & Arimaſpos dividebantur: hi omnes fuere, ubi nunc Provinciæ *Karcapal, Duine, Candòra, Siberia Abdora*. Cæterum de Hyperboreis, qui in extremo litore habitabant, uſque ad Riphæos montes, hæc veteres commenti. Regio aprica felici temperie, quamvis ſub ipſo ſyderum cardine poſita; unde & Hyperborei à Græcis dicti, omni afflatu noxio carens, per ſe fertilis. Cultores juſtiſſimi, qui diutiſſimè ac beatiſſimè ſupra reliquos mortalium vivebant, Quippe qui feſto ſemper otio læti, non bella nòverant, non jurgia, aut ægritudinem ullam: ad innocentiam cuncti conſpirabant. domus nemora, ac luci, quorum arbores in diem victum dabant. Mortem nonniſi ſatietate vitæ ultro accerſebāt. Siquidem epulati ſenes, ſertiſque redimiti ſeſe ipſos ex certa rupe in mare præcipitabant, quod genus ſepulturæ, beatiſſimum ducebant.

Reliquæ gentes Roxolani, quorum minores Hamaxobii, Baſilides, Eſſedones, Tanaitæ, ubi Tanais urbs *Tana*, Alanimi: hi omnes in magno Moſcovi Imperio. Iazyges Mæotę, Boryſthenitę, quorum Olbia, hi ambo nunc Tartari Præcopenſes. Æſtiæi, & Hitri, ubi Lituania, & Livonia, Venedæ quorum Nervi, Geloni, Trogloditæ, ubi Polonia, & Li-

& Lituaniæ pars. Tyrangitæ, quorum minores Ubi, & Axiacæ, oppidum Tyras ad amnem cognominis. nunc ſunt Podoliæ populi, & Voliniæ. Baſtarnæ, minores Atmonii, Peucini, Sidones, aliique multi: urbes Corrodunum Leopolis, Clepidava, *Kaminiec.* Sarmatis, qui & Sauromatæ, nulli fines olim fuerant, nec urbibus, aut una ſede tenebantur; ſed ut invitabant pabula, aut cogebat hoſtis: in Caſtris degebant ſuaque omnia ſecum ferebant in plauſtris, quæ corio contra imbres tegebant. ipſis etiam fœminis, ut Amazonibus, venari, jaculari, equitare puellarum penſum: ferire verò hoſtem ſpolia detrahere adultarum erat: atque ob id mammas adurebant.

CAPUT XXI.

De Poloniæ Regno.

POloniæ Regnum ampliſſimum eſt, cuius termini ab Occaſu Germania, à Meridie Carpatus, & Tyras amnis, quibus ab antiqua Dacia, nunc à Tranſilvania, & Moldavia diſiungitur: ab Oriente Moſcovia, & Scythia minor: à Septentrione Suevicũ mare, & Turuntus amnis *Duzvina*, quo à Livonia ſeperatur. quoad Cœli ſitũ inter parallelũ XLVII, & LVII jacet. Univerſi Imperii hæ partes, Polonia ſtrictè ſumpta, Magnus Ducatus Lituaniæ, Volhynia, Ruſſia, Podolia, Pruſſia, Polaskia, Mazovia, Cuiavia; quibus accedunt Samogitia, Semigallia, Curlandia, & Livonia. Polonia dividitur in maiorem & minorem: Maioris urbs princeps Gneſna condita à Lecho anno DL ad Aquilarum nidum, hinc nomen urbis, & inſigne gentis Aquila candida. Archiepiſcopi ſedes, qui regni primas, ac Summi Pontificis legatus,

tus. reliquæ urbes *Poſnan* Epiſcopalis, *Lancicia*, *Rava*, *Sitadia Kalitz*. Minoris Poloniæ urbs caput totiuſque nunc imperii, ut ante Gneſna, Cracovia Epiſcopi ſedes: ſic dicta à Craco à quo ædificata circa annum DCC, ad Viſtulam amnem, qui urbem in duas partitur, quarum una Cracovia, altera Cazimiria vocitatur; utraque ligneo ponte coniungitur. Cracovia antiquis mœnibus cincta vix munitur; quare anno MDCLVI. à Suedis nullo negotio capta. Cazimiria ſuis mœnibus item præcincta egregio opere. plateæ in utraque ampliſſimæ porticibus adornatæ, & nobiliſſimis ædibus. in colle ad Viſtulam ſitum eſt Caſtrum inſtar urbis circuitu patens IIIM. paſſuum, muri ex lateribus externo etiam opere muniti. in eo ſunt ædes regiæ, & Eccleſia princeps divo Stanislao ſacra, cuius Lipſana ſumma veneratione coluntur, cæterum urbs totius Poloniæ nobiliſſimum Emporium. Reliquæ urbes ſunt *Lublin*, & *Sandomiria*.

Lituania ampliſſima regio urbem habet principem Vilnam Epiſcopi ſedem, & primi Palatini. ſedet ad amnem Vilnam, à quo nomen oppido factum eſt, amplitudine Cracoviæ par, ædificiis tamen inferior, quæ ex ligno ſunt, atque humilia. reliquæ urbes *Poloſzko*, *Vitepsk*, *Miſoziſclavu*, *Minsko*, *Novogrodack* urbs ampliſſima, ſed infrequens, *Troki*, & *Smolenko*, quæ civitas Moſcoviti juris facta.

Cuiavia inter Poloniam & Pruſſiam jacet: urbs primaria *Vlandislavia*, *Dobrin*, & *Baſt*, quarum prima Epiſcopalis.

Maſovia ad Meridiem Cuiaviæ ſita, urbem habet principem Varſaviam, ubi conventus habentur ad Regem creandum, ibique rex ut plurimum degere ſolitus, atque ob id cum Cracovia con-

ten-

tendit. reliqua oppida *Plotzko*, *Lucno*, quorum primum Epiſcopi ſedes.

Ad Orientem eſt Polaquia, cuius oppida, *Kayſſin, Byelko, Bulsko, & Bohicin*, Ad Meridiem verò Polaquiæ, & Lituaniæ eſt Poleſia, cuius *Breſſici* caput: regio ampla, & plana.

Sequitur verſus Carpathum Ruſſia nigra, cuius princeps Leopolis, olim Carrodunum, ad Hypanim, *Ruth* amnem poſita Turcicis mercibus nobile Emporium, atque Archiepiſcopatu inſigne: urbes reliquæ *Chelm, Przeſmiſl*, Epiſcopales, *Chielmnick, Belzo*.

Volinia ad Orientem porrigitur, inque Superiorem, & inferiorem diviſa: Superioris oppida *Luſuc* Epiſcop: & *Volodimirtz*, Inferioris *Ciovia*, quæ ad Moſcos ſpectat, ad ripas Boryſthenis, *Nieper*, eſt notū oppidū *Circas*, ex quo populi Circaſſi appellati. Cæterum dicitur etiam regio *Vkrania*, quam ut plurimum Cozaci incolunt. hi enim, à voce Ruthenica *Cozac*, quæ vagum militem ſonat vocati, ad 40. millia in 120. turmas equitum diſtributi ſunt nobiles omnes, ſed tenuioris fortunæ, ac primum prodiere ex *Cirches* inſula Boryſthenis. horum eſt excurſiones in Tartaros, Turcas, ac Moſcos facere: fineſque Polonorum tutari. Pugnant læna *Kylo* facta Moſcorum ritu, quæ Lanceis, jaculiſque reſiſtit, armati ſclopo brevioti, & catapulta graviori, atque unius aciei recurvo gladio, quem aurea catenula pendulum, è corpore habent, tympano canunt ex ære, tuba non utuntur, niſi coram Prætore, quem ipſi conſtituunt: quique fidem præſtat regi Poloniæ. à quo ſtipendia merentur; victum gentes, apud quas manent, ſubminiſtrant. Cirches inſula, ubi firmiſſima veluti in arce Coſari degunt tunc dicunt *Tamo Koukam*.

Po-

Podolia Tyra amne, *Nieſter*, & Volhinia clauditur. dividitur in Superiorem, & Inferiorem *Superioris* urbes *Bar*, & *KaminecK* munitiſſimum ſitu, & arte oppidum contra Barbaros, at anno 1672. à Turcis captum; nec dum poſt tot Barbarorum clades receptum, Epiſcopi Sedes. Inferioris ſunt *Braclauu*, & *Orihouu*.

Superſunt ad Septentrionem Samogitia, Curlandia, & Semigallia. hæ duæ ducatus, ad unum pertinent Poloniæ vectigalem, ſedes ducum Mittovia *Mittauu* ad Balderanum amnem. Curlandiæ caput *Goldigen* ad Vilanum fluvium poſita, qui in Balthicū ruit ad *Vuindan*, ubi portus Batavorum appulſu frequens, & dives. Samogitia ultima pars Livoniæ ad Meridiem. incolæ per Sylvas diſſipati viatim habitare cæperunt anno 1532. quò Sigiſmundus Poloniæ rex ſingulis tria agri jugera attribuit per Jacobum Laſcou, qui gentem primus ad fidem adduxit. nullæ adhuc urbes, ſed humiles caſæ in quibus agreſtes homines cum pecoribus ſuis degunt. focus in medio ardet: animalium cornibus utuntur pro poculis: terram quamvis duram non ferro, ſed ligno proſcindunt. excavatæ arbores mel album, atque optimum exigua ceræ portione ferunt. Equi puſilli, ac robuſtiſſimi mirum quot onera geſtent: at indigenæ proceri, ac bellicoſi. Regionem moderatur Stareſta, qui quandiu vivit Vaivodæ more præfecturam retinet, Lituanus ut plurimum ab Rege diligitur. puellæ tintinnabula gerunt, & de noctu lumina, ut audiri, & videri queant. nec niſi XXX. ætatis anno nubunt.

Livonia, incolis *Liefland*, inter amnem Nervam, Finnicum & Livonicum ſinus, & fluvium *Memel* concluditur. longitud. mill. CCCLX lat. verò CC. gens *Sarmatæ* à Scythis pulſi hæ loca occupa-

patunt, non unius autem linguæ fuere; ſiquidem in hanc diem Eſtones, Livones, Letti, & Curoni per agros fuſi nihil penitus in lingua commune habent. Oppida, quæ habent Bremenſes Germani commercii cauſa profecti ædificarunt. D. Meinardus Lubeca profectus cum mercatoribus, divinas Evangeli merces invexit circa annum 1200. cui in Epiſcopatu Bertoldus Ciſtercienſis Abbas ſucceſſit, à quo ortum habuit Sacra militia Fratrum Enſiferorum, qui anno 1237. Teutonicis adiuncti Rigam metropolim Archiepiſcopus, & Magiſter regebant, at anno 1558. Baſilides Moſcus Dorpato capto, magna ditionis parte Livones exuit, Magiſtrumque perpetuo carcere mancipavit. nunc Livonia ad Suevum pertinet, Tellus oleo, & vino caret. abundat verò frumento, lino, cera, melle, piſce, pecore, equis, atque armentis.

Pruſſia juxtà litora Balthici maris ab oppido *Memel* ad Dantiſcum uſque mill. Polon. LVIII. patet Boruſſia dicta ab incolis à Riphæis montibus advectis: qui & Pruteni idololatræ uſque ad annum MCCXXVI. dividitur in Ducalem, & Realem: Ducalis ad Orientem ſita in qua urbes Mons Regius *Kunisperg*. Regiomontani inſignis Aſtronomi patria. Varmia *Fraumburg* Epiſcop. huius Eccleſiæ Canonicus Nicolaus Copernicus alterum Aſtronomiæ lumen. & arx *Memel*. Regiæ princeps Mariæburgum, reliqua oppida Culma, Torenia, Godanum. Ad oſtium verò Viſtulæ Dantiſcus, *Dantzic* totius Pruſſiæ primaria, emporio, civium frequentia, & navigationum opportunitate nobilis, Anſeaticarum una, quæ inſtar Reipublicæ regitur. ditiſſima, cum omnes pene merces, quæ in Poloniam invehuntur in hanc appellant.

CA-

CAPUT XXII.

De exordio regni Poloniæ, ducatuſque Lituaniæ, ac Pruſsiæ, deque Gentis politia.

LEchus Croata circa annum DL, Vandalis ejectis, primus regni Polonorum fundator, qui à voce *Pole*, quæ planitiem Slavis ſignat, Poloniam vocavit: Si enim Carpathum excipias, qui illam claudit, regio tota plana eſt. Lecho ſucceſſit Cracus; aliique principes gentem rexerunt uſque ad Boleſlaum Cabrium, qui anno 1001 Sacris initiatus eſt: gens non multo ante Chriſto nomen dederat. hic primus rex dictus, Romanique Imperii ſocius ab Othone III. qui illi pro inſignibus regiis coronam dedit, & ſceptrum: præterea lanceam D. Mauritii, & Clavum Domini: quæ in Eccleſia Cracovienſi aſſervantur. Boleſlaus II. D. Stephanum Epiſcopum Cracovienſem occidit: atque ob id regnum in Principatum redactum: creatuſque primus Princeps Uladislaus anno MLXXXII. anno verò MCCXCV. Primiſlaus creatus Rex. Regnarunt alii præcipuè è Suedis, atque ex Hungaris Stephanus *Bathòry* Princeps Tranſilvanorum, cui ob egregia in Rempublicam merita magnificentiſſime pro more gentis parentatum eſt. anno MDCLXXIV. creatus Rex Joannes III. ex Familia Sobieskya, cum præcedenti anno ad Chotzinum Turcas ingenti clade profligaſſet, uno ex ducibus propria manu obtruncato. Lituana gens *Slavorum* item ex genere ſuis dominis paruit, quorum Iagellus anno MCCCLXXXVI. ducta in uxorem Heduigi, quæ ultima de ſtirpe Polonica ſupererat, ex duce rex inauguratus, his conditionibus, ut Chriſto nomen da-

daret, ſuoſque ad Fidem perduceret, ut Lituaniam Poloniæ adiungeret. Baptiſmo luſtratus Uladiſlaus appellatus. Lituania verò nonniſi ſuperiori ſeculo ad Poloniam acceſſit.

Poloniæ regimen ex Ariſtocratico, & Monarchico mixtum, regem Senatores, ac Palatini eligunt, comitia indicit Gneſnenſis Archiepiſcopus, qui interregni tempore legationes externorum pro ſuo jure audit: electum regem appellat, & Cracoviæ diademate inaugurat. Rex partitum quadrifariam regnum quotannis luſtrat, illi poteſtatis modum, & amplitudinem proceres arbitratu ſuo definiunt. Militiæ munus penes nobiles: qui ad CC equitum Millia à vectigalibus immunes regi præſto ſunt, abſque ſtipendiis parati. noſtra ætate Uladiſlaus cum CLXX. mill. Turcis occurit. Nobiles in plebeios imperium pluſquam regium exercent, illoſque mancipiorum loco habent.

Quoad Boruſſiam attinet, Conradus Maſoviæ Princeps è Regio Poloniæ genere crebras gentis defectiones pertæſus, pulſos Hieroſolymis Teutonicos equites contra Prutenos accivit, data in mercedem Culmenſi ditione. Hermandus à *Salicen* IV. Ordinis Magiſter cum XX. Mill. Crugigerorum Pruſſos, & Conradum è Culmenſi ditione eiecit: quique ſecuti ſunt, arces LXXII, urbes LXII extruxerunt, ut in obſequio, ac Chriſtiana Religione, quam ſuſceperant Pruſſos continerent. qui uſque ad annum MDXXV. regnarunt. Nunc ducalis ad Marchionem Brandeburgicum ſpectat: Regia ad Polonos.

Cæterũ univerſum Poloniæ regnũ in XXXIV. Palatinatus dividitur, quorum primi Cracovienſis, & Vilnenſis, his, qui præſident, Palatini appellantur. horum autem nati honoris gratia Palati-

nides vocantur. Palatinatus in Caſtellanatus: hi verò in Capitaneatus ſeu prefecturas LXXXII. diſtribuuntur, omnibus duces duo præſunt, qui ex decreto Senatus, ut res poſtulat, copias conſcribunt. in Polonia Latinis literis, in Lituania verò Rhuthenicis caracteribus omnia conficiuntur.

CAPUT XXIII.

De Montibus, & Fluviis Poloniæ ſoli, Cælique indole, necnon & gentis.

SArmatiæ mons Carpatus, Carpates aliis dicitur, *CarpacK*, qui vaſtiſſimis jugis olim Dacos à Sarmatis diſiungebat, nunc Poloniam ab Hungaria, ac Tranſilvania dividit. altiſſimus eſt, ut merito Sarmata vates Caſimirus cecinerit

Septemque qui fulcit Triones
Carpatus.

Et in Itinerario.

Carpatus à noſtro qua ſeparat Orbe Polonos,
Vertice contingens ſydera celſa ſuo.

variis hodie nominibus appellatur. ubi enim Moraviam ab Hungaria dividit *Schneberg* Germanis: *Tatri* Slavis vocitatur: ibique montis altiſſima juga *Sarmaticæ* rupes Solino dictæ. ubi Ruſſiam à Tranſylvania *Bieſcid*: ubi Poloniam ab Hungaria *Tarczal*.

Cæterum totum Poloniæ regnum campeſtre magnis fluminibus rigatum, magniſque lacubus diſtinctum, præcipue Lituania. Flumina ſunt; memoratus viſtula *Veixel*, qui ſupra Mariæburgum in duo cornua ſectus inſulam efficit Zulanam; nomenque deſerit nam ſiniſter alveus *Leninnia*, dexter *Negatus* vocitatur. hic in Habum lacum

tribus oſtiis, ille partim duobus in eũdem lacum, partim in mare ſe exonerat ad Electriden inſulam, in Viſtulam influunt Hypanis, & Sanus *San* juxta Sandomiriam lazuli, & argenti venis claram. Chronius,qui Polonis *Niemen*, Germanis *Mamel* indigitatur. oritur ex lacu Chrono in ducatu Pluskienſi, cuius dux ex Raziviliorum domo Polonis paret. totamque Lituaniam ſecat exceptiſque cum Volna multis amnibus in Curionenſem lacum,atque hinc in Balthicum deſcendit. Duna ex lacu item Duna oritur, luſtratoque *Vuitepr*K validiſſimo Lituaniæ cõtra Moſchos munimento, & urbe Polorio, emenſuſque mill. Polonica CXXX. in mare Balthicum ingreditur altero infra Rigam lapide.

Tyras, *Nieper*, à celeri curſu veteribus dictus, oritur in *Bieszked*, qui Carpati pars eſt, rigatque primò urbes Biſtricẽ,& Lipam in Ruſſia. deinde ut olim medius voluebatur Niconiam inter, & Ophiuſam urbes Straboni memoratas, ita nunc inter geminam Orihoviam *Orihon:* exceptoque juxta Tehiniam munitionem Turcicam amne ex lacu *Kutzuran*, Ponto ſe miſcet.

Bogus aliquibus putatur Hypanis, qui ex palude profluit ſapore dulciſſimo, donec ad XL. mill. ei miſceatur Exampæus exiguus fonticulus, qui ſua amaritudine totum fluvium corrumpit, tandem Boryſtheni miſcetur: de hoc Ovid.

Quid? non & Hypanis Scythicis de montibus ortus?

Sequitur Boryſthenes, incolis *Nieper*. Marcello Danaſtus,at Herodoto Naparis.poſt Danubium Europæ maximus. ortum habet ex duplici lacu Moſcoviæ, uni nomen *Vuolock* ab urbe, alteri *Dnieper*, unde *Dnieper* etiam appellatur. inter omnes Scythiæ fluvios turbidis aliis, limpidiſſimus fluit,& tenuiſſimus: unde & Hypani innaſat

in-

inſtar olei. Superior pars Sylvis conſita melle, inferior lętiſſimis paſcuis lacte fluere dicitur. non longe à Circaſſia inter rupes labitur, quibus Lituania vallatur. ad urbem Dubrounam Lituaniam ingreditur, ac ponte inſternitur, qui ſi laxetur, medium Lithuani, medium Moſchi reparát. ad hunc pontem anno MDXIV. ceſa Moſchorum XL. millia à Conſtantino Duce, auſpiciis Sigiſmundi I. amnes excipit Beretinam, Soſam, & Pripetium, qui per immenſas Poleſiæ paludes oberrans in Boryſthenem fluit. mox præterfluit Kioviam *Kiovv*, totius Magnæ Ruſſiæ, quam Albam vocant, olim Metropolis, cuius ambitus quondam VI. M. paſſuum. ſita eſt in agro melle, pecore, frumento, & piſcibus ditiſſimo; emporio item clariſſima. In hanc enim totius Orientis merces, quæ Capham appulerunt, convectantur, & viliſſimè veneunt, inque totam Poloniam, Germaniam, Suediam M. plauſtris, innumeriſque Camelis aſportãtur. Infra Kioviam Boryſtheni miſcentur Deſma, & Semus. incipiuntque vaſtæ ſolitudines ad urbem Obliam quæ Barbaris *Occa Kovn* condita anno III. poſt Troiam captam. His in ſolitudinibus Darius Hidaſpides bellum cum Scythis gerens ſiti cum exercitu penè confectus. Hic etiam Lyſimachus à Dromichero Getarũm rege vivus captus. De Boryſthene Ovidius.

Cumque Boryſthenio limpidiſſimus amne Dyraſpes.

Quoad ſolum attinet, Polonia plana, paluſtris, & nemoroſa, tritici ferax, & paſcuis ubertima, Butyri, & carnium ingẽs copia: Mellis, & cerę non alibi vis maior. reſinæ item & picis magnus proventus. In Maſovia equus niger ferus, cervino cornu reperitur: bos etiam ferus, Urum, & Biſontem vocant. potio ex melle, & tritico conficitur delicata, nam vino toto regno carent. Lithuania

propter immenſos lacus,non alio tempore quam hyberno à mercatoribus aditur, tunc enim paludibus alta glacie concretis, niveque ſuperfuſa commodum iter panditur. Novalium mira fæcunditas. Sed præ frigore præfocatur ſeges, ut minime ad maturitatem perveniat. hinc panem aſtum commodat. Tellus male culta ob raritatem hominum, vicis potius, quam oppidis habitant. gens miſera & penè nuda, quinque dies dominis vacant. Dominico, & ſequenti ſibi ſacrilegè impendunt. Nobilitas numeroſa, bellis vacat, libertatis tenaciſſima, at inculta, & barbara. innupti cũ veſtibus dormiunt, quas fere numquam lavant. in conviviis lautiſſimi, ac bibaciſſimi, ſed parum urbani eodem poculo omnes bibunt, mantilibus non utuntur, ſed ad mappam communem digitos abſtergunt. quod dominis ſupereſt; ſervi ſtatim devorant, qui equorum more ſtantes dormiunt. Latinè omnes loquuntur, ſed barbarè. mercaturam Hebræi, quorum ingens numerus, & Danſicenſes exercẽt. Servi, & hi omnes præter nobiles ut dominos lateant in abditis Sylvarum ſubterraneos ſpecus effodiunt, arborumque corticibus veſtiunt, in quibus carnes, frumenta, ac reliquam ſupellectilem recondũt. Ferunt matronas annuẽtibus maritis concubinos habere, quos connubii adiutores vocant, pellicatum viris probro dari. Religio varia. maior pars Catholica, nec patiuntur regem niſi Catholicum. reliqui Luterani, Calviniſtæ, Græcique, Schiſmatici, quos Rhuthenos vocant. ut fere ſunt Coſaci, & Lithuani. Archiepiſcopatus tres, Epiſcopi verò XVI. Academiæ Cracovienſis, & Regiomontana.

Cœlum rigidum, & in Septentrionalibus, ob paludes craſſum, & parum ſanum, præcipuè in Lithuania: in Podolia, & Ruſſia temperie gaudet, & magis ſalubre.

De

De Polonorum militari virtute, ac genio hæc nos Bellicorum i.

Lechiadum bello durum genus: arma iuventus
A teneris trahit, & ſolertior excolit annis.
At quoniam loca plana tenet campeſtriaque arua,
Idcirco gens gaudet equo, quem flectere curſu,
Inque hoſtem effuſis dimittere novit habenis.
Exſuperat Moſchos virtute, & equeſtribus illos
Sæpe domat pugnis, Dacumque, Scythenque ſub ipſo
Amne Boryſthenio metit enſe, Tyrave rubenti
Sanguine barbarico, pharetraſque, & tela ferente:
Lechiadæ teſtes virtutis, & alta trophæa.
Verum longa pati faſtidia Martis, & arces
Molibus expugnare, diuque inſiſtere caſtris
Indocilis: genti laus una, atque una cupido,
Collatis campo ſignis viciſſe patenti.

CAPUT XXIV.

De Moſchevia, ſive Alba Ruſsia.

VNiverſum terræ tractum, quæ olim Roxolani, inter Sarmatas nobiliſſimi, occuparunt, noſtra ætate Moſchi tenent, qui antea Ruſſi Albi vocabantur, quod albo pileo uterentur: quemadmodum nigri à nigro item pileo appellati. regio vaſtiſſima inter Boryſthenem, Obyn, & Volgam amnes, & Glaciale Oceanum ſita. illius termini ab Occidente Lituania, & Volinia ab Oriente Scythia, ſeu magna Tartaria, à Meridie Minor, ſive Præcopenſis, à Septentrionibus Scythicus Oceanus. quoad Cœlum, ſita eſt inter parallelum XLI & LXXI. inter Meridianum verò LX. & CXV. Longitudo maxima ponitur à Cluerio mill. MDXX. inter Obys oſtia, & Boryſthenem ad oppidum *Czirkaſsy*. Latitudo inter oppidum Finlan-

diæ *Corclenberg*, & Lepin ad Obyn ſitum oppidum mill. MCC.

Tam vaſti Imperii Provinciæ, quæ partim Ducatus, partim Principatus, nonnullæ regna vocitantur, hæ cenſentur *Duuine* juxta Arcticum circulum, in qua urbes S. Michaelis Archangeli, & S. Nicolai, hæc portu inſignis, ad quem cum mercibus Angli, & Hollandi frequentes appellunt. *Gandora* regio tota nemoroſa, & inculta. *Iugria*, quæ & *Iugorſchi* ab urbe appellata. ſolum ſterile, & inamœnum. ex hac ortos Hungaros nonnulli arbitrantur. *Petzora*, cuius oppidum eiuſdem nominis ad Septentrionem Riphæorum, quos in mappis *Komeni poyas* incolæ *Stolp* vocant. *Siberia*, cuius caput *Siber*, quæ in antiquis mappis minime adnotatur, ſedes eſt Archiepiſcopi, qui etiam ſedem habet in urbe *Tobol*. mos enim Moſcovitis, ut præſules binas ſedes habeāt. eſt autem Tobol ad amnem cognominem ſita, emporium nobile, ex quo tributa omnia Septentrionalium populorum in Moſcoviam devehuntur.

Ad Septentrionem, & Orientem huius Provinciæ habitant Scythæ Samoïedæ, ſive Autophagi, nimirum ſeipſos comedentes, Ruſſis *Samogeds* dicti. advenarum conſortia fugiunt, frugum, paniſque nulla notitia: abundant tamen feris, piſcibus, & avibus, quibus victitant. Sagittas ſilice pręmuniunt. ſpinis piſcium pro acubus, animalculorum verò nervis pro filis utuntur, quibus veſtes è Rangiferorum pellibus conſuunt. genua non antorſum, ſed ad latera complicant, tantaque pernicitate feruntur, ut nullus noſtrorum eos aſſequi poſſit, cum hoſpites ſalutant Sinarum more uſque ad humum caput demittunt, Idola ſibi ſimilia colunt.

Ultra hos inter Obyn, & Piſidā amnes Tingæſij ſunt,

ſunt, qui animi ſenſa gutture melius, quam lingua exprimunt. horum agros Leniſca fluvius inundans ſtato tempore fœcundat. Cæterum ultra Piſidā amnem novum Moſchorum Imperii limitem, hactenus progreſſus eſt nemo: etſi ex adverſo tinnitus equorum, & campani æris ſonum audiri ferant. Præterea ſunt ad Meridiem horum Lucomorii *Scythæ*, genus hominum in montibus diſperſum, de quibus, quod Sigiſmundus in commentario Moſcovitico refert, mirum eſt. illi enim die 27. Novembris mori videntur, vel quod potius eſt, ranarum more, vel hirundinum obrigeſcunt, & proximo vere circiter 24. Aprilis, ſolutis membris, nova luce veluti recreati, reviviſcunt.

Reliquæ Provinciæ. *Permia*, ſeu *Permiſki*, cuius oppidum *Prem* Archiep: Præſul autem in urbe Vuolgoda reſidet. *Cazan* regnum, quod poſt oſtiū ſuræ ad Orientem ſecundum Vuolgam prætenditur. regno dat nomen urbs *Cazan* ſita ad confluentes *Cazanke*, & Volgæ. hanc una cum regno occupavit Joannes Baſilii filius anno MDLII. Tartariſque eiectis. L. millia Ruſſorum ibi locavit. templum lapideum V. Matri poſuit. Cæterum multos annos regnum floruerat, cuius incolæ ſoli inter Scythas agros colebant, ſpectabiles animi robore, corporum candore, & proceritate, quibus non parum decoris addebant togæ è pellibus Martis, quæ denſi pili nigra, flavens, crocea, odorata, omnis generis plurima hic reperitur. Sunt & apud hos Canes feroces, amplæque naris, quibus ad plauſtra excubantibus, ne armatus quidem audet accedere. Ad Orientem huius regni *Scythæ Bulgari*, & *Zavolhani*, qui vagi habitant, ubi paſcua, & fontes ſunt; hinc Nomades dicti, omnes hi Moſco parent.

Vole, Ograma, & Dikoja circa Tanaim ſunt vaſtis ſolitudinibus horridæ, & propter vicinos Tartaros Præcopenſes penè deſertæ. Ad Occaſum juxtà Boryſthenem eſt *Seuueria*, cuius oppidum *Nouuigorodt* ad Deſmam ſitum oppidum, caput Ducatus, & Ducum ſedes, ante quam à Moſcovitis occuparetur. cæterum Severienſis Ducatus populi Ruſſorum bellicoſiſſimi. frequens hic Mattes, & mus ponticus, vulgo *Hermines*.

Sequitur ſupra Tanais lacum, Joannis dictum, Razanenſis Ducatus ab urbe principe *Razan*. Archiep: ad Occaſum eſt Vorotinienſis Duc: cujus urbes *Vorolin*, & *Coluga*. Archiep: Ad Orientem *Czeremiſſes* populi, qui verſus Volgam habitant. horum aliqui campeſtria tenent *Longorroy* appellati: alii verò montana *Nogornoy* dicti. Poſt hos *Morduna* gens, quæ cultui agrorum vacat, caſaſque extruit: cæterum vagi omnes, ut reliqui Scythæ: Mahumeti addicti, principem habent, qui nihil Moſchoꝰ pendet, niſi honorarium donum. feras in naſo vulnerant, ut pellem integram habeant. fœminæ paſſis capillis incedunt. In medio ferme Imperii Moſchua ducatus ab urbe vocatus, quæ vulgo *Moſkou* & *Moſchoux*. ad amnem Moſchuam non longe ab huius, & Occæ confluentibus ædificata à Daniele Duce circa annum MCCXL. factaque Imperij ſedes, tantaque magnitudine crevit, ut una inter quatuor Europæ urbes cenſeatur. etſi poſt incendium à Tartaris excitatum anno MDLXXI. multum defecerit, ut vix Londino ſit maior. quatuor partibus conſtant, quarum nomina barbaris iſthæc ſunt *Kaitaigorod*, *Czoargorod*, *Skoradon Strelitza-Salnoda*. Eſt præterea ingens caſtrum *Cremencla* vocitatum, per quod Neglina rivus tranſit. mænia arcis, ubi Imperatoris ædes, ex lateribus. ante arcem

am-

ampliſſimum forum, ubi quotidie nundinæ frequentiſſimæ celebrantur. ædificia ex ligno: nobilium pulchræ, & elegantes. Regia tamen lateritia. Sacræ Parocorum, & Monachorum ædes CCCCL. eminent inter reliquas IV. S. Trinitatis. Annunciatæ Virginis. D. Michaëlis, & S. Joannis. Singulis annis diè Palmarum ramis ſacra, ex templo Virginis, ad Trinitatis in Hieruſalem ſupplicatio inſtituitur genti ſolennis. Præcedunt longo ordine Præſules cum clero, ac Monachis. Sequuntur bini Equi, qui arborem trahunt, ex qua omnis generis fructus pendent. in que arbore IV. pueri ſedent albis amicti, atque piè, decenterque *Hoſanna* identidem ingeminant. Sequuntur hos XL. iuvenes nobiles, qui per plateas togas cocco pictas, ac tapetia ſternunt. ultimus Patriarcha aſino inſidēs, quem Imperator pedes capiſtro deducit. idem fit per totam Moſchoviam. Præfectis Provinciarum aſinū trahentibus in Templo D. Michaëlis Duces tumulantur. In D. Joannis inter reliquas campanas una eſt quæ libras pendet 66000. In Virginis æde ſunt turres IV. ære deaurato tectæ, altiſſimæ omnium vertice ingens Crux ſolido ex auro emicat. ager ſuburbanus ſabuloſus, ſolis leporibus abundat. ad XII. lapidem verſus Septentriones viſitur celeberrimum Cœnobium *Trois*. in quo CCCC. Religioſi ſub regula D. Baſilii degunt. ad hos bis in anno pietatis cauſſa Imperatores divertunt.

Ad Occidentem poſitæ ſunt *Treuner*, cuius oppidum Archiep: eiuſdem nominis & *Coſſin*. *Bela*, quæ & *Bielsk*, ab urbe item denominata. Ad Septentrionem harum *Reſchoun* cum urbe, & arce eiuſdem nominis, eſt & *Melikoluk* oppidum Archiep: *Reſtoun* Principatus, & *Laroslaun* Ducatus, ambæ urbes ſunt ſub uno Metropolitano, Ieros-

lavia in regni meditullio eſt Emporio nobilis civium capita numerat XL. millia. Pleskovia cuius *Pleskouu*. Magna Novogardia Vueliki Novigorod, cuius *Novigorod* Archiep: ad Meridiem oppidum celebre *Stara Ruſſa*: ex qua nonnulli Ruſſos cognominatos putant.

Ad Orientem eſt *Suſdal* cuius urbs item *Suſdal*, & *Troytsko* in utraque idem Archipræſul. *Vuolodomiria* inter omnes nobiliſſima. urbs Vvolodimiria, caput olim Imperii, & Sedes Ducum, anno MXV. à Volodimere Duce condita. utraque Provincia melle, frumento, & pecore abundat. Niſi Novogorodia, *Niſſy Nouuogorod* nimirum parva Novogorodia, cuius *Niſi* oppidum, & *Vraſſeligorod*. *Gallitz* cuius oppidum perexiguum *Gallitz*. Ad Septentrionem eſt *Bielozer*, cuius *Rieleiziero* ad lacum Riclozerum ſita in ripa Occidentali, inter paludes inacceſſibilis: hinc ibi tamquam tutiſſima in arce gazæ partem aſſeruat Dux Moſchoviæ. *Vvologda Kargapol* cuius oppidum ejuſdem nomenclaturæ ſitum ad Onegam amnem. *Vſtiouga*, urbs cuius olim ad amnem *Lug*, nunc ad *Suchanen* ſita. *Vviatzka* cuius *Chilinova*. tres iſtæ ultimæ Provinciæ ſabuloſæ, ac ſteriles.

CAPUT XXV.

De Fluviis, Montibus, Cœli, ac ſoli indole.

Moſkua, qui Urbi, Provinciæ, totique Imperio nomen facit: quamvis multi autument Moſchos eos eſſe, quos ad Phaſidis fontes Pomponius Mela locat: alii dictos à Moſchita regione inter Colchidem, Iberiam, & Armeniam poſita. utut ſit, oritur pene iiſdem fontibus, ac Boryſthenes: ſex mill: ſupra Moſaizkum oppidum fit navi-

vigabilis: ſex verò infra Moſchuam, in Occam influit.

Occa piſcoſus amnis, haud longe à minori Scythia oritur: rigataque Colluga, ubi modici crateres, alíaque minutiora opera è ligno fiunt, perque Lithuaniam diſtrahuntur, Tullam excipit: ubi Tulla munitio contrà Tartaros. mox Mordunam regionem amnem rigantem ſuſcipit, poſtea Cleſmam: curſuque in arcum reflexo in Volgam ſe præcipitat.

Vvolga, Rha Ptolemæo Scythis *Edel*, oritur in ſilva Ducatus Reſchoviæ *Vuolkonuskiles* vocata. in qua palus *Vuronou*, ex qua ortus emenſiſque duobus milliariis Polonicis, in lacum *Vvolgo* cadit: ex quo emergens Vuolga vocitatur, agroſque leporibus albis refertiſſimos rigat: hic ſæpe Duces Moſchi venationi vacant. hinc pleno alveo Tuverenſem Ducatum ingreditur, qui ad bellum XL. millia Equitum mittit. ad Tuveram urbem fluvium cognominem admittit. mox ad Ortum iñclinatus aliquantiſper in Boream redit: recipitque Nerlam ex lacu venientem: poſt hunc Morologam. hinc rurſus ad ortum inflexus, ſubit Bieleizorum ab albo lacu mill. Polonicis XII. latum, longũque, dictam regionem. ad lacum arx natura loci munitiſſima, ubi altera pars Gazæ Moſcoviticæ aſſeruatur. non longe lacus alter, dives ſulphure, quod Solna fluvius, (quem unum uterque lacus emittit, etſi XXX. ferme alios admittat) veluti ſpumam ſupernatantem devehit. Recipit deinde Caſtromum è lacu *Galitz* profluentem ad huius profluentes munitio *Caſtromonugorod* appellata. in lacu Galitz ſalem coquunt. Mox Suram amnem, qui urbem eiuſdem nominis rigat. Non longe fluit Volga per vaſtas ſolitudines, quæ inter illum, Occam & Tanaim interiacent.

cent. ubi verò Orientem verſus inflectitur uno oſtio excipit amnes *Kumam, Viſchoram,* & *Viatkam,* & Riphæis montibus profluentes. his exceptis, in Auſtrum abit per Scytharum regna, in quibus Horda *Taxeri* nimirum liberorum hominum, & Horda *Nagai*. Horda, vulgò *Ordù* caſtra, & turbas hominum ſonat. qui omnes victi à Joanne Baſilide anno MDLIX. Mox *Aſtrakanum*, regnum ingreditur, cui nomen dat Urbs *Aſtrakan*, ſita ad Occidentalem ripam millia paſſuum XVIII. ab oſtio remota. hanc cæpit Joannes Baſilides anno MDLIV. quam poſtea fruſtra tentavit Selimus Turcarum Imperator. Non longè ab Aſtrachamo montes nativi ſalis ſunt, in quibus licet à multis retro ſeculis multa hominum millia ſalem præcidant durum ad inſtar lapidis, ut criſtallum verò pellucidum, ſemper tamen renaſcitur, nec deficit. Tandem confectis mill. bis MDCCC. in Caſpium mare devolvitur duobus alveis, qui LX. circiter leucis à mari incipiunt tamquam à vertice procedere inſtar æquicruris trianguli, cuius maris ora L. Leucis patens baſis eſt. Totus interdum concreſcit: piſcoſuſque admodum eſt. piſceſque habet mortiferos, quorum Occa optimi ſaporis, quæque ſiccata ad annum aſſervatur. penderque libras VII. Juxta ripas frequens naſcitur Rhabarbarum. & quoddam Zoophyti genus Scythis *Boranetz* dicti. Lana operitur agno perſimilis, laneaque ſerta pro cornibus habet: vicinam herbam depaſcit, quantum nimirum vinculum, cui terræ inhæret extenditur: ſiccataque herba, deficit carnem habet exquiſiti ſaporis, ut meritò à lupis expetatur. Cæterum inter maiores alveos multæ inſulæ prætenduntur paſcuis uberrimæ: hinc ſciſſum flumen LX. penè oſtiis ſuperbiſſimo veluti faſtu mare ingreditur.

Oby fluvius antiquis dictus Carambucis, oritur ex Kitayſco ampliſſimo lacu. ab Oriente in Boream labitur: luſtratiſque Siberitis Lucomoriis, Samoièdis ad promontorium Lytarmin, vulgò, *Capo Oby*. in Glaciale Oceanum irrumpit ſex oſtiis è regione Elixonæ inſulæ, quam Batavi Novam Zemblam vocant. tantę longitudinis, ut vix tribus menſibus peragatur: latitudinis verò, ut vix biduo traiiciatur. non longe ab oſtio Slatabbabæ mulieris infantis geſtantis ſignum ex auro antiquiſſimum viſitur. In Obyn influunt medio amne *Taëz* Leniſca lacus, Yrtis, qui *Tobol* devehit. Sola, aliique. ad Orientem in eundem Oceanum prolabuntur *Lenizaia*, & *Piſida* ultimus limes Moſcovitici Imperii. ad Occaſum *Petzora*, qui regioni nomen facit, utramque huius fluminis ripam perpetuo jugo vallant mõtes inter Europam, & Aſiam medii, antiquis Riphæi, & Hyperborei dicti, Athenæus Obyos vocat. Ruſſi *Ziemnoipoias* lapideum nimirum terræ cingulum, indigitant. tantæ altitudinis, ut vix XVII. die verticem teneas. nive perpetua rigent, cedros altiſſimas alunt, Zibellinos omnium nigerrimos, Falcones albos atque aucupio laudatiſſimos. Incolæ ſimplices, fide imbuti anno MDXIX.

Dwina, Ruſſis binarium ſonat, ſic dictus quod, duobus fluviis *Iug & Suchana* junctis, coaleſcat. tranſit per ſolum adeo acre, ac auſterum, ut ex eo incolæ ſal excoquant. in mare ſex oſtiis venit. ad oſtii borealis ripam oppidum S. Michaëlis, ad Auſtralis S. Nicolai: utraque emporio nobilis. Non longe in Album ſinum Onega fluvius immergitur.

Præter memoratos montes ſunt ad Meridiem *Bogloay* ab incolis appellati; qui Riphæorum pars ſunt, Hippici Ptolemæo dicti. Cæterum regio tota

fere

fere campeſtris innumeris latè paludibus interſecta: ager item arenaceus vinum, & oleum negat. eſt tamen dives olerum, lini, cannabis, pecorum, & tritici. quod tamen propter aëris rigorem in hypocauſtis ſiccant. quæ cęli intemperies fructus minus ſuaves reddit. Maximum quæſtum ex cera, & melle gens facit: quorum tanta vis, ut illis paſſim cavæ arborum oppleantur. Perhibent non multos ante annos ruſticum, fallente veſtigio, intra tuncum arboris dilapſum pene in melle, cuius ibi inges copia, naufragium feciſſe, nec niſi poſt aliquos dies prebente tabulam urſo evaſiſſe. hic enim ut mel educeret poſteriorum pedum alterum immiſit, quem ruſticus apprehendens numquam dimiſit, niſi extra caveam una cum urſi pede veniſſet. ſic ſæpe inopina ſalus favente ſive caſu, ſive fortuna, in ſummis periculis affulget. Pars ad Septentriones poſita ſylvis obſita, atque horrida, in quibus Uri, Alces, Urſi, Lupi nigerrimi, & animalia omnis generis, quorum villoſæ pelles per totam Europam caro diſtrahuntur. quæ verò ad Meridiem eſt, plana, & aperta paſcuis lætiſſima, præter vaſtas ſolitudines: in quibus tamen ſi cultus accederet, non deeſſet ſua feracitas. Cœlum horridum, ac frigidiſſimum, ut ſputa, ante quam cadant, congelentur. Solum ferè per ſex menſes nivibus canet, fluvii, ac lacus piſcibus abundant, quibus gens victitat, præcipuæ in Borealibus.

CAPUT XXVI.

De Moſchorum regno, & gentis ritu, ac moribus.

QUoniam nulli apud barbaras gentes annales, nulla Hiſtoria, nihil certi de initio, atque incremento Moſcovitici Imperii certò ſtatui poteſt,

teſt. Memorant tamen primos Novogrodenſes Ruſſiæ habenas tribus Danis fratribus tradidiſſe circa annum ab Orbe inſtaurato DCCCLXI. ex his varii orti Principes modo unus, modo plures regnarunt;nullus tamen ſummo jure uſus eſt. Poſt enim devaſtatam à Tartaris Ruſſiam circa annum MCCXXXVII, tributum illis per anno CCLX. ſolverunt. quibus elapſis Ioannes Baſilii filius Præcopenſes Tartaros expulit,debellatiſque minorum gentium ducibus vaſtum Imperium, totius Moſchoviæ fundavit. quod cum per longum,& latum ad ter millia milliaria ferme excurrat,meritò Cæſaris nomen, *Czaar* gens dicit, Principi conciliavit. nonnulli referunt,hoc nomen, cum Aquilæ inſignibus uſurpatum à Joanne *Baſiliovitz*,ut vulgò perſuaderet ſe à Romanis Imperatoribus ortum. At gens per DCCC. pene annos principes Knez,hoc eſt,Duces appellavit, atque hinc nos magnum Ducem vocitare ſoliti. Huius autem ſummum Imperium:reliqui omnes miſera ſervitute premuntur:Nobiles ab Imperatore:à Nobilibus plebii, qui ſex diebus dominis laborant, ſeptimo ſibi nulla habita Sacrorum ratione. qui nomina non potis eſt ſolvere,verberibus excipitur,vilique ſervitio damnatur. Mulierum conditio pluſquã miſera;nã quæ magis vapulat,charior putatur: Mortua uxore quarta,nemini licet aliam ducere:quater item Pater filium vendere lege poteſt. Nobilis fuſtibus ab M. Duce, aut à Nobili ruſticus multatus gratias agũt, quod ſervos emendare dignati ſint. Lege cautum, ne quis regno egrediatur,inque Europæ Provincias peregrinetur, ſine juſſu, vel permiſſu principis, quæ lex eò ſpectat, ne ſubditi quanta ſit Europæorum Principum in ſuos lenitas, & quam leve imperium proſpicientes,ſuorum dominorum ty-

ran-

rannidem verius,quam principatum deteſtentur. hinc etiam Diſciplinis vacare nemini licet:quapropter nullæ in tam vaſto Imperio Academiæ. Sacerdotes, ac nobiliſſimi, quique nihil præter legere.& ſcribere norunt,quique plus ſcire vellet, veniret in ſuſpicionem affectatæ tyrannidis. M. enim Dux nullum ſe doctiorem patitur, qui ſolus Typographiam habet. Medici,aut Pharmaceutici nulli,præter unum,aut alterum,qui Principi adeſt.Gens tamen prævalida, celer, ac ſtaturæ mediocris. oculos habet cæſios, prolixam barbam, qua maxime delectantur,crura brevia, extenſum ventrem quem, ut magis promineat oblongis tunicis cærulei, vel albi coloris quas geſtant ſine plicis pube tenus ſuccingunt. Ocreis utuntur rubeis, ac brevibus,quarum ſoleæ ferreis claviculis præmunitæ. Bibaciſſimi ſunt,quo vitio arcentur lege ſeveriſſima, qua gravi mulcta puniuntur,qui plus quam ter in anno ebrietate inſaniunt. illud genti ſolatium, quod ſi aliis ſemel,ipſis ter inſanire permiſſum eſt. Fidei fluxæ, ac ſupra modum mendaces. hinc ut ſibi fides adhibeatur ab externis ſe exteros etiam interdum ſimulant. Anno utuntur Juliano,cuius initium à Kalendis Septembris ducunt. Mundi exordium ante annos fermè octo mille contigiſſe aiunt. horis utuntur Hebræis nimirum inæqualibus: quas cum ab ortu,tum ab Occaſu numerant. Milliare Geometricum vocant *Verſt*, ex his quinque menſuram faciunt quam *Czuckas* vocitant Numeros explicant per voces *Serogk*,& *Deurenoſt*, quæ XL, & XC. ſignificant. Dicuntque mille *Serogk*, quater mille *Derrenoſt*. Lingua Sclavorum utuntur, ſed turpè corrupta:caracteribus utuntur 43.Religio Chriſtiana,ſed ex Orientali Schiſmate hauſta. gens ab Apoſtolo Andrea Fidem accepiſſe iactitat.

tat. conſtat tamen circa annum DCCCCLIV. ſub Olba, & Volodomiro eius ſilio Chriſto nomen dediſſe. Electum ab Epiſcopis, & M. Duce Patriarcham Conſtantinopolis Patriarcha olim confirmabat, hoc ævo ſibi ius adtribuere Ruſſi Metropolitæ. Iudæos ſummo odio perſequuntur. omnemque ſectam admittunt præter Catholicam. Epiſcopi e Monachorum numero eliguntur, ſuntque tota vita celibes: Sacerdotes unam ducunt Græcorum ritu. Sacra Moſcovitico idiomate celebrant. utuntur pane triticeo fermentato, quem hordeaceo includunt, hunc deinde pro benedicto populo diſtribuunt. Vino tepidam infundunt.

Regis aula nulla magnificentior, in quam ingens nobilium concurſus. Ante fores Legio X. millium Prætorianorum militum excubat. in palatio perpetuò CCC. nobiles oblonga veſte ex auro textili, & prætioſis pellibus inſtructa induti Duci adſtant, atque officioſa veneratione, aut deductione colunt Menſam inſtruunt nobiles C, qui aureis lancibus eſcas apponunt, & tùm principibus viris miniſtrant, qui numero CC coram Imperatore alias menſas ineunt; tùm ipſi, qui ſolus ſuæ menſæ accumbit indutus veſte ex Heteromallo crocei coloris, quæ tot Margaritarum lineis, tanta adamantum multitudine gravatur, ut mirum ſit eum tanto oneri parem. verum regia onera non tantum, quantum privata gravant. Diadema, ac ſceptrum ex auro ſolido gemmis diſtinctum. frequenter tamen galero utitur deiecti apicis, in quo ex antica parte pyropus ad inſtar accenſæ facis flammas evibrat.

Imperii vires, maximæ, ſi numerum pendas, anno enim MDCLXXIX: tres exercitus habuit, quorum ſinguli C. mille millitum, immò aiunt in-

infra XL. dies poſſe in aciem educere CCC. equitum millia: at ſi virtutem ſpectes inparem tanto numero. Sæpe enim XX. aut XXX. millia Suedorum, Polonorum aut Tartarorum tantam multitudinem in fugam coniecerunt. uſque adeò imbellis gens eſt. Interdum tamen externis ducibus, quibus uſi, magnas victorias retulere. Stat tamen tantum Imperium mole ſua. etſi deſes juvat tamen Elephantum moles ſua.

CAPUT XXVII.

De Scythia Europæa, ſive Præcopenſi, & Taurica Cherſoneſo.

SUpereſt ultima Europæ pars Scythia, quæ circa Tanaim, & Mæotidem paludem ſita eſt. Eius termini ab Occidente Boryſthenes, à Septentrione Tanais, & ſolitudines, ad Orientem Tanais, & Mæotis palus, à Meridie Pontus Euxinus. dicta Scythia Europæa, & Minor, nam quæ à Caucaſi, Taurique jugis in Orientem excurrit Maior, & Aſiatica appellata veteribus fuit. Sita eſt inter Merid. L, & LXIII, inter Parallelum verò XLV, & LI. dividitur in continentem, & Cherſoneſum, in utraque parte celeberrimæ olim Coloniæ Græcorum fuere, ac Tellus ipſa non ſecus, ac Græcia celebrata. noſtro ævo in continente nullæ urbes præter Tanam ad Tanais oſtium poſitam, quæ nunc *Azoph*, & *Aſack* appellatur. commune olim Europæorum, at Aſianorum, nec nō & Nomadum Scytharum Emporium, aliis pellibus afferentibus, aliis veſtem, vinum, aliaque, quæ ad cicurem vitam pertinēt, commutantibus. ſuperiori ſeculo, antequam in Orientem per Africæ litora inſtituta fuiſſet navigatio, Aromata, gemmæ, aliæque

Orien-

Orientis merces, per Indum fluvium; hinc ad Oxum, & ad Caſpium mare devehebantur. ex Caſpio in Aſtracanum Emporium: ex quo Tanam, inde Theodoſiam deportabantur, ex qua per Europam Veneti, ac Ligures non ſine ingenti quæſtu diſtrahebant. à Tanai ad Iſthmum tota ora hominum referta: ac urbes nullæ. In Occidentali ab Iſthmo ad Boryſthenem, olim Tamyrace, & Carcyne, à quibus ſinus denominati. in ora Maris ſunt inſulæ aliquot, quondam peninſula ad inſtar faſciæ longa ſtadiis M, lata non niſi II. Achillis *Dromos* ſeù curſus vocitata, quod olim Achilles Pontũ ingreſſus ibi ludicro certamine victoriam celebraſſe dicitur, ac ſe & ſuos curſu exercuiſse. ad Iſthmũ Cherſoneſi eſt Nigropolis ad amniculum eiuſdẽ nominis ſita. nunc Præcopia Barbaris *Trecops*, à qua Tartaria Præcopenſis. non longe ab hac erat foſſa, quæ Tauricam muniebat. Cæterum Cherſoneſus Taurica appellata, quia nimirum Oſiris illic bobus iunctis terram incolas colere docuiſſet: qui Taurici, & Georgii, nimirum Agricolæ dicti. fuit etiam à Palude Mæotis appellata. Ipſa autem Cherſoneſus, quæ tota Euxino, & Mæotide cingitur patet mill: CC. ab Occaſu in Ortum, à Septentrione ad Meridiem CXL. pars Occidua montibus aſpera, & horrida procellis: Orientalis verò in lætiſſimos campos extenditur. urbes præter Nigropolim ad Iſthmum eſt non longe Colſovia *Colſouu* portu commoda. Baluclavia, *Baluclaua* arce, & portu item inſignis. Theodoſia, *Caffa* totius olim Cherſoneſi caput. quæ quater millia paſſuũ ambitu patet, muro, & præſidio à Turcis tenetur. qui ſub Mahumete II. eam Genuenſibus eripuere anno MCCCCLXXV. eſt item portu tuto, ac capaci nobilis: ab Armenis, Græcis, & antiquis Catholicis, qui ſuam Ecle-

cleſiam habent.ſedes eſt Præfecti Turcici. In ipſo Boſphoro olim Pãticapæum ſedes Boſphoranorum Tyrannorum, quorum ultimus Paryſates, quem Mitridates ſubegit:nunc eſt *Kerkia* cum arce, quam contra ex Aſiæ regione Tomana arx Turcico præſidio utraque tenetur, ut etiam Tana, quam Coſacchis eripuit Turca anno 1620. In mediterraneis ad fontes amnis Almæ eſt Baccaſſara, *Barcaſaray* duos inter montes poſita ſedes Regis Scytharum, quem Kam gentes vocant. verſus ortum eſt Krimæa *Krim*, à qua toti regioni nomen factum barbaris *Krimski*: urbs ampla, & culta. ubi moneta cuditur: eſtque inſigne Kami Gynecæum.

Præcipuus Minoris Scythiæ fluvius Tanais, Ruſſis *Don* dictus, oritur in Moſcovia ex lacu *Iuvanovo*, ſive Joannis lacu, qui milliariis patet D. primùm rectà per lætiſſima Scytharum prata in Ortum currit, cumque ad eum locum venit, qui XL. millia paſſuum à Vvolga diſtat, in Occaſum, & Auſtrum ſe convertit, minoremque Tanaim *Donecz*, excipit, qui in Principatu Sevverski oritur. hinc per ſaxa, & montes deiectus adeò præceps ruit, ut quamvis reliqua Scythiæ flumina, ipſaq; palus Mæotis hyeme congelaſcant; ipſe tamen algoris impatiens, atque incitatus duobus oſtiis LX ſtadiis diſtantibus in Paludem devolvitur. Licet fons nonniſi milliariis CCCII. diſtet ab oſtio, propter flexus ac mæandros, vix XX. dierum navigatione ſuperatur. Piſcium optimorum feraciſſimus; ripaſque arboribus conſitas habet amœniſſimas. onerarias nonniſi autummo cum pluviis augetur ferre poteſt. *Kainus* Scytharum rex ſuperioribus annis, ut Turcis in Moſcoviam, & Caſpium mare iter aperiret conatus eſt foſſam ducere à Tanai ad Volgam, ſed fuſis eius copiis

in

in quibus Scytharum 80. millia, Turcarum verò 25. opus relinquere coactus eſt. Mox Sachainbeierus *Comouz* opus abſolvit à quo foſſa Camouza appellata. extructis turribus 17. firmoque præſidio munitis, quò tempore poſt inſignem victoriam Nogaienſes Scythas ſubegit, hi ad dextram Tanais ripam habitabant. ad Tanam urbem eſt inſula Alopecia, quam convenæ incolunt.

Sunt præterea, amnes Rhombita maior *Kubàn*, & minor: Vardanus ad quem ſita eſt urbs Mapera, nunc *Copa* à qua, & flumen *Copa*. Circa Boryſthenem quatuor lacus ſunt, e quibus vi Solis concreſcit ſal: mox Cerros amnis, & Hipacitis uno oſtio effluentes.

Palus Mæotis incipit ab ore Boſphori, ubi olim Mæotæ habitabant, à quibus palus nomen accepit. etſi omnes populi qui eius ambitum IX. millia ſtadia complectentem incoluere, Mæotæ dicti. illam Temerinda Scythæ indigitabant, quaſi matrem Ponti, & quod perpetuo aquarum curſu in Pontum influat. aqua non multum profunda, immo circa Iſthmum, quæ pars patris lacus dicta, nunc barbaris *Suk Morzi*, minoribus tantum navigiis navigari poteſt. Aqua hyeme altè congelatur, ut iis locis in quibus Mitridatis legatus Barbaros æſtate navali prælio vicit, hyeme equeſtri ſuperavit. Palus per Boſphorum in Pontum ſe exonerat. eſt autem Boſphorus longus paſſus 87. latus verò inter Parthenium, & Achilleum ſtadia 20. Ad Achilleum vicum olim Fanum Minervæ diſſipatoriæ à Megarenſibus ob diſſipatos hoſtes conditum: urbs verò duæ Phanagoria *Taman*, & Corocondamea cæterum de Tanai hæc habet Lucanus. lib. 3.

qua vertice lapſus
Rhiphæo Tanais diverſi nomina Mundi

Im-

Impoſuit ripis, Aſiaeque & terminus idem
Europæ, media dirimens confinia terræ.

De Mæotide, quæ vulgò *Mar delle Zabacche*, & *Mar bianco*, meminit Virgilius.

At non qua Scythiæ gentes, Mæoticaque unda

Circa Mæotidem lupos eſſe cicures tradunt; quare nos III. Halieuticorum.

Qualiter obſcuris circum Mæotida lucis
Terreſtres ſuevere lupi, qui gurgitis alti
E Scythicis prædam venantibus ore repoſcunt.
Retia contrà ipſi vigiles in litore ſervant.

CAPUT XXVIII.

De Scythiæ minoris regno, gentis, ſoli, ac cœli indole.

HÆc Minoris Scythiæ loca antiquiſſima gens, quæ ab Abrahamo generis originem repetebat, incoluit. Paſtores omnes à reliquarum gentium commercio alieni, multitudine, ac viribus potentiſſimi, liberi ſemper, & eo præcipue quod nihil habeant cuius cauſſà ſervitutem ſuſtineant ab exteris. inter ipſos omnia communia præter gladium, & poculum. Vitam vagi ducebant, quare & Nomades dicti, Martem coluere. Vocati etiam Hamaxabitæ à Pomponio, quod plauſtris domorum vice utebantur. Qui in Cherſoneſo habitabant Georgii dicti, & Tauri. Scytharum autem tanta potentia fuit, ut Perſarum, Macedonumque reges, ipſumq; Alexandrum aliquando ſuperaverint. Mithridates, victis Roxolanorum 40. millib⁹, & ipſi Scythica gens, ſummam rerum obtinuit. Mox verò ſuperato à Romanis Mithridate, gentem priſtinæ libertati reſtitutam Romani voluere, regemque Boſphori crearunt: manſitque Scytharum nomen, & regnum uſque ad annũ MCC.

quo Aſiani Scythæ magnis exercitibus ſub Hoecota rege, omnem pene Aſiam occuparunt, tranſmiſſiſque Volga, & Tanai per Hungariam, & Poloniam uſque ad Auſtriam populabundi excurrerunt: expulſis verò è Minori Scythia Ruſſis, unam cum antiquis populis gentem, ac regnum conſtituerunt: ac Tartari minores dicti. ita verò conſtitutum regnum, ut præter urbes in Cherſoneſo, nullas habeant; quare in campis infra Tanaim antiqui moris tenaciſſimi in ſcenas, ſive hordas, cœtus nimirum, & familias diſtributi degunt, ſedem identidem mutantes cum pecoribus, & curribus ſuis. hos auté vimine, luto, vel pecudum fimo oblinunt Principi ſummum deferunt obſequium. ipſe vèrò non ſuis modò, ſed finitimis etiam populis verendus Moldaviæ Dominus ad eum ſingulis annis mittit 20. mellis plauſtra, ſingula quaternis bobus tranſuecta, & equas 50. Polonus 40. millia Aureorum Hungaricorum. Moſchus item juxta fœdus ictum cum Turcis anno 1681. totidem ſolvit. munera Circaſſi etiam mittunt: & licet hæc honorarii nomine mittant, ille tamen ea pro tributo accipit. quæ niſi mittantur, immiſſis exercitibus repetit, ipſumque Moſcoviæ Imperatorem *Cholop*, nimirum ſubditum vocat.

Et quamvis Scytharum rex Othomannum Dominum agnoverit anno 1584, nullo tamen eum tributo colit. immo Othomanni Principes ſibi in ſucceſſioné Imperii, ſi Othomannorum familia defiérit, illum deſignarunt, atque ad eum quotannis veſtes, & pecunias mittunt, ut Imperii fines contra Polonos, & Moſchos tueatur. Ut verò illum ſub fide teneat, maiorem natu filium obſidis loco Rhodi educat, qui defuncto patre ex Ducum, & Murzorum ſententia rex dicitur. infra

menſem 140. mille equitum educere in aciem poteſt. quamvis poſtremo hoc bello, quò uni Scythæ Othomanici Imperii decus,ac nomen ſuſtinuere, multum attritæ ſint vires Tartarorum. illorum equi,quos omnes caſtrant,ut manſuetiores ſint,quamvis parvi ſint,ac macilenti, ſunt tamen acres,ac velociſſimi.

Nec minus ipſi Scythæ pernices,improviſi ceu turbine adſunt, urbes diripiunt, agros populantur, villas incendunt, prædas abigunt. ut de his merito dixerit poëta:

Convectare juvat prædas,& vivere rapto.

Mancipia Turcis vendunt, & Armenis, præcipue his, qui Theodoſiæ degunt. Staturæ ſunt mediocris,graciles in cingulo,inter oculos, & genas ſupra omnes lati.imberbes fere omnes.In vertice coronas inſtar clericorum habent, ab una aure ad aliam ad latitudinem trium digitorum omnes radunt. Lacte acido, caſeo, & carne victitant. equina inter Ephippia,& dorſum equi per aliquot horas macerata,delectantur. longa veſte utuntur cuncti. Tria apud illos ſumma crimina furta, adulterium, & armorum geſtatio.Mahumetani ita religione ſunt, ut Chriſto nomen dare nulla lege vetitum. Infantes nonniſi poſt multos dies ab ortu oculos aperiunt, quod illis cum canibus commune.Cœlum rigidiſſimum, & craſſum, & ubi paludes,non ſanum. Tellus paſcuis lætiſſima, pecoris dives, in Cherſoneſo triticum gignit, & millium:& adeo ferax, ut Byzantii horreum vocitetur, quæ feracitas etiam circa litoralia continentis reperitur: in mediterraneis ſolum arenoſum,& ſterile, aquæ pauper, quæque ſcatet,amara, & peſtilens, ut interdum liquatas nives bibant.

LIBER IV.

CAPUT I.

De Italia.

TEmpus eſt, ut poſt peragratas tot barbaras nationes, tot inhoſpita maris, terræque ſpatia emenſa, in amœniſſimum Europæ delicium, animos pauliſper relaxaturi, revertamur. Superatis igitur Alpibus, Oceanoque Hyperboreo longe relicto, Italiam ingredimur. Hæc eſt illa terrarum plaga, quam non Barbari modo, ſed & Græci, genus cæteroquin effuſiſſimum in laudem ſui, ſummis laudibus celebrarunt. hæc Naturæ riſus, Europæ ocellus, terrarum gemma eſt. Hæç illa domina gentium, quæ tot ſparſa colligavit imperia, diſcordes tot lingua, & genio populos amico fœdere ſociavit, tot ferociſſimas domuit nationes, tot trophæa erexit, tot triumphos reportavit, ut nullus ſit in orbe locus, qui Romanorum victoria non ſit inſignis, nullus in anni curriculo dies, qui triumpho non ſit notatus. Hæc barbaros mollivit ritus, leges docuit humanas, excoluit ingenia, artibus erudivit. Sacrorum imbuit ritu, & victis gentibus largita eſt humanitatem. Et quidem ſi ſitum Italiæ ſpectamus, ad im-

perium factum à Natura, inficiabitur nemo: ſiquidem in medio Europæ eſt, unde facilis in Africam traiectus eſt, opportunus in Orientem, & Occidentem excurſus. ut vero à Barbaris muniret, hinc Thyrrheno: hinc ſupero, illinc verò immenſo, altiſſimoque Alpium vallo præcinxit. Sunt ergo Italiæ fines, ab Oriente Ionium mare, quo à Græcia diſiungitur, à Septentrione Superum, ſive Adriaticum *Golfo di Venetia*, à Meridie Inferum, ſive Tyrrhenum *di Toſcana*: ab Occidente, & Septentrione Alpes, quibus, à Gallia, & Germania diſterminatur. Longitudo ab Auguſta prætoria Alpino limite, *Aoſta* ad Rheginum promontorium, *Capo di Pellaro* eſt Mill: DCC. latitudo maxima ab amne Varo ad Polam Coloniam ad Arſiam CCCL. Media inter Anconā, & oſtia Tiberina 125. minima in Calabriæ Iſthmo à Tyrrheno ad Ionium mare 18. quem Iſthmum veteres effodere conatos ferunt. Ambitus à Varo ad ultimum Iſtriæ promontorium eſt ferme paſſuum millia 2980. Sita eſt inter Parallelum 37. min. 43. & 46. min: 40. Merid. 29. & 43. illius figuram querno folio Plinius aſſimilat: Martianus Peltæ Amazoniæ: alii cruri humano, & ocreæ probè diductæ, cuius calcaneus Tarentinus ſit ſinus.

Dicta Italia eſt ab Italo, Siculorum rege, qui primi Sabinorum agrum, & Latium coluere. etſi nonnulli ſic appellatam à bobus, quorum magnitudine, pulchritudineque fœcunda eſt. Greci enim Tauros, Italos veteri lingua vocitabant. Appellata etiam Saturnia à Saturno rege, & Capitolinus mons Saturnius, quod in Saturni tutela eſſe credebatur. A Græcis Heſperia ab Heſpero Atlantis fratre, vel ab Heſpero ſtella, quod ad Occidentem poſita eſſet: Virgilius

Eſt locus, Heſperiam Graij cognomine dicunt.

Item

Item Auſonia ab Auſone Ulyſſis, & Calypſus filio. Oenotria ab Oenotro Arcade, Lycaonis filio, vel à vini bonitate, quod generoſiſſimum, & plurimum producat. utut ſit, hæc de Italia Strabo, & Dionyſius: Primum, quod velut inſula maris præſidio cingatur, exceptis paucis quibuſdam partibus, in quibus montes inuii. Secundum quod plerique in locis importuoſa ſit, & quos habet portus ij magni ſint, ac mirandi, quorum illud adverſus exterorum incurſiones uſui eſt, hoc ad invadendos viciſſim exteros, & mercaturæ expeditam copiam conducit. Tertium quod aeris præcipua temperie fruatur, quæ nec gelu nimio, nec immenſo æſtu fruges lædit, aut animalia, ex qua ſequitur eorum, quæ ad vitam juvant, fertilitas copioſa. Quartum quod Montes Apennini per mediam eius porrecti latitudinem, nullam relinquant partem, quæ non & montium, & camporum commoditatibus fruatur. Nulli frumentiferæ terræ cedunt rura Campana, æſtivam poſt hybernam, & autumnalem poſt æſtivam ſementem enutrientia: maximè Benacus, qui maſculis per montium clauſtra ludit undis, qua Avernus, quà Puteoli, qua Cumæ laſciviunt. Nulli Oliviferæ Meſſapiorum, ac Dauniorum, Sabinorumque cultura. Nulli vitiferæ Etruſcus, Albanus, Falernuſque ager ſic amicus vitibus, ut modico labori uberrimos reddat fructus, atque optimos. Præter eam, quæ colitur, ſpatia terræ ampliſſima paſcendis ovium, caprarumque gregibus relicta ſunt. Sed aprici colles, & innoxii ſaltus inprimis admiratione digni, ex quibus plurima, aptiſſimaque fabricandis navibus, & aliis operibus materies petitur, quam facile, ut & alios terræ proventus fluviorum frequentia in omnem partem convectet. Adde aquarum calidarum jux-

ta,ac frigidarum plurimis locis eruptiones,ſanitatis gratia à Natura elaboratas: Metallorum copiam,venationes luculentas, maritimos proventus varios,& alia innumera vel utilitati ſervientia,vel delectationi miracula.Hinc illa hominum multitudo tanta, ut nunciato Gallico tumultu ſola ſine exteris ullis Auxiliis Equitum 80 millia, peditum 700. millia armaverit, Hinc urbium frequentia,quæ ad 1197. aliquando pervenerunt.

At noſtro ævo Cluverius etſi in barbaro ſolo natus humanitatis, & literaturæ laude celeberrimus,ita de Italia: Terra olim fuit omnium terrarum alumna ſimul, & parens; Divina Providentia electa,quæ ſparſa congregaret imperia, rituſque molliret, & tot populorum diſcordes feraſque linguas ſermonis commercio contraheret ad Colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Jam vero locorum ſalubritatem, Cœli temperiem, aprica collium, opaca nemorum,tantam frugum,& vitium, olearumque fertilitatem,pecorum fœcunditatem, tam innoxios ſaltus,tot munifica ſylvarum genera,tot lacus,tot amnium, fontiumque ubertatem, Colonias tam frequentes, tam aſſiduam novarum urbium gratiam,tam clarum decus veterum oppidorum, virorum denique ingenia, mores,ac ritus, linguaque,ac manu res geſtas ſi repures, nihil toto orbe terranum commemores, quod huic conferri, ne dum præferri queat. Pudeat ergo barbaros quoſdam,qui mala laborantes invidia, aliter de Italia ſcripſere.

* * *

CA-

CAPUT II.

De Antiqua Italiæ diviſione.

PRiſcis temporibus Italia univerſa in Liguriam, Galliam, & Italiam dividebatur. Liguria à Varo inter Inferum mare, & Apenninos, ad Etruriæ fines uſque extendebatur; Gallia inter Alpes, Apenninum ad Æſium uſque concludebatur: quæ quidem dicta Romanis Gallia Italica, quod eam Italiæ partem Galli occupaverant: item Gallia citerior, Ciſalpina, & Circumpadana, nam circa Padum amnem ſita erat: & à Romana toga, qua iam Galli aſſueverant, Gallia togata: quum trans Alpes ulterior Gallia Comata à cæſarie, quam incolæ nutriebant diceretur. reliqua verum Italiæ pars Italia dicebatur. in qua primi ſub Apennino ſedebant Etruſci, ſive Tuſci: ultra hos ad utrumque Apennini latus Umbri: infra hos Sabini, & Latini, Æqui, Volſci, & Hernici: ſuprà verò ad Adriaticum mare incolebant Piceni Marrucini, Veſtini, Frentani, Peligni, & Marſi: ultra in mediterraneis erant Samnites, & Hirpini. infra juxta mare Tuſcum Campani, & Picentini, poſt quos Lucani, ſupra & hós poſt Frentanos, & Hirpinos erant Apuli, inde Calabri, & Salentini. in extremo tandem Italiæ cornu Brutii, ſeù Brettii conſederunt.

Liguria, inter Varum, & Macram amnes mare Liguſticum, & Padum Placentiam uſque porrecta eſt: caput Genua Ligurum vel nunc princeps, reliqua oppida ad Mare Nicæa, *Nizza di Provenza*, Herculis Monœci portus, *Monaco*. Albium Intemelium *Vintimiglia* Albium Ingaunum *Albenga*, Vada Sabatia *Savona*. in Mediterraneis

Pollentia *Pollenza* Alba Pompeia, *Albi*. Aſta *Aſti* Aquæ Statiellæ *Acqui*, Dertona, *Tortona*: Iria, *Voghera*.

Supra Ligures inter lævam Padi ripam, Alpium radices, & Orgum fluvium *Orco* incolebant Taurini: gentium caput Auguſta Taurinorum *Torino*. Finitimi in Alpibus Cottii, & Ideonni: in quibus Seguſio *Suſa*. Hos juxta Salaſſi in Valle, quam Duria, *la Dora*, interfluit, horum caput Auguſta Prætoria, *Aoſta*, & Eporedia *Iurea*. Ad lacum Verbanum, *Lago Maggiore*, Lepontii, quorum Oſcela ad amnem Toſam, *Domo d'Oſcela*. In eodem Alpium tractu, inter Larium lacum, *Lago di Como*, & Atheſim fluvium, *Adige*, Euganei, quorum Anaunia *Caſtel Nàr*, Sarraca *Sarca*, & Vannia. *Cività dell'Oglio*: Et in Tellina valle Tellium. Euganeorum vero præcipui fuere Sarunctes in Tellina Valle, & Claveanenſi: Venones ad fontes Atheſis: Camuni ad Ollium *Val Camonica*: Triumplini ad Melam amnem *Val Troppia*. Ultra Euganeos ſtabant Rhæti, huc Rhæto Duce è Tuſcis profecti, & uſque ad Rheni fontes, & Dravi in Danubium deſcendentis incolebant: gentis Caput Tridentum, *Trento*: reliqua oppida Curia *Coire*, Feltria, *Feltre*, Belunum, *Belluno* at Verona, & à Rhætis, & ab Euganeis condita ſemper fuit celeberrima.

Ortum verſus ſequebantur Veneti. hos è Paplagonia poſt Troiæ excidium, Antenore Duce huc advectos ferunt: & quidem de Antenore ſic Poeta:

Antenor poſuit mediis elapſus Achivis
Illyricos penetrare ſinus: atque intima tutus
Regna Liburnorum: & fontem ſuperare Timavi:

Horum autem fines inter Padum, & Timavi fontes, & Adriaticum mare. gentium caput Patavium

vium *Padova*, ab Antenore conditum, ut idem Poëta teſtatur: reliqua oppida Adria, ex qua Adriaticum mare appellatum *Adria* Tuſcorum colonia: Ateſte, *Eſte*, Vicentia, *Vicenza*, Tarviſium, *Treviggi*, Opitergium, *Oderzo*; & Concordia. Venetorum partem ab ora maritima ad Formionem amnem *Riſano* ad oppidum *Capo d'Iſtria* Carni obtinuere: in quibus olim Urbes Aquileia inter maximas quondam, & florentiſſimas urbes, nunc infrequens, & parum culta. Forum Julii, *Città di Friuli*. Julium Carnicum *Zuglio* pene dirutum, Vedinum *Vdene*. Tergeſte, *Trieſte* olim Hiſtriorum, mox Romanorum Colonia.

Poſt Carnos, Hiſtri ſequuntur, & Hiſtria in peninſulæ formam inter Formionem, & Arſiam amnes. Caput Pola, quam à Colchis Iaſonem, & Medæam perſequentibus conditam ferunt. reliqua oppida Parentium *Parenzo*, Ægida *Capo d'Iſtria*. Neſactium ad Arſiam *Caſtelnuovo*.

Galliæ Ciſalpinæ populi trans Padum hi fuere, Libyci, quorum Vercellæ, *Vercell*, Lævi, quorum Ticinum *Pavia*, & Novaria, *Novara*. Inſubres Gallicarum in Italia gentium fortiſſimi: Horum caput Mediolanum *Milano*: reliqua oppida Laus Pompeia *Lodi*, Forum Diuguntorum *Crema*, Orobii, quorum Comum, Bergamum, *Bergamo*, Forum Licinii, *Berſalina*. Ab his ad Venetos uſque incoluere Cenomani, quorum Brixia, *Breſcia*: & Cremona, & Mantua à Tuſcis conditę. Cis Padum verò hi habitabant: Ananes Liguribus finitimi, quorum Placentia Colonia. *Piacenza*. poſt hos Boij, & ipſi in Italia potentes, & plurimi: quorum caput Bononia ante Belſina, *Bologna*. reliqua oppida Parma, Brixellum *Briſello* Regium Lepidi, *Reggio di Lombardia*. Mutina *Modena*, Forum Cornelii, *Imola*, Faventia *Faenza*, Forum Livii *Forlì*. Po-

ſtremi Gallorum Senones inter Ravennam, & Æſim *Jeſi*, qui Umbrorum partem tenuere, quorum caput Senogallica, *Sinigaglia*.

CAPUT III.

De reliquis Italiæ populis.

POſt Gallos Togatos primi ſequebantur Etruſci, Græcis Tyrrheni dicti, qui in Italiam profecti circa Padum cõſedere. hinc à Gallis pulſi, intra Apenninum inferum mare, & Tiberim, Macrumque amnes devenere, duodecim urbis, totidemque Principibus inter ſe conſtitutis. Urbes hæc fuere: Vei non longe à Roma circa oppidum, cui nomen *Scrofano* Volſinii, *Bolſena*, Cluſium, *Chiuſi*, Peruſia, *Peruggi*, Crotona, *Cortona*, Aretium *Arezzo*, Faleriì, *Città Caſtellana*; Volaterræ *Volterra*, Vetulonii ad litus inter *Piombino*, & *Maſſa*. Ruſellæ, *Bagni di Roſelle*, Tarquinii circa Cornetum oppidum, Cære *Cerveteri*. Urbes etiam in Etruria præcipuæ, Luna trans Macram ſed Tuſcorum nobile portu oppidum, *l'Erici*, Piſæ, Liburnus portus *Livorno*, Populonia diruta, extant veſtigia juxta *Piombino*, Telamon, *Telamone*, Coſa, *Anſidonia*, Graviſcæ, infra Cornetum, Centum cellæ *Civita Vecchia*, Alſium, *Palo*. In Mediterraneis Nepete, *Nepe*, Sutrium *Sutri*, Fanũ Voltumnæ, *Viterbo*, Horarcum, *Horti*. Herbanum *Orvieto*, Suana, Saturnia, Senæ, Florentia, Piſtoria, *Pistoia*, Luca *Lucca*.

Poſt Tuſcos Umbri ſequebãtur: qui ab utroque mari primum claudebãtur. hinc fluvius mediam olim ſecans Etruriam Umbro *Umbrone*, at mox ab Infero mari ab Etruſcis, à Supero à Senonibus pulſi fuere. Deletis mox Gallis à Romanis Um-

bitæ

bitæ fines conſtituti à Meridie Nar amnis *Nera* in Tiberim influens: ab Occaſu Tiberis, & trans Apenninum Bedeſis *Ronco*, qui in Adriaticum ad Ravennam ſe exonerat: à Septentrione ipſum hoc mare, ab ortu Æſis amnis, & linea ab ipſo ad Naris fontes perducta. Urbes Umbriæ ad mare, Ravenna, Ariminum *Rimini*, Piſaurum, *Peſaro*, Fanum Fortunæ, *Fano*, & Sena Gallica, in Mediterraneis Cæſena, Saſſina, *Sarſina*, Urbinum, Sentinum, Æſis, *Ieſi* Camerinum. Cis Apenninum Igunium *Augubio*, Mevania, *Bevagna* Spoletium, Tifernum, *Città di Caſtello*, Nuceria, *Nocera*, Aſſiſium, *Aſſiſi*, Hiſpellum, Fulginium *Fuligno*, Tuder, *Todi*, Interamnium *Terni*, Narnia *Narni*, Ameria, *Amelia*, & citra Narem Otricoli. Sabini infra Umbros ad mare uſque Inferum habitavere. ubi primum Siculi, quibus pulſis Aborigines ſucceſſere, à quibus regio Saturnia appellata, mox Latium; unde & Latini. in quorum partem Sabini venere, qui inter Narem, & Anienem *Teverone* incoluere. Horum caput Reate, *Rieti*, ſed ante Cures, ubi nunc Cœnobium, *il Vecovio di Sabina*, quod juxta urbis antiquæ ruinæ viſuntur. ex hac urbe Romani Quirites dicti. reliquæ urbes, Nurſia, *Norcia*, Cutiliæ, ex quibus *Città Ducale* Amiternum, dirutum ex quo Aquila. Sub Sabinis, Tuſcos juxtà Latini conſedere. gens toto Orbe nobiliſſima, quorum tellus Latium dicta, cujus principio anguſti fines, quippe quæ inter Tiberim, Anienem, & Circæum mõtem *Monte Circelli* concludebatur: at aſcitis poſtea in latium Æquis, Hernicis, Volſcis, & Auſonibus illius fines, uſque ad Lirim amnem, *Garigliano*, producti ſunt. Caput Latii, & mox totius orbis Roma: Reliqua oppida non minus vetuſtate, quam celebritate illuſtria fuere: Tibur *Tiveli*, Præneſte, *Paleſtrina*, Gabii, inter Ro-

mam, & Præneſte dirutum oppidum, Tuſculum *Fraſcati*, Aricia, Lanuvium, *Città Lavinia*, Alba longa inter Albanum montem, & Lacum, Lavinium *Patrica*. Laurentum *Paterno*. Oſtia ab oſtiis Tiberinis appellata, Juxta Tiberim, & Arienem Antemnæ, Collatia, Fidenæ, diruta iam quorum vix tenuia veſtigia viſuntur, Latinorum pars Rutuli, quorum Ardea.

Æquorum oppida Carſeoli, *Arſuli*, Valeria, *Vico Varo*, Sublaqueum, *Subiaco*, Algidum in Algido monte, ac nemore, *Selva d'Algieri*. Hernicorum verò Anagnia, *Anagni*, Alanium, *Alatri*, Veruli, *Veroli*, & Ferentinum. Volſcorum, qui ad Mare habitabant, Antium in litore, *Nettuno* Circæi, Anxur, *Terracina*: Suprà in mediterraneis Pontinus ager, & Pontinæ paludes, Sueſſa, olim Pometia à Volſcorum capite, Velitræ *Velletri*, Cora, Norba, Privernum *Piperno*, Setia *Sezza*, Signia, *Segni*, Summo *Sermoneta*, Fruſio, *Fraſelona*, Fabrateria, *Falvatera*, Aquinum, Caſinum *Monte Caſino*, Atina, Arx, *Arce*, Sora, Fregellæ *Ponte Corvo*, Interamna, *Scola*. Auſonum oppida Caieta, *Gaieta*, Fundi, *Fondi* Formiæ, *Mola*.

Ad Apenninum regredientes juxtà Sabinos, & Umbros in Picenum intramus, ubi Picentes populi à Sabinis orti: horum fines Æſis, & Aternus *Peſcara* Urbes litoreæ Ancona Græcorum colonia condita à Syracuſanis, Caſtrum novum, *Flaviano*, Caſtellum Tuentinum ad Truentum amnē. Intus Auxinum *Oſmo*, Septempeda *S. Severino* Tolentinum, Firmum Picenū *Fermo della Marca*, Aſculum, *Aſcoli*, Interamnium *Teramo*, Atria, *Atri*, Poſt Picenos erant Veſtini, quorum Angulus, & Pinna. *Civita di S. Angelo, E di Penna* Amiternum, ex cuius ruinis Aquila, ubi olim Avia, condita eſt: Supra Veſtinos ad Mare Superum erant Marruci-

ni,

ni;quorum caput Theate *Chieti*. In Mediterraneis erant Peligni, quorum Corfinium, dirutum, & Sulmo *Solmona*, Ovidii Patria, cuius in foro ſtatua viſitur, ut ipſe teſtatur.

Gens mea Peligni, patria gratiſſima Sulmo.

Sequebantur ad Auſtrum, Marſi gens bellicoſa, quorum Alba Fucentis ad Fucinum lacum *Lago di Celano* oppidum nunc Albe antiquo nomine, & Marrubium *Morèa*. Ad Mare iterum occurrunt Frentani, quorum Ortona, Anxanum, *Lanciano* Hiſtonium, *Guaſto d'Amone*. Infra late per Apenninum Samnites, quorum regio Samnium. à Sabinis orti, à Samnitibus verò Hirpini. Samnii, urbes Bovianum *Bosano*, Æſernia, *Iſernia*, Sæpinum, Alliſæ *Aliſi*, Teleſia, *Teleſe*. Hirpinorum Beneventum, olim Maleventum, Equus Tutius, *Ariano*, Abellinum, *Avellino*, Compſa *Conza*. Quæ ſequitur Campania eſt: Italiæ Hortus, generis humani deliciæ, & ut ait Plinius, Liberi Patris, Cereriſque certamen: quà nihil Cœlo ſalubrius, mari amænius, terraque fæcundius in toto Orbe reperias, ut merito felix fuerit appellata, nunc à cultu dicitur *Terra di Lavoro*. Hujus fines fuere latium ab Occidente, à Septentrione Samnites, & Hirpini, ab Ortu Picentini, à Meridie Inferum mare, quondam caput regionis Capua, Romæ æmula, & Imperio digna à Romanis habita, quam à Tuſcis conditam ferunt olim altero à Vulturno, & Nova Capua lapide poſita ubi nunc *S. Maria di Capova*. Oppida ad mare Linternum Scipionis Africani voluntario exilio nobile *Torre di patria*. Baiæ Campaniæ Eliſium, & deliciæ populi Romani. Cuma diruta, Miſenum ubi ſtatio Romanæ claſſis ad Inferum mare. Puteoli, *Pozzuoli*. Neapolis antea ab una Sirenum Parthenope dicta. Herculanium, *Torre del Greco*, Pompeianum *Scafati*, Stabiæ

Ca-

Caſtell'amare, Vicus Equenſis, *Vico*, Surrentum, Sirenum olim regia, à quo nomen accepit. Minervę delubrum, *Maſſa*. Intus Sueſſa Arunca *Seſſa* Venafrum *Venafri*, Caſilinum, *Capoa*, Teanū, Sidicinum *Tiano*, Calatia *Caiazzo*, Cales *Calvi*, Atellæ *Averſa*, Acerræ. Nola Veſuvio proxima, Nuceria, *Nocera*. Ultra Campanos erant Picentini, à Minervæ promontorio, *la Campanella* ad Silarum amnem, *Selo*. Huc à Piceno à Romanis tranſducti. quorum Salernum, & Amalphis celebre olim emporium, & inventu Nauticæ pyxidis nobile.

Sequuntur ad Adriaticum mare Apuli notiſſima gens, quæ à Frentone amne longiſſimo tractu uſque ad extremum Italiæ habitabat, diviſa olim Apulia in tres partes. A Frontone ad Aufidum *Ofanto*. ex quo proverbium factum pro re inveriſimili Adriam Aufidus retrofugit: meminit Virg:

Amnis & Adriacas retrofugit Aufidus undas.

Apulia Daunia, ab hoc ad Brunduſium, & Tarentum Peucetia, in qua Pediculi: reliqua pars ad Adriatici fauces, primum Meſſapia, mox Calabria dicta. Hujus verò pars ad Superum Mare Salentini incolebant. oppida in Apulia Teanum Apulum dirutum locus appellatur *Civitate*, Gærion *Tragonara*, Sipuntum *Siponto*, Luceria, *Lucera*, Æquulanum, *Troia*, Arpi, ex cujus ruinis *Foggia*. Aſculum Apulum, *Aſcoli*, Venuſia *Venoſa* Horatio cive nobilis; Acheruntia, *Acirenza*, Canuſium *Canoſa*, & Romana clade nobiles Cannæ. Salapia *Salpe*, Rubi, *Ruvo*, Butuntū, *Bitonto*, Barium *Bari*, Egnatia diruta. In Calabria Brunduſiū portu tota Italia nobile, & traiectu in Græciam clarum *Brindiſi*, Hydruntum, *Otranto*, Caſtrum Minervæ *Caſtro*, Callipolis, *Gallipoli*, Tarentum, *Taranto* omnium celeberrima: in-

tus in Peninſula, Neritum, *Nardò*, Aletium, ſeu *Lupia Lecce*, quæ ex ruinis Rudiarum crevit, Rudiæ verò Ennio alumno memorabiles.

Infra Apulos poſt Picentinos, & Hirpinos, ad Inferum, & Jonium mare incolebant Lucani ad amnes uſque Sybarim *Cochile*, & Laum, *Laino*. hic in Inferum, in Ionium influit ille. Hi Lucio Duce à Samnitibus orti perhibentur. gens montana, & bellicoſa. Urbes maritimæ Pæſtum Græcis Poſidonia, *Peſto*, roſetis nobile, dirutum. Velia portu celebris *Piſciotta*. Buxentum à copia Buxi, *Policaſtro*. ad Jonium Metapontum olim inclitum nunc vix ruinæ viſuntur, ubi *Torre di mare*. Heraclea antea Siris diruta, ubi nunc, *Policoro*. Sybaris, poſtea Thurii, & Copiæ, inter Sybarim, & Crathim amnes. à Crotoniatis diruta, cujus ruinæ non extant. Intus Potentia, *Potenza*, Corumentum, *Chiaramonte*. Meridionale Italiæ cornu, inter Lucaniam, & Siculum fretum longo tractu extenſum Brutii tenuere, quos à Lucanis ortos ferunt, etſi alii à Brento Herculis filio progenitos dicant, & Brettios appellent. Oppida ad Tyrrhenum mare Cerilli, *Cirella*, Clampetia, & Nepetia *Amantea*, Tempſa diruta, ubi nunc *Torre Loppa* Terina, *Nocera*, Lametia, *S. Eufemia* Scyllæum in vertice, *Scylla*, Scopuli *Sciglio* ultra fretum Rhegium, *Reggio*. ad Ionium Locri Epizephyrii *Gierace*, Caulonia *Caſtel Vetri*, Scyllacium *Squillaci*. Croto *Crotone*, Petilia, *Belcaſtro*, Ruſcianum *Roſſano*. In Mediterraneis Brutiorum caput Conſentia, *Coſenza* non procul ad Acherontem fluvium *Vaſiento* Pandoſia, *Caſtel Franco*: hæc duo nomina cum audiſſet Alexander Epirotarum rex, oraculi memor, quo vitare juſſus fuerat, expalluit, pugnaque cum Romanis inita periit. Hipponium, Romanis Vibo Valentia potens olim civitas, & portu nobilis *Monteleone*.

CAPUT IV.

De Romani Imperii ortu, & Magnitudine.

ANno ſecundo Olympiadis II, ante Chriſtum 735. natus eſt Romulus, ut tradit Dionyſius: poſt verò annos 17. ante Chriſtum 717. ab eo urbs condita, ac Septem reges regnarunt; hinc poſt annos 244. ob ſtuprum Lucretiæ illatum à Tarquinii filio, expulſi reges VI. Kal. Mart. & duo conſules creati, penes quos ſumma rerum eſſet. Verum anno ante Chriſtum 43. cum Romana potentia ſummum Gloriæ verticem attigerat, totoque pene Orbe inperitaret, civilibus bellis repente obortis, diù quaſsata eſt, At Trucidato primum Pompeio, mox Ceſare: hinc Caſſio, & Bruto, triumviratus inſtitutus Octavio Auguſto, Marco Antonio, & Lepido. tandem his ultimis ſublatis victo Actiaca pugna Antonio, Auguſtus ſolum Imperium obtinuit. cæpitque res Romana unius arbitrio regi, uſque ad annum Chriſti 163. quo Marcus Aurelius, & L. Ælius Verus gemini Cæſares regnarunt. dictique ſunt Divi Fratres. quo factum eſt ut ſecutis temporibus, modo unus modo duo Imperium moderarétur. Tandem Conſtantinus Magnus Baptiſmo luſtratus in Orientem profectus Conſtantinopolim condidit, juſſitque vocari novam Romam; eiſdem privilegiis ornavit, quibus antiqua fruebatur: cæpitqne alter Conſulum Romæ, alter Conſtantinopoli reſidere. Mortuo Conſtantino, diviſum Imperium, quod primum ſub Conſtantino Chloro, & Valerio Maximiano factum fuerat, in Orientis, & Occidentis: manſitque ea diviſio uſque ad annum 475. quo Occidentis Imperium variè agitatum in Momil-

lo Auguſto qui & Auguſtulus appellatus, deſiit: iterum regium nomen, quod per M. annos Roma non audierat, vocitari cœpit in Odoacre Herulorum rege. Herulis ſucceſſere Oſtrogothi anno 494. His pulſis à Beliſario rediit Italia ad Orientis Imperium ſub Juſtiniano. Sed non multo poſt anno 568. Longobardi Italiam invaſere, inque varios principatus ſciſſam tenuere ad annum 575. quo Dederio eorum rege victo, Franci occuparunt. Intereà Græci Præfecti reliquias imperii moderabantur. Dictique Exarchæ; cum à Juſtino II. Longinus Patricius in Italiam miſſus Ravennæ Exarchatum inſtituit. Duravitque ad annum 752. quo Pentapoli à Longobardis capta, ceſſavit. Orientis verò Imperium cœptum anno 330. quo Novæ Romæ dedicatio facta innumeris per 1153. annos procellis agitatum periit anno 1453. quo Mahumetes II. Turcarum rex Conſtantinopolim expugnavit 29. Maii.

Cæterum Romani Imperii magnitudo tanta fuit, ut neque tria Imperia, quæ anteceſſere Caldeorum, Perſarum, & Macedonum, neque ſecuta comparari cum illo potuerint illius verò Amplitudo maxima fuit ab Auguſto ad Traianum. Cum hi Romani Imperii fines erant, ab Occidente à Britannicis Inſulis ad Fortunatas Oceanus, à Meridie Atlas mons ad majorem Nili Cataractē, Oceanus Indicus, ſeu Rubrum mare: ab Oriente Perſicus ſinus, Tigris fluvius Caſpius, & Caucaſus montes, & cum Tanai Mœotis Palus à Septentrione Danubius, & Rhenus. Eius longitudo ab Ulyſſipone, ad Babylonem Milliariorum 4800. etſi maxima fuerit Mill: 6000. latitudo inter parallelum 22, 30. ubi Nili Cataractes, & 52. 30. ubi Lugdunum Batavorum, & medium Rheni oſtium. Mill. inter utrumque terminum 2800.

Quod

Quod verò ad Populorum numerum attinet; ex quibus regnorum vires, & magnitudines penſitandæ: is fuit, ſub Auguſto, ut ait Nicephorus lib. 1. cap. 17. Hiſt. Eccl. Ducentorum ſexaginta millionum, tercentum, & ſexaginta millium. miriades ſcilicet, 26037.

Hæc tanta rerum moles per meridianum, qui per majorem Syrtim, & Corcyram inſulam tranſit in duas æquas partes diviſa. Orientis nimirum, & Occidentis Imperium. Occidentis caput Roma, Orientis Conſtantinopolis, utrumque Terrarum ſpatium ferme quadratum, cuius latus Mill: 2400. Hæc verò gemina Terrarũ Imperia ſic adminiſtrabantur. Occidens à duobus Prętorio Pręfectis regebatur: quorum unus Pręfectus Prætorio Italiæ, alter Galliarum appellabatur: Singuli tres habebant Diœceſes, & aliquot Vicarios, quibus Provincias gubernabant. Præfecti Prætorio Italiæ erant hæ Diœceſes Italiæ, Illyrici, & Africæ: Vicarii V, & Provinciæ XXIX. Præfecto Prætorio Galliarum Diœceſes tres Vicarii III. Provinciæ XXIX. Oriens verò duobus item Prætorio Præfectis adminiſtrabatur: Orientis ſcilicet, & Illyrici: Orientis erant Diœceſes V. Aſiæ, Ponti, Orientis, Ægypti, & Thraciæ. Provinciæ XLIX. Illyrici Diœceſes duæ Africæ, & Macedoniæ. Provinciæ XI. Quæ quidem Imperii diviſio fuit circa Honorii, & Theodoſii tempora; Nam ſub Auguſto hæc fuit circa annũ Urbis, 727. Provinciæ pacatæ in 12. Diœceſes diviſæ, quarum duæ Proconſulares, reliquæ Prætoriæ; & has Populus Romanus regebat. Firmiores Provinciæ, quibus robur legionum, & præſidia Auguſtales erant: inque XIV. Diœceſes diviſæ: & has Auguſtus per Legatos, Proprætores, & Procuratores regebat.

Catalogus Provinciarum, urbiumque præcipuarum Occidentis Imperii.

Liguria	Genua	Genova
Etruria	Florentia	Firenze
Umbria	Spoletum	Spoleto
Tuſcia	Sena Iulia	Siena
Valeria	Reate	Rieti
Latium	Roma	Roma
Campania	Capua	S. Maria di Capova
Lucania	Metapõtum	Periit Torre di mare
Brutium	Sibaris	P. Sibari
Sicilia	Siracuſæ	Siraguſa
Sardinia	Calaris	Cagliari
Corſica	Aleria	Aleria
Calabria	Tarentum, & Brunduſiũm	Taranto Brindiſi
Apulia	Barium, & Sipontum	Bari P. Siponto
Picenum Suburbicarium.	Ancona	Ancona
Flaminia	Ravenna	Ravenna
Æmilia	Bononia	Bologna
Venetia	Paravium, & Aquileia	Padova Aquileia
Iſtria	Tergeſte	Trieſte
Alpes Cotticæ	Mediolanũ	Milano
Rhætia I.	Curia	Coire
Rhætia II.	Brigantium	Bregentz.
Noricum Mediterr.	Auguſta Vindelicorum	Aguſta.
Noricum Ripenſe	Lauriacum	Lorch.
Pannonia I.	Vindobona	Vienna

Va.

Valeria	Aquincum	Buda
Savia	Syſcia	Siſsech
Pannonia II.	Servitium	Gradiſcia
Dalmatia	Salona	Salona
Tripolitana	Tripolis ante Leptis	Tripoli
Bizacium	Adrumetum	Suſa
Africa	Carthago	P.
	Utica	Biſerta.
Numidia	Cirta	Coſtantina
Mauritania Sitifenſis,	Sitifi	Eſteſe
	Salde	Bugia
Mauritania Cæſarienſis	Iulia Ceſarça,&	Algieri
	Siga	Orano
Mauritania Tingitana	Tingis	Tanger
Bœtica	Gades	Gadice
	Hiſpalis	Seviglia
Luſitania	Emerita	Merida
	Braccara	Braga
Gallæcia	Lucus Aſturũ	Lugo
	Cæſarauguſta	Saragoza
Tarraconenſis	Tarraco	Tarragona
Carthaginenſis	Carthago	Carthagena
Baleares	Palma	Maiorca
	Mago	Minorca
Alpes Maritimæ	Embrodunum	Embrun
Alpes Graiæ	Tarantaſia	Monſtiers
Viennenſis I.	Vienna	Vienna
Viennenſis II.	Narbo	Narbona
Viennenſis III.	Aquæ Sextiæ	Aix
Novempopulania	Auguſta Auſciorum	Auſch
Aquitania 1.	Auricum	Burges
Aquitania 2.	Burdegala	Bordèos
Lugdunenſis 1.	Lugdunum	Lione

Lug-

Lugdunenſis 2.	Rotomagus	Rovano
Lugdunenſis 3.	Cæſarodunum	Tours
Lugdunenſis 4.	Agendicum	Sens
Maxima Sequanorũ.	Viſontio	Beſanzone
Belgica 1.	Auguſta Treverorem	Treveri
Belgica 2.	Durocotorum	Rems
Germania 1.	Moguntiacum	Mogonza
Germania 2.	Colonia Agrippina	Colonia.
Britannia 1.	Londinum	Londra
Britannia 2.	Iſca Silurum	Caër Leon
Flavia Cæſarienſis	Eboracum	Yorch
Valentia	Alta Caſtra	Edemburgo

Catalogus Provinciarum, ac præcipuarum urbium Orientis Imperii.

Prævalitana	Scodra	Scutari
Epirus nova	Dyrrachium	Durrazzo
Epirus vetus	Nicopolis	Preveſa
	Corinthus	Coranto
Achaia	Athenæ	Setines
	Lacædæmon	Miſiſtrà
Creta	Cydonia	Canèa
Theſsalia	Lariſsa	Lariſo
Macedonia	Theſsalonica	Salonichi
Dardania	Scupi	Uſchub
Dacia Mediterranea	Næſſus	Niſsa
Dacia Ripenſis	Oeſcus	Iſcar
Mœſia 1.	Viminiacum	Uſsemburg
Mœſia 2.	Martianopolis	Provas
Scythia	Tomi	Tomeſuar
Hæmimons	Adrianopolis	Adrianopoli
Thracia	Philippopolis	Filippopoli

Rho-

Rhodope	Traianopolis	Traianopoli
Europa	Cóſtantinopolis	Coſtantinopoli
Pontus Polemoniacus	Neocæſarea	Tocat
Hellenopontes	Amaſia	Amaſea
Galatia	Ancyra	Anguri
Galatia Salutaris	Peſſinus	Poſceue
Paphlagonia	Pompeiopolis	Tarachitopoli
Honorias	Heraclea Ponti	Pendaracchia.
Bythinia	Nicomedia	Iſnigimid
Helleſpontus	Cyzicus	Cizico
Phrygia ſalutaris	Pergamus	Pergamo
Phrygia Pacatiana	Apamia	Apamia
Lydia	Sardis	Sardes
Aſia	Epheſus	Efeſo
Inſulæ	Rhodus	Rodi
Caria	Laodicea	Laodich.
Lycia	Myra	Strumita
Pamphilia	Perga	Perga
Piſidia	Antiochia Piſidiæ	P.
Cilicia 1.	Cæſarea	Anazarbo
Cilicia 2.	Tharſus	Tarſo
Cappadocia 1.	Maſaca Cæſarea	Sarmuz
Cappadocia 2.	Tyana	Tyanga
Armenia 1.	Sebaſtia	Synus
	Trapezus	Trabiſonda
Armenia 2.	Militene	Malatia
Comagena Euphratenſis	Samoſata	Samuſat
	Hierapolis	Aleppo
Oshœna	Edeſca	Rhocy
Meſopotamia	Niſibis	Niſibi

Sy-

Syria	Antiochia	P.Antiochia
Cyprus	Salamis	Famagoſta
Syria ſalutaris	Palmyra	Faid
Phœnice	Sidon	Said
Phœnice Libani	Damaſcus	Damaſco
Palæſtina 1.	Cæſarea Stratonis	Azoto
Palæſtina 2.	Samaria	Napoloſa
Palæſtina Salutaris	Hieroſolyma	Gieruſaléme
Arabia Petræa	Petra	Aruch
Auguſta amnica	Peluſium	Damiata
Ægyptus	Alexandria	Aleſandria
Arcadica	Memphis	Gran Cairo
Thebais	Thebe	Thebes
Libya inferior	Prætorium	Abreton
Libya ſuperior	Cyrene	Barca.

CAPUT V.

De Præſidiis Imperii, & Urbe Roma.

TAnta Imperii Magnitudo ſub Auguſto, & Tiberio 25. Legionibus, ſub Traiano, & Hadriano 30. firmabatur. Harum tres erant in Hiſpania, in Gallia quinque, ad Rhenum octo. in Pannonia ad Danubium duæ: in Mœſia item ad Danubium duæ. in Dalmatia duæ. in Syria ad Euphratem quatuor Beryti ad mare duæ, in Ægypto duæ, aliquando tres, una ad Alexandriam, duæ ad minorem Nili Cataractē juxta Syenen. Præterea in Urbe cohortes novem, aliquando XVI. qui Principem tuebantur, & Mille Batavi, partim equites, partim pedites pro cuſtodia corporis, & aliquot Equites evocati qui circa cubiculum Imperatoris excubias agebant. Erant etiam cohortes IX. urbanæ ad defenſionem urbis. Ad has terreſtres copias maritimæ claſſes accedebant IV. duæ maiores

iores Prætoriæ,quarum una Miſenenſis, Ravennas altera:conſtabant ſingulæ navibus 250. & in ſingulis ſingulæ legiones Miſenenſis Italiam, Siciliam,Sardiniam,Gallias, Hiſpanias, Africam, & Ægyptum tutabatur.Ravennas,Epirum, Macedoniam,Achaiam,Cretam,Cyprum,Pontum,totumque Orientem Syriam uſq; Duæ minores una Foroiulii,in Ponto altera naviũ 40. Erant & claſſes tres in Fluviis,una ad Pharum, ſeu aram Britannicam ad oſtium Rheni,ſecunda in Danubio, tertia in Euphrate contra Parthos.

Numerus verò militum, qui prædictis legionibus, & cohortibus continebatur erat millium quadrigentorum:totum verò præſidium ad limites Imperii conſtitutum erat:nam in pacatis Provinciis nulla ferme arx, & nullum præſidium erat.Legiones verò non in Urbibus, ſed in caſtris verſabantur,quò paratiores eſſent, & fortiores. Quod verò ad Urbem Romam attinet,ſatius eſſet ſilentio præterire,quam pauca dicere. ea enim Roma fuit ut quid maius non vidit,nec viſurus eſt Orbis terrarum.in ea quid poſſet humana potentia, & quo uſque res humanæ aſcendere poſſint Superi oſtendere. at ne nimium ſuperbirent homines,poſtquam oſtenſum eſt, deiecerunt. Et quamquam varia Urbis fortuna fuerit,illud compertum eſt Traiani ævo ad ſummum verticem gloriæ perveniſſe, quamvis hanc laudem Conſtantino tribuat Nazarius.Situs urbis ad Tiberim a mari diſtans millia paſſum XVI.in medio Italiæ,& totius Imperii.Initio quadrata,poſtea verò omninò rotunda. Murus ab Ammone Geometra dimenſus eſt, repertuſque mill. 21. alii mill. 36. ſtatuunt, nonnulli latiorem faciunt: utut fuerit hoc ambitu tam magno montes ſeptem continebantur, regiones verò 14. compita 265. inſulæ

4662,

46602, templa 424. fora 17. Suburbia excurrebant ad oppida Tibur, Ocriculum, Ariciam, & Oſtiam ad mare, & horum quædam ad XV. milliaria excurrebant. his verò ſpatiis infinita pene hominum multitudo continebatur. Et quidem Traiani tempore, quò Roma ad faſtigium creverat magnitudinis, decem milliones hominum Romę ambitu concludebantur. Sub Auguſto, anno urbis 752. cenſa ſunt capita 4164000 at ſequenti cenſu ſub Auguſto cum Claudio filio cenſa ſunt, ut ait Euſebius, & Simon Caſſius, Nonagies trecentena ſeptuaginta millia: nimirum ſupra novem milliones Tacitus ſub Claudio, ait, cēſa 6900064. ſeptem fere milliones. Nec id mirum videri debet cum ex toto Orbe ad Imperii ſedem gentes confluerent, & ſervi, victique manumiſſi cives vocarentur hinc eleganter Claudianus:

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit,
Matris, non dominæ ritu, civeſque vocavit,
Quos domuit.

Præterea vix fuit in Urbe ſive dives, ſive pauper, qui ſervum unum, aut alterum non haberet. Unus Pædianus quadrigentos domi habuit. Sub Veſpaſiano tanta lues fuit, ut ſingulis diebus 10. millia abſumerentur. At nunc, proh rerum fatales vices! vix octoginta millia Romæ habitant: & hi ut plurimum exteri. Sed iam quis urbis decor fuerit, dicamus. Et ſanè quis Fora Romana, quis templa, Baſilicas, privatas ædes explicet: certe nihil Orbe munificentius, nihil ſumptuoſius fuit. Flumina per urbem 14. præcipuis alveis currebant. fontes ad ſummos montes evecti, ut inde diſpergi aquæ potuiſſent, tanto ſumptu, ut vix credi poſſit. Agrippa 700. lacus fecit, ſalientes 101. Caſtella 130. cloacæ penſili opere ſubternavigatæ, in quas ſeptem amnes rapido curſu ir-

ruentes omnia purgabãt. Thermæ Antonianæ ad publicum uſum factæ ſellas habuere 1600. e læ-vi, politoque marmore: Diocletiani verò duplo plures, & ſubſellia, ſi non ex argento facta, faſti-diebantur. Reliquum verò Thermarum corpus quale fuerit, facile eſt cõiicere: Piſcinæ, Porticus, Xyſtanemora, ſphæriſteria, regalia omnia, & admiranda.

Statuarum verò tanta multitudo, ut alterum mutum populum diceres. Sed quid dico mutum? Artificium, pretium, materies, virum egregiorum effigies ſatis loquebatur. Erant hic Aurei Coloſſi, Eburnei illic curules, & ſparſim Equorum, Leonum, variorumque animantium pretioſi greges. Ædium privatorum hominum non minor quatuor jugeribus area erat: plurimæ potentiorum urbes videbãtur. Nec homo ex plebe erat, ſi plebs Romanus populus ſit vocandus, cuius ædes ex marmore Africano, aut Alexandrino adornata non eſſet, & argentea epiſtomia aquam non infunderent. Nec mirandum ſi Craſſus ex ſolido auro tecta feciſſe dicitur; Laquearia, & Cœnationes ita diſpoſitas, ut ſubinde parietum alia, atque alia facies ſuccederet, & toties ſecta, quoties fercula mutarentur: alias verò laqueatas eburneis fibulis poſuiſſe, & gẽmis, floribusq; diſtinxiſſe: *Si* Fabrorum Præfectus Mamurra totius ſuæ domus parietes cruſta tecti marmoris veſtivit. Tandem eò deliciarum perventum eſt, ut nonniſi gemmas calcare vellent. Nec mirum videri debet ſi tantę in urbe divitiæ, cum quicquid in totis provinciis pretioſum eſſet, & magnificum in illam invehebatur. Sic merito iactari potuerit Nero quod urbem, quam lateritiam invenerat, non marmoream modo, ſed auream feciſſet.

C A-

CAPUT VI.

De Nova Italiæ diviſione.

EX quo in Orientem translatum Romæ Imperium ſenſim Romana res collabi cœpit:& diù variis fluctibus agitata tandem de faſtigio deiecta eſt, ut cum Imperio ipſa etiam Roma mortales vices experta ſit, ut meritò in Roma Romam quæramus. quare optimè Syncerus noſter.

Quid querimur genus infelix ſublapſa labare
Mēbra æuo, cum regna palam moriantur,& urbes.

Poſt igitur varias a Barbaris partitiones factas, in hæc membra tandem coaluit:nimirum Pontificiam ditionem,Regnum Neapolitanum, Venetorum Rempublicam, Genuènſium, & Lucenſium, Etruriæ Ducatum, Pedemontii Principatum,Ducatum Mediolanenſem,Mantuæ,Mutinæ, & Parmæ Ducatus,aliaque minora dominia, quæ Feuda Imperialia appellant. De ſingulis dicendum.

Prima pars,quæ poſt Alpes occurrit eſt Pedemontium,quæ regio dives,& ferax Sabaudo paret: caput Auguſta Taurinorum *Torino* Ducis ſedes pentagona arce munita, viverioque ampliſſimo ornata. urbes reliquæ Carinianum *Carignano* : ad Duriam amnem Suſa, eo ſita loco in Salaſſà valle, ubi in geminas partes ſe via findit, quarum una in Galliam, altera in Allobroges ducit. Auguſta Prætoria,Inurea in edito colle in ipſo aditu Vallis Salaſſorum *Val d'Agoſta* ad Seſitem amnem. *Sexia*; Vercellæ,urbs munita,& magnifica,*Vercelli.Mondovi* populoſa, & dives in colle ad Ellam amnem,qui cum longe in Tanarum ruit;cui Aſta valido muro cincta appoſita eſt.

Eſt in Pedemontio Salutij Marchionatus, qui à Sabaudo occupatus, ab Henrico IV. receptus: mox redditus permutatione Braſſanæ Provinciæ. urbs caput Saluciū, *Saluzzo*, & *Carmagnola*. Ad Sabaudū ſpectat Niceæ comitatus ab urbe Nicea *Nizza* à Maſſilieſibus cōdita, celebris Emporio, & arce munitiſſima, quæ egregie contra Turcas ſtetit anno 1543. non longe eſt *Villafranca* portu inſignis, ubi olim Equites Divi Lazari, quorum Magiſter Dux ipſe, geminas triremes habebant. Equitum inſigne Crux viridis.

Sequitur ora Maritima, ſeu Genuenſis ditio. *La Riviera di Genova*, quæ omnem Liguriæ antiquæ litoralem tractum occupat. Caput eſt Genua, quam à Genuo Herculis filio conditam ferunt, alii Ianuam vocant à Iano, vel quod Ianua ſit Italiæ. Urbs eſt Elegantiſſima, dives & olim tota Europa celeberrima; quippe quæ dominationem ad Tanaim uſque, & Syriam extenderit. nunc illi paret Corſica, Capraria inſulæ, & omnis Liguriæ ora. Rempublicam Dux adminiſtrat, qui creatur in biennium, quo exacto fit Procurator D. Georgii cum annua penſione ſcutatorum 500. Oppida ad Occidétem ſunt Albium Intemelium *Vintemiglia*: non longe in edito colle Auguſti trophæa *Torbia*. mox *Bovo*, *Mauritio*, & Albenga: inde vada Sabatia *Savona*, ubi Alpes deſinunt, & incipit Apenninus, olim Epiſcopalis, & libera: nunc Genuenſibus paret: Ad Orientem, ad Tiguliam amnem Segeſta Tiguliorum *Seſti* oppidum Epiſcopale. Lunæ portus *Spezzia*, & ad Macram Serezana *Sarzana* munitum oppidum Ethruriæ pars. Sunt in Liguria Monæci Dynaſtia, *Monaco* Maſſilientium colonia. Grimaldis Dominis paret: & ſtatione, & arce nobile oppidum: & Finalis olim Carettorum, ſed anno 1602. ab Hiſpanis occupata:

tæ munimento, & milite firmata eſt.

Trans Apenninum Pedemontium inter, & Venetam ditionem eſt Mediolanenſis Ducatus, cujus caput Mediolanum, ampliſſima urbs, & omni ævo nobilis: quæ cum tota ditione ſuis olim ducibus paruit, qui Vicecomites appellati, primuſque fuit Otho anno 1272. at anno 1395. Galeatius Ducis titulo donatus. mortuo Philippo ultimo Duce, Galli jure ad Aurelianũ Ducẽ devolutum, qui Valẽtinę Philippi ſororis filius erat, aiebãt: at Sforza, qui Philippi Notham Blancam nomine duxerat, Ducatum occupavit. mox hoc extincto, à Gallis captus, à Carolo V. Auſtriaco receptus, & una cum Ducato Caſtellæ regno adiectus eſt. urbes præcipuæ trans Padum, Alexandria à Palea cognominata ad Borbiam amnem munita, & Dertona *Tortona* firma arce munita. Cis Padum Novaria *Novara* in colle modico ſita. *Mortara* lautum oppidum, & munitum: Ticinum, quod & Papia *Pavia* ad Ticinum amnem ad quã pugna inter Romanos, & Pœnos in ingreſſu Annibalis in Italiam fuit. Oritur Ticinus ab Alpium iugo, cui nomen Divo Gotardo, tranſitque per *Verbanum* lacum. Comum Plinio alumno nobile. Cremona Romanorum colonia, & ad Dadum Valentia. Cæterum Mediolanum muro, & vallo cum arce valida munitiſſimum eſt: ambitu patet mill: 8. opificum refertiſſimũ, & rerum omnium abundans: Templum princeps, ex ruinis Herculei fani ædificatum tota Europa nobiliſſimum eſt.

Trans Padum, & Liguriam juxta, eſt Mons Ferratus Marchionatus inſtitutus ab Othone II, quem Palæologa gens tenuit ad annum 1534, quo virili ſexu extincto Imperatoriæ hujus gentis Hæres dictus à Carolo V. Mantuæ Dux. Regio montana eſt perpetuis jugis extenſa, quam læva Ta-

narus,dextra Padus alluit, læta,amœna, & feraxː caput ad Padi ripam Caſale D. Evaſii Marchionum olim ſedes cum arce munitiſſima, quam nunc Galli tenent. ad Tanari ripam eſt Alba Põpeia *Alba* totius montis Ferrati præcipua, & populoſa. Inter Padum, & Liguriam eſt Ducatus Parmæ, & Placentiæ: quem Paulus III. Aloiſio Farneſio attribuit anno 1545, Camerſio, & Nepe, quæ prius illi beneficiario jure dederat, Eccleſiæ reſtitutis. Parma ad amnem Parmam, qui ex Apennino oritur,urbs eſt ædificiis ſplendida,Lyceo docta,caſtroque munita. Placentia, *Piacenza* ad oſtium Trebiæ in Padum influentis ab ipſoque Pado M.paſſus diſtat,ſplendida item eſt, & amœna.

Ad Orientem eſt Mutinæ Ducatus, cui etiam ſpectat Regii dynaſtia. Mutina, *Modena* urbs nobilis ad Teſſæ, & Panari commercium extructa non procul ab antiquæ Mutinæ ruinis.In foribus principis Eccleſiæ viſuntur è marmore ſtatuæ Adami,& Evæ. Regium Lepidi *Reggio di Lombardia*,poſita urbs in ſolo fertili, & amœno,condita ab Æmilio Lepido anno Chriſti 188. Subeſt Duci etiam Borſelli Caſtellum beneficiario jure à Mantuæ Duce acceptum:& pars Graffignanæ vallis.Cæterum Dux eſt Ateſtinæ, ſive Eſtenſis familiæ, quæ diu Ferrariæ Ducatum obtinuit, donec anno 1598. cum hæres maſculus deficeret, Clemens VIII. Eccleſiæ reſtituit. Eſt etiam circa hos tractus Mirandulæ, & Concordiæ olim Comites, nunc Duces, è Cõſtantii filia aliqui ortos putant: alii à Pico cive Mutinenſi clariſſimo, qui floruit anno 1110. certum eſt Franciſcum Picum circà annum 1310. à Ludovico IV. Cæſare Vicarium creatum, & poſteros à Federico III. comites factos.Mirandula eſt in planitie vini, frumentique fera-

ferace. Concordia verò ad Seciæ ripam.

Circa Padum eſt Mantuana ditio Ducatus titulo inſignita. Caput Mantua urbs antiquiſſima poſita in medio lacus, quem Mincius *Manzo* è Benaco lacu egreſſus facit, ampla eſt, ædificiis ornata,& arce munita: olim populorum frequēs, & dives: at poſtquam eam Germani ſuperioribus annis populati ſunt,infrequens. Dux ex Imperatoria Gonzagæ familia,olim Marchio,dux factus à Carolo V. anno 1530. Ad hunc quoque ſpectat Guaſtallæ dominium, & Mons Ferratus, ut diximus.

Sequitur Venetorum ditio,quæ inter Mantuanum agrum, Mediolani Ducatum, Alpes,& Adriaticum poſita eſt:illius partes ſunt Hiſtria, Forum Iulium,Marcha Treviſana,Brixienſis, Bergomenſis,& Cremenſis ager. Hiſtria peninſulæ formam refert inter ſinum Tergeſtinum, & Carnarium, à Septentrione Alpibus veluti muro cingitur. colles vini,& olei feraces,valles lætæ paſcuis,& frumento.Urbes prçcipuæ Pola, Parentium *Parenzo* inſulæ impoſitum, portu, & munimento nobile: Iuſtinopolis *Capo d'Iſtria* à Iuſtino poſita in Ægidis inſula à continente teli jactu disiuncta. Cæterum Hiſtricæ pars maior Venetis, reliqua Auſtriacis paret.

Forum Iulii ſic dictum ab urbe *Foro Iulio* celebri mercatu,à Cæſare dicta, qui illuc Coloniam traduxit. Regio,& Cœli ſalubritate, & ſolo irriguo,amœnoque nobilis,ferax item, & pecorum dives, ſylviſque abundans. Metropolis olim Aquileia à Romanis condita,ut Emporium eſſet inter vicinas gentes, & validum contra Barbaros propugnaculum, templis ædificiis, theatro tam clara,ut altera Roma diceretur. Urbis Epiſcopus Primas fuit tum Venetiæ, tum Hiſtriæ uſque ad

tempora Pauli Patriarchæ qui Longobardorum immanitatem metuens ſe, omnemque Eccleſiæ ſupellectilem, & Vaſa Sacra in Gradum inſulam devexit, dictuſque Gradenſis Patriarcha: donec anno 1050. authoritate Leonis IX Gradenſis Patriarchatus Venetias tranſlatus fuit. Cæterum Aquileia poſt trieni obſidiū ab Attila Hūnorum rege capta, & everſa circa annum 452, cæſis 37. hominum millibus, cæteris fuga elapſis in proximam inſulam. Diſtabat Aquileia à mari ſtadiis 60. ad quam adverſo amne Natiſone navigabatur. mox ab Urbe ad Nauportum per Ocram Alpium humillimam curribus merces vehebantur; hinc per Savum in Illyricum. Hac via Argonautæ per Iſtrum ab Euxino in Adriaticum navigarunt; nimirum ex Iſtro in Sauum mox per Nauportū, hinc navi terreſtri itinere in Natiſonem ducta, & per hunc in Adriaticum. navigaſſe verò, & Strabo, & Plinius clariſſimè affirmant. Nunc Fori Julii caput Udenum *Udine* urbs ampla, dives, & munita, amnique Torno duplici foſſa adiuncta. reliquæ urbes Forum Iulii *Città di Friuli*; Goritia, & Tergeſte *Trieſte*, quæ duæ urbes Auſtriacæ dominationis. præterea Arces validæ. Palma, & Gradiſca à Venetis contra Turcas extructæ. contra Aquileiæ æſtuarium Gradus inſula, olim frequens. inter Gradum, & Aquileiam Sontius amnis *Lizonzo*, ad quem Odoacer à Theodorico victus eſt. iuxta dextram fluvii ripam celeberrima via eſt à Romanis ſtrata per Alpes, quæ in Pannoniam ducebat per Hemonam Coloniam, *Lubiana*: via etiam nunc apparet, appellaturque *Via Lubiana*. Sequitur ad Meridiem, & Occaſum Marcha Treviſana ab Urbe Tervitio appellata. Hæc regionis caput vulgò *Treviggi* ædificiis florens, & opibus, fontibuſque irrigua, hic Totilas

Go-

Gothorum rex natus. hic poſt Gothos Longobardorum Marchiones ſedem habuere. Urbes præcipuæ Patavium *Padova* ab Antenore condita, Veneti illam propugnaculis munivere anno 1318. occupaverunt verò anno 1404. flos, & decus eſt urbium literarum Aſylum. & agri fertilitate nobiliſſimum. Palatium in ea Henrici Imperatoris, ubi jus dicitur. Verona inter Europæ pulcherrimas, Venetis reddita anno 1517. In Veronenſi agro arx Limacum. Vicentia ad radices collis ſita non tam elegans:eſt tamen in ea Magnificum Palatium. Sunt etiam in montibus *Feltro*, & *Belluno*. Eſt etiam in hoc tractu Tridentum, cuius Epiſcopus eſt Imperii princeps, urbs cum ſuo agro partim Epiſcopo, partim Auſtriacis paret:cives Germanicè,& Italicè loquuntur. Nullæ in Europa ditiores argenti fodinæ, quam in Agro Tridentino.

In Lombardia tranſpadana Venetæ ditionis Brixia *Breſcia* ad radices Alpium ſita opulenta; & civium frequentia nobilis, Venetis reddita à Franciſco I. Galliæ rege anno 1517. Bergomum, *Bergamo* ampla item civitas ad Alpes verſus Mediolanum poſita:Crema,& *Peſchiera* munimentis inſignes. Supereſt ut urbem ipſam totius ditionis caput Venetias deſcribamus. Iacent Venetiæ in ultimo receſſu Adriaci maris in latitudine Boreali 45.25, illas ſtagnantes aquę molliter alluũt, quas maris æſtus ex Oriente aſſurgens,& mox relabens commovet, agitatque. hic verò aggeris flexu longe producto removetur,& nonniſi quinque oſtiis quibus agger interrumpitur admittitur. Ex æſtuariis 450. maiores, minoreſque Euripi variis flexibus, ac Mæandris urbem totam intercurrentes 60. inſulas ita ambiunt, ac dividunt, ut pedibus, aut cymbis quaqua verſum ire licet, tãtus pontium naviumque numerus eſt. Celeberrima

eſt Divi Marci Baſilica, cuius pavimentum ex teſſelato marmore. turris lata pedes 40. alta 230. Eſt in ea theſaurus, in quo 12. regiæ coronæ, totidemque thoraces ex auro ſolidi, Adamantes, Pyropi, uniones innumeri: Ducalis inſula in cuius apice præter cæteras gemmas, eſt Carbunulus pretioſiſſimus. Sunt præterea in urbe turres 114 fora 53. fontes publici 148. ſtatuæ marmoreæ 164. æreæ 23. Equi 9. portæ æneæ 10. Navis Bucentaurus in Nautico armamentario, quod quidem inſtructiſſimum eſt. Venetorum Reſpublica circa annum 430. ſic cœpit: cum Barbari omnem regionem vaſtarent Foroiulienſes, & Patavini in proximas inſulas, atque æſtuaria ſe recepere. mox Reſpublica adolevit, & per annos 230. Sub Tribunitia poteſtate fuit: donec anno 607. Paulutius. Anafeſtus Dux, & Reipublicæ caput conſtitutus.

CAPUT VII.

De Meridionalibus Italiæ Provinciis.

EXpoſitis iam, quæ ad Septentrionem ſunt provinciæ, Meridionales ſupeiſunt exponendæ. Prima eſt Etruria, ſeu magnus Tuſciæ Ducatus. Tuſci autem antiquitùs dicti à ſacrificando, cum veteribus temporibus penes ipſos Sacrorum peritia, & auruſpicina. fines regionis ſunt Macra amnis, & Mutinenſis, & Bononienſis ager, Umbria, Romanus Ager, & Tyrrhenum mare. Poſt Imperii occaſum Marchionibus paruit, qui Adelberti appellati, potenteſque tota Italia fuere; captaque Romana arce diù Eccleſiam vexarunt. mox tres Reſpublicæ Florentina, Senenſis, & Piſana, quæ diù armis valuere. poſtea in unum principatum coaluere. Primus, qui dominationis fundamenta

iecit

iecit, fuit Coſmus Medicæus civis Florentinus, qui mercaturam exercendo per omnem Europam, & auctus divitiis Baltaſſaris Coſſæ familiaris ſui, qui Ioan: XXIII. fuit, ad tantas opes devenit, ut Cræſſus ſui temporis diceretur. obiit anno 1464. Alexander deinde Medicæus anno 1530. Clementis VII. Nepos Ducis titulus adeptus eſt qui Caroli V. partes ſecutus, generque factus, Magnus Etruriæ Dux à Pio IV. renſciatus eſt. Ditionis caput Florentia, Arno fluvio, ſplendidiſſimis ædificiis, magnis opibus vel ex Syllæ, Mariique ævo nobilis. Præterea ad Arnum Piſæ *Piſa*, à Piſis Peloponneſiacis ortæ. Ager fœcundus, at infrequens: urbs olim nobilis Sardiniæ domina; at claſſe à Genuenſibus deleta, anno 1119. de magnitudine deiecta eſt, capta à Florentinis anno 1402, mox à Carolo VIII. Galliæ rege libertate donata anno 1499. iterum capta in Medicæorum principatum coaluit. Tertia eſt Sena urbs ampla, ſed item infrequens, Academia, ut Piſæ, & Archiepiſcopatu nobilis. hæc cum Senenſi agro, & Ilua inſula Medicæo attributa à Carolo V. Beneficiario jure. Radicotanum, & Burgum S. Sepulchri ab Eccleſia item beneficiario jure habet. Reliquæ urbes ſunt Arretium *Arezzo*, Volaterræ, Piſtoria, *Piſtoia*, Cortona, & Liburnus portus *Livorno*, à quo naves Liburnæ appellaræ, olim Herculis Labronis. Locus eſt munitus, & Emporio celebris. Sunt præterea in Etruriæ litore Populonia *Piombino* cum portu in interiori ſinu prærupti, excelſique promontorii, Navale *Porto Baratto*. Telamon ab uno Argonautarum dictus, Orbetellum, & Herculis portus in Argentario monte, qui inſtar peninſulæ in mare prorumpit: quæ arces ad Hiſpanum pertinent, firmoque præſidio tenentur.

Eſt etiam in Etruaria Lucenſis reſpublica; Luca, *Lucca*, Colonia ex Bononienſibus ducta anno 178. agro aſpero montibus, ex quibus vix annona ad ſex menſes colligitur. urbs 11. propugnaculis munitur & vallo, cuius ambitus paſſum 3000. in quo frequentes, proceræque populi gratam umbram præbent. hortis item amœna. Rempublicam nobiles regunt: Epiſcopus Cruce utitur, & pallio, ſubeſtque ſoli Pontifici Romano. Eſt Præterea Dynaſtia Maſſæ, & Carraræ, cuius Domini ex familia Cybo, ex qua Summi Pontifices Bonifacius IX, & Innocentius VIII: regio montana & marmore ditiſſima.

Succedit ditio Eccleſiaſtica, quæ Romano Pontifici paret. cuius partes ſunt litus Romanum ab Herculis portu ad Terracinam, diviſum in D. Petri Patrimonium, & Agrum Romanum, *Campagna di Roma*: Ducatus Spoleti, Peruſiæ, & Urbini, Marcã Anconitanã, Flaminiã, *Romagna* cum Ferrariæ Ducatu. Patrimonium à Matilde Etruriæ domina Eccleſiæ Legatum: urbes in eo Viterbium, ubi olim concilia Etruſci habebant. Suana *Sonana* ad Armeniam amnem *Fiore*. Caſtrum, Ducis Parmæ, dirutum ſuperiori bello inter Pontificem, & Parmenſem Forum Aurelii, *Montalto*. *Aquapendente*, *Orvieto*, Braccianum, & Pitiglianũ Urſinorum familiæ; quorum abſolutum dominium. ad litus Centum Cellæ à Traiano conditæ, *Civita Vecchia* in portu centum erant cellæ totidem triremibus excipiendis, unde portui nomen: in quo etiam nunc Pontificiæ triremes ſtationem habent. In Agro Romano Urbs Roma, quæ ut olim Imperatorio, ſic nunc Pontificio jure domina gentium, rituumque Sacrorum magiſtra. Tibur *Tivoli*, Anſur, *Terracina*; ad oſtia Tiberis olim oſtia. Sunt etiam noti Tuſculani colles, ubi Cice-

ronis villa *Fraſcati*,quibus nihil in toto orbe tum hortorum amœnitate, & cultu, cum fontium ornatu, atque elegantia, magnificentius, ſunt etiam prope Auxur Pontinæ Paludes, quas ſummo conatu Cæſar in mare deduxit,ut aëris vitium ab illis ortum amoveret.

Ad Septentrionem verſus Apenninum eſt Ducatus Spoletinus,qui partem Umbrorum,& Sabinorum complectitur,ab Urbe Spoleto,Vilumbrorum olim caput. quæ Annibali fortiter reſtitit: & in qua ex muliere vir factus, ut ait Livius.Lõgobardorum ævo eius dominus Dux dictus. ſita eſt urbs non longe à Clitumno. reliquæ urbes *Rieti*,*Norcia*, *Amelia*, *Foligno*, & Aſſiſium *Aſſiſi* in colle ſitum inter amnes Tinam,*Topino*,& Claſium, *Chiaglo*.D.Franciſci natale ſolum. Ad lævam Tiberis ripam eſt Perúſia *Peruggia*, cuius Ducatus inter Tiberim,& Etruriam jacet, pars olim Etruriæ.urbs etſi à Fabio Maximo diù vexata, à Totila VII. ännis obſeſſa,eſt tamen adhuc, culta, frequens,munita,& Academia celebris,ad Occaſum mill. VIII.eſt Thraſimenus, *Lago di Peruggia* ad quem ſub Flaminio, ſecunda Romanorum clades ab Annibale.

Marcha Anconitana ab Ancone dicta,ubi ſedẽ olim Marchiones habebant: qui etiam Firmiani à Firmio nuncupati ſunt. ſita eſt inter novum Samnium,Spoletanum, & Urbinatem Ducatum; Superoque mari à Septentrione alluitur. regio collium feracitate nobilis:gens armis,& agriculturæ vacat.Urbes præcipuæ:*Ancona*, quæ ſub Cumeno promontorio, cubiti inſtar in mare excurrente ſita, Emporio,& portu nobilis. Firmium olim provinciæ caput, *Fermo*, dicta etiam Colonia Auguſta. *Macerata*, ubi nunc Legati ſedes, & Academia; *Sanſeverino* è ruinis Septempedæ ædifica-

ſicum. Ricinetum *Recanati*. ad Muſonem in colle Auximũ *Oſmo*. Inter Ricinetum, & mare non longe à Muſone in edito colle eſt Fanum D. Mariæ Lauretanæ valido muro cinctum ab Alexandro, Julio, & Sixto V. Pont Max. quo in Fano ædicula eſt in qua Nazarethi B. Virgo genita, educata, Deique Mater facta eſt: figuræ quadrangulæ è vulgari lapide: tectum cameratum, ac picturis domus myſteria referentibus adornatum. ædiculæ longitudo pedum 40. lat. 20. alti 21: duo parietes Meridiano exactè inſiſtunt. in medio unius parietis janua vulgaris: ad lævam armariolum ad dextram feneſtra, è cuius regione caminus: inibi loculamentum inſigne, in quo D. V. effigies cedrina, ſed fumo denigrata viſitur. Hanc Domum anno 300. D. Helena templo inſigni exornavit. verum anno 1291. cum Palæſtina à Barbaris occupata eſſet, divino nutu in Dalmatiam ædes translata, hinc tres poſt annos, menſeſque novem in Picenum delata, ubi per menſes 8. *Recanati* manſit, mox in monte, tandem anno 1295. ſtetit in agro viduæ Lauretanæ, ubi nunc ſumma Chriſtianorum veneratione, pioque cultu colitur.

Ad Occidentem eſt Urbini Ducatus, cuius caput Urbinum urbs elegantiſſima, cui arx imminet Ducum olim ſedes, ita ædificata ut in turres, & tectum equo conſcendi poſſit: conclavia ſunt 373. ampla, & magnifica: ubi nobiliſſima Bibliotheca. ad Mare eſt *S*enogallica ſatis munita: non longe Haſdrubalis mons cui ab illius cæde nomen: in qua 50000. Pœnorum cecidere. Ad Metauri *Metro* ſiniſtram ripam Forum *S*empronii *Foſſabrone*, ubi Totila à Narſete profligatus. ad litus Fanum à Totila everſum, & à Beliſario reſtitutum, Piſaurum *Peſaro* celebre Emporium: in palatio quod quondam Ducis fuit, inſtructiſſimum eſt armamentarium.

Hoc

Hoc tractu ſuperato ſeſe offert Romaniola, *Romagna*: ſic dicta ob inſignem erga Romanos Pontifices fidem, continet Flaminiam antiquam à Flaminio Conſule appellatam, qui Flaminiam viam in hac regione munivit: & partem Æmiliæ item ab Æmilio nuncupatæ. regio campeſtris, & ferax: cuius metropolis Ravenna, urbs antiquiſſima Piceni olim caput, imo Occidentalis Imperii ſub Honorio, & Regni Gothorum; his verò à Narſete eiectis, Hexarchatus conſtitutus eſt: Duravitque uſque ad tempora Leonis III. cùm capta ab Ariſtulpho Longobardo: tandem à Pipino recepta Pontifici tradita eſt: ſplendida quondam ædificiis, populo frequens, opulenta, & mercatu celebris. at poſt cladem à Ludovico XII. Francorum rege illatam anno 1512. de veteri ſplendore multum amiſit. Sunt etiam urbes præcipuæ Ariminum, *Rimini* in cuius foro lapis eſt. ex quo concionem habuiſſe ad milites è Gallis redeuntem Cæſarem ferunt. Juxta Ariminum pons eſt in amne ab urbe dicto, qui urbem ſuburbio, viamque Flaminiam Emiliæ copulat: totus è marmore, dorioque opere ad latera munitus lat. ped. 15. long. 200. ab Auguſto cæptus, à Tiberio mox abſolutus. Cæſena ſatis frequens, ubi olim Malateſtæ dominati ſunt: Quorum in Bibliotheca aditu hoc ſymbolum legitur: *Elephas Indus non curat culicem*. Faventia *Faenza*, Forum Livii, *Forlì* Imola, & in mediterraneis Bononia, urbs ſplendida frequens, & longis porticibus exornata. ager paſcuis, frumento, vinoque nobilis, & collibus amœnus.

Ad Padum ſitus eſt Ferrariæ ducatus à Mathilde circa annum 1195. Eccleſiæ donatus: mox à Pontificibus Areſtinis Marchionibus conceſſus, quibus extinctis ad Eccleſiam rediit anno 1598 urbs

Fer-

Ferraria. *Ferrara* ad Padum ſedet, duplici arce munita, & ante terræmotum anni 1570. quo tota pene corruit, ædificiis culta, & frequens, Cęlo tamen gravi, & agro ſterili propter nimias paludes. Circà Padi oſtia Comacla, *Comacchio*, cum ingenti palude ab oppido denominata. *Lago di Comacchio*.

Peragrata jam Pontificia ditione, Neapolitanum regnum ingredimur: cuius fines à Fundis ultra Litim, in loco, quem *Portello* vocāt, & Truēto amni in antiquo Picæno, per utrumque mare Superum, & Inferum ad Ionium uſque extēduntur: longitudo à Truento ad Leucopetram ultimum Calabriæ Promontorium *Capo dell'arme* eſt mill. 340. à Fundis verò ad ultimum Iapygiæ terminum *S. Maria di Leuca* eſt mill. 240. latitudo maior à Minervæ promontorio ad extremam Gargani oram mill. 120. minor in iſthmo Calabriæ vix ad 40. extenditur: perimeter, ſive ambitus varius, à multis ſtatuitur mill. 1460. alii ad 1700. extendunt. in eo loca muris cincta ferme 1563. ex his Archiepiſcopatus 20. Epiſcopi 107. populationes verò innumeræ: Superiore ætate vix Principes 19, Duces 21, Marchiones 37, Comites 54, Barones 1000. in præſentia adeo horum numerus adauctus eſt, ut nullius ſanè pretii, ac honoris ſint. Nulla Italiæ pars ante Romanum Imperium tantum floruit, tantæque potentiæ fuit, quam hæc: in illa Capua Imperii æmula, Cumæ, Nola, Samnites populi ferociſſimi, Marſi, Lucani, Apuli: Reſpublicæ potentiſſimæ Rhegium, Tarentum, Sybaris, Crotona, Metapontum: in hac ingenia, artes, ac literæ primum floruere, & cum his arma, belliqueartes, ut Hiſtorias, veteresque annales perlegenti manifeſtum eſt. Poſt verò Imperii occaſum, ſupra omnes vexata, & innumeris barbaris nationibus petita. varios in

ea principatus Longobardi fundarunt: inter quos celeberrimi Beneventanus Capuanus, Melphenſis,& Salernitanus. Quo Ævo Græci Apuliæ partem, Saraceni Siciliam, & Calabriam tenebant: Neapolitani verò, Amalphitani, & Caietani (qui omnes mari plurimũ tunc pollebant, quippequi anno 849. claſſe comparata ad Oſtia Tiberis Saracenos fuderunt, Romamque obſidione liberarunt) in Reipublicæ formam ſe regebant; Normannus quidam Tancredus nomine, cum XII. liberis in Italiam venit, operamque ſuam contra Saracenos circa annum M. præſtitit: agro primum, mox ditione donatus: Evocatis mox aliis à Normannia popularibus, cæpit res Normannorum in Italia florere. nec longa poſt tempore Saracenis Apulia, Calabriaque eiectis, primus Calabriæ, Apuliæque Dux renunciatus. Rogerius eius filius, inito fœdere cum Græcis, qui Hydruntinam oram tenebant, & Salernitano Principe, claſſe comparata in Siciliam navigarunt, Meſſanam, aliaque oppida vi ceperunt, ſociis ad ſua reverſis, ipſe Siciliæ ſuſtitit, Comeſque Siciliæ dictus eſt. mox Rex à Pontifice utriuſque Siciliæ cis, & ultra Pharum creatus. tandem, Pontifice inſtante, à Neapolitanis obtinuit, ut Dux crearetur. quo facto in regnum diſperſi principatus coaluere. His ſucceſſere Suevi, quibus extinctis, Galli Andegavenſes acciti: ſub quibus regna diviſa: evocatis in Siciliam Aragonenſib⁹; qui poſtea in Neapolitanum adoptati, quorum ætate regnum in duodecim Provincias diviſum eſt. Sunt vero hæ Campania felix, Principatus citerior, & ulterior, Moliſii Comitatus: Aprutium citerius, & Ulterius, Capitanata, Barenſis, & Hydruntina Provincia, Lucania vulgo Baſilicata: Calabria citerior, & ulterior.

Præ-

Præcipua eſt Campania fælix, quæ una poſt Arabiam hoc nomine donata eſt: quam merito Florus terrarum pulcherrimam vocat, quod nihil ſit mollius eius Cœlo, nihil uberius ſolo, ſummũ Liberi patris, Cererisque certamẽ, nihilque hoſpitalius mari, ut non immeritò Halieuticorum primo de eius laudibus hæc habentur. quæ univerſæ Italiæ à Virgilio attributis reſpondent.

Sed neque Erythræi fluctus, ditiſſima gemmis
Æquora, non Chryſe, aut felices Perſidos undæ
Laudibus Euboici certent Crateris, & Actæ
Non ſe Campanæ æquiparent Mavortia Rhæſi
Litora, nec Siculis Tellus regnata Tyrannis,
Non molles Arabum tractus, nec in Orbe repoſto
Tota coloratis Peruuia dives arenis.
Hæc vada non Phocæ ſpirantes naribus imbrem
Sulcavere, aut formidandæ piſcibus Orcæ,
Nec Balenarum rigidis mare dentibus horret.
Sed roſei Mulli, & Murænæ lacteus humor
Percurrere; ſecant Soleæque, rubrique Erythini,
Hic niveus ſeſe vitreis è fluctibus effert
Delphinus, puerosque inter feſtivus oberrat.
Hic nitidi ſemper Soles, & aprica ſerena,
Et petræ Conchis, & Piſcibus utilis unda.
At Colubri triſtes abſunt, & dira Luporum
Semina, nec miſeros diſcerpit Scylla natantes.
Non tantum radiis Torpedo nocet, neque tantum
Scorpius irato diffundit ab ore venenum.
Adde maris proſpectum omnem, & Telluris amœnum,
Et montes ſacros, & utroque ab litore colles,
Nunquam non gratos umbris, & mollibus hèrbis:
Depictaſque inter currentia flumina ripas:
Totque altis impoſta jugis caſtella, domoſque,
Atque theatrali fabricata palatia circo
Pauſilypi propter litus, clivoſque ſequentes,
Regum opus, atque opere egregio, luxuque ſuperbo.

Adde

Adde Urbem lætam populis, opibuſque potentem,
Et claro auguſtam ſceptro, ingenuiſque vigentem
Artibus, & ſtudio florentem nobilis oti,
Cui Regina ſuo fecit de nomine nomen
Parthenope, miteſque dedit blandiſſima ritus.
An virides memorem ſcopulos, piſcoſaque ſaxa,
Et tot muſcoſis exciſa in rupibus antra?
An ne ſinus tantos, te Polli, teque beato
Cum portu, Miſene, tuo, & te, molle Dicarchum?
An quæ felicem memorem Cratera coronant?
Hinc ditem Baccho Inarimen, monteſque Tiphoei,
Et Prochyten pomis vernantem, & pinguibus uvis;
Piſcoſas illinc Capreas, Fanumque Minervæ,
Et Vici colles, & pampineum Surrentum?
Hæc eadem Muſas, & doctas, extudit arces,
Campanoque ſonum dedit ære; & pyxida Nautis
Protulit, & tenui telas intexuit auro.
Hæc vates lauro inſignes, rubroque galero
Romuleos Patres, claroſque Heroas in armis,
Et tot Pontifices tulit, & te maxime Patrum,
ANTONI. ſolio qui mox ſublimis ab alto
(Regnatorem Orbis nam te, colliſque Quirini
Concordi plauſu Divique, hominesque repoſcunt)
Omnia ſub pedibus volui, vertique videbis.
Salve magna Parens rerum Campania Tellus,
Læta mari, fœcunda ſolo, mitiſſima Cœlo,
Alma viris, medio quam Dii poſuere benigni,
Gemma velut, circo mediat quæ lucida fulvo,
Egregias tibi nunc laudes percurrere, & artes
Incipio, Actiacos auſus tractare cothurnos,
Coryciumque cano Tyrrhena per æquora carmen.

Nunc ab agrorum bonitate appellatur *Terra di Lavoro*, cuius termini Caieta, & Fundi trans Lirim, Sarnus, & Apennini mõtes. Metropolis olim *Capua* vel à Romanis digna imperio cum Carthagine, & Corintho habita: nunc eſt Neapolis, olim

olim Parthenope ab una Sirenum, quæ è Græcia in Italiam navigarunt, appellata: eius ſitus eſt in medio ſinus, qui craterà figura à veteribus dictus eſt: eque Antiniano (Antonianum alii dicunt ab Antonii villa) colle ſenſim ad mare in Theatri formam deſcendit: ad Occidentem Pauſylipum habet, à curarum quiete dictū: mons eſt feracitate ſoli, cœli mollitie; placidiſſimæ umbræ illecebris, maris amœnitate, ædificiorum magnificentia toto Orbe celeberrimus. in illo quà per ipſius gremium crypta 500. ferme paſſuum patet Virgilii tumulus eſt. crypta vulgo *La Grotta di Pozzuoli*, quia ſummo viarum compendio per illam Puteolos iter: opus à Cumanis factum, ab Alphonſo inſtauratum eſt. non longe ad mare in extremo Olympiæ oræ Mergilline Actii Synceri villa, in qua in templo D. Nazario ab ipſo dicato illius ſepulchrum è marmore egregie elaborato poſitum eſt. Eſt autem Olympia ora maritima, quæ à Lucullano *Pizzofalcone* ad Pauſylipum uſque extenditur ædificiis eximiis coronata in extremo prope cryptam, Virginis templum eſt. Ad Orientem urbis campi patent, Sebethus amnis, *il fiume della Madalena*, cui impar ſanè ſuperbiſſimus impoſitus Pons eſt. ultra ad VI. lapidem Veſſuvius eſt non ſolum feracitate, ſed flamma nobilis: ad Meridiem Capræ, Surrentini colles, & Lactarius mons, à nive dictus, *monte di Vico* ſumma voluptate viſuntur. ut merito poſt Byzantii ſitum ſecundus cenſeatur, etſi quantum natura cedit, tantum arte præſtet. Dum Romana res vigebat, totius Crateris ambitus urbs una viſebatur, tot erant Romanorū ædificia, ac villæ. Vrbs Salomonis tempore condita eſt, & Palepolis dicta: à Cumanis vaſtata, iterum oraculi monitu ædificata, & Neapolis, nimirum nova civitas nuncupata.

Socia

Socia fuit Populi Romani, & liberá ſuis legibus vixit. Fidem à D.Petro accepit, atque illibatam ſervavit. Et quoniam nulli in ea Romani præſides, nulli Martyres necati: aſſervantur tamen Martyrum ſacri cruores, qui ſtatis temporibus liqueſcunt, & vivi velut ebulliunt: ut verum ſit Neapoli non mori Martyres, ſed reviviſcere. Literis, ac diſciplinis mire floruit, ut dicta fuerit docta Neapolis: Muſis ſemper, & literatorum hominum Aſylum: hic Virgilius, hic Silius, Seneca, Livius ſe receperunt, ut quietius literis vacarent: ait Silius.

Hic molles urbi ritus, & inhoſpita Muſis
Otia, & exemptum curis gravioribus ævum.

Verum ne nimius in patria exornāda videar, ſileam eius magnitudinem, ſplendorem, magnificentiam, & divitias quibus præcipue divorum templa opulentiſſima, atque ad alias urbes deſcribendas, me conferam Sunt igitur in litore Caieta *Gaieta* munitum oppidum. & ſtatione nobile. Formiæ *Mola*, Cumarum rudera, & veterum Baiarum, ubi arx nunc eſt cum portu, Puteoli *Puzzoli* portus toto Orbe olim celebertimus: Caſtellum Stabiarum *Caſtell'amare*, Vicus Æquenſis, *Vico*, Surrentum, & Maſſa ad delubrum, *Maſſa*. inter Maſſam ad Delubrum, & Surrentum amœniſſimus ſinus ubi olim Pollii felicis villa, cuius rudera adhuc viſuntur: meminit Statius Sylvarum lib.2.

Eſt inter notos Sirenum nomine muros
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ
Celſa Dicarchei ſpeculatrix villa profundi,
Qua Bromio dilectus ager, colleſque per altos
Vritur, & prælis non invidet uva Falernis.

Minervæ verò templum ad promontorium ſitum, Athenæum ob id appellatum, à Græcis conditum,

ditum, nunc vix pavimentum teſſellato opere ſtratum viſitur. columnæ marmoreæ in Cœnobium 4. lapide diſſitum dictum vulgò *Caprolla* trãslatæ, in quibus noctuæ inſculptæ. in Mediterraneis Capua nova ad Vulturnum amnem, ubi olim Caſilinum. Antiquæ reliquæ altero lapide ab amne Orientem verſus viſuntur *S. Maria di Capua*. Nola. Abella *Avella* in colle malifero impoſita, Acerræ ad Clanium *Fiume di Patria*. Atellę, *Averſa*, Calatia, *Caiazzo* ad Maſſicum montem, Sinveſſa, *Seſſa*, ad Lirim Sora, non longe Arpinum, Cicerone alumno nobile municipium: natus vero Helvia matre, patre fullone, vel ut alii tradunt Equeſtris ordinis ex regio Volſcorum genere. Aquinum D. Thomæ ſummi Theologi patria, ut nonnullis placet: alii Neapoli natum faciunt. ad Orientem caſſinus mons, cum oppido ad eius radices *S. Germano* in monte Monaſterium D. Benedicti magnificum, ac nobile.

Ad Orientem Principatus ulterior, ad Meridiẽ citerior. Primus pars Samnii, in quo urbes præcipuæ Beneventum Sabato amni irriguum, urbs frequens, & dives ante terræmotum anni 168. 8. quo totum pene corruit: nunc ex parte reſtitutum. Abellinum mercatu celebre *Avellino*, ubi denſæ corilorum ſylvæ, unde & nomen. Arianum, Trivicum, Nuſcum, Acedonia, *Cedogna*, *S. Agata* Gothorum, ubi Gaudinæ fauces Romanis memorabiles, *Monteſuſcoli*, ubi præſes Provinciæ jus dicit. Citerior verò Picentinos continet, & partem Lucaniæ, caput Salernum, Emporio, & academia nobile: Nundinæ verò celebrantur circa feſtum D. Matthæi, cujus reliquiæ in Principe Eccleſia magna veneratione coluntur. ad Occaſũ ſunt in ora maris Amalphis, in qua primum pixis nautica inventa. & ubi nunc D. Andreæ Lip-

ſana

ſana aſſervantur. ad Orientem olim Poſidonia, quæ & Pæſtum roſariis inſignis. nunc non longe Acropolis. *Agropoli*, Leucoſia inſula ab una Sirenum dicta, cuius meminit Lycophron, & nos Naut. V.

Proxima Leucoſia tranſmittitur ora phaſelo.

Buxentum a copia Buxi. Intus ſunt Cavæ ſerico opificio nobiles, Nuceria *Nocera* in agro feraci, & amœno. *Campagna Acerno, Caſtell'amare della Bruca*. Et eſt etiam nobile oppidum *Padula* in Diania valle ſitum, ubi Actæon occiſus fertur; Vallis montibus cincta ſylviferis, & paſcuis refertiſſimis: ipſa vallis amœna & feraciſſima, ubi inſigne cœnobium Carthuſianorum poſitum eſt.

Ad Septentrionem Felicis Campaniæ, ad Orientem Umbriæ, & Marchæ Anconitanæ inter Superum mare, & Apuliam, eſt Aprutium *Abruzzo*, in duas provincias diviſum Ulteriorem, & Citeriorem: continet antiqui Samnii partem, Frentanos, Pelignos, Marrucinos, Marſos, Veſtinos, regio montana, & ferax: crocum gignit optimum, & fodinas habet. gens Martia, & agreſtis: urbes cultæ & nobiles: Ulterioris Aquila ampla, & elegãs, ubi Margaritæ Auſtriacæ inſigne Palatium: & D. Bernardini Senenſis reliquiæ ſummo cultu, & frequentia coluntur: habet arcem munitam à Carolo V. erectam. reliquæ urbes ad mare, Adria *Atri* Adriano Cæſare alumno nobilis. Iulia nova à Julio Adriæ dynaſta condita. intus Teramum *Teramo*, Pinna, *Civita di Penna*, Civitella, inſigne munimentum, ſcopulus, in quem Guiſius Dux anno 1557. cum Gallicis copiis impegit, ad Fucinum lacum, Celanum. Aterno amne, tranſiecto, ex ulteriore in citeriorem fit tranſitus: cuius caput Theate, *Chieti* frequens, urbs, & opulenta, in feraci, & amœno colle ſita, ad ipſius oſtia Aterni.

muni-

munimentum à fluvio,qui vulgò *Peſcara* dicitur nuncupatum.Ortona D. Thomæ lipſanis,& vetustate nobilis. Lancianum celebre Emporium, quo Maio, & Auguſto ad nundinas ex Italia Illyrico, Græcia, Siciliaque mercatores conveniunt. in Mediterraneis, Sulmo Ovidii patria & loci amœnitate,& populi frequentia,cænobioque Cæleſtinorum inſigni celeberrima.

Quæ ſequitur Moliſii comitatus, provincia exigua Capitanatæ addita:urbes habet *Iſernia*, *Boiano*,*Trivento*. Amplior vero Capitanata. quæ & Campeſtris Apulia dicitur. Capitanata verò à Baſilii Imperatoris Capitaneo, ſeù Duce nuncupata,horreum totius Italiæ, cuius fines ab Oriente Aufidus, *Ofanto*, ad Septentrionem Superum mare,in quod ingenti monte excurrit, Garganus dictus,*Monte S. Angelo*. Mons in ſummam altitudinem aſſurgit, ambituque 200. mill. patet. ſylvarum refertiſſimus, irriguis fontibus late ſcatet. in ſummo vertice, ingens planities amœna, & ferax,ubi olim Calchantis oraculum, cui vicinæ gentes nigrum arietem immolabant, eiuſque pelli ſtratæ indormientes conſulebãt. nunc Caſtellum S.Joannis rotundi: quò omnis vicinia III. Idus Junii convenit. ac penſitata annonæ,& vini ubertate, certum frumento, & vino pretium decernunt,quod excedere nemini licitum. in præcelſa rupe ſexto à Manfredonia lapide,oppidum. *S.Angelo*, ubi in ſpecu Michaëlis Archangeli, in quò apparuit,fanum veneratione, ac horrore Sacroſanctum,in quod quotidie ex omnibus Europæ partibus ad pium Divi cultum gentes conveniunt.Provinciæ caput Luceria *Lucera*: reliquæ urbes, ad Mare Manfredonia in flexu Gargani ampla,& olim frequens:portu, & mercatu celebris, quam Manfredus Friderici II. filius nothus

ædi-

ædificavit anno 1200. in litore arx eſt: portum vero magna moles in mari iacta non parvo ſumptu commodum efficit: in hanc urbem Sipontinus Archiepiſcopatus, & reliquiæ gentis translatæ, Siponto à Saracenis diruto in Fronte ipſa promontorii ſedet Veſta *Vieſte* cum ſtatione: & poſt flexum Hyrium *Rodia:* & ad Tifernum amnem Terminus *Termoli.* intus non longe ab Aufido Salapiæ *Salpe, Fogia* frequens, dives, & mercatu celeberrima, *S. Severo, Vulturana*, Troia, olim Æquulanum, & ignobile oppidum *Cerignola*, at cæde Gallorum anno 1503. nobilitatum.

Ab Aufido Monopolim uſque eſt Barienſis Provincia ſupero mari à Septentrionalibus, à Meridie vero Apennino clauditur: nulla urbibus cultior, ac dives: amigdalis, & olea abundat: urbes in litore Barium amplum, & frequens, mercatu, & ſtatione inſtructa mole celebre: at longe celebrius D. Nicolai Myrenſis Epiſcopi reliquiis, quæ in æde inſigni aſſervantur, è quibus liquor emanat medendis morbis ſalubris, qui, etſi abundè hauriatur, ſemper idem eſt, & inexhauſtus. hic olim Neapolitanos reges inaugurari ſolitũ. ad Occidentem ſunt Barulum *Barletta*, ampla, culta, & nobilis, atque Heraclii ſtatua adornata. hic tempore Ferdinandi Cordubenſis, qui cognomento Magnus dux dictus, ſingulare certamen inter XII. Gallos, & totidem Italos, quos penes victoria. Tranium, ſeu Traianopolis portu olim, & mercatu inſignis, nunc infrequens: Vigiliæ *Biſceglia* nobile oppidum: Molfetta, & Iuvenatium *Giovenazzo* ad Orientem Monopolis populoſa, & dives, ab Egnatiæ ruinis orta. in Mediterraneis Canuſium *Canoſa, Andria, Bitonto* ampla, & frequens, *Ruvo, Converſano, Gravina.*

Salentinorum peninſula provinciam Hy-

druntinam efficit, regio campeſtris, & interdum modicis collibus aſſurgit oleis paſſim veſtitis, tota culta, & ſparſim vicis frequẽs. metropolis olim Tarentum *Taranto*, urbs inter Græcas ampliſſima, cuius peninſula quondam arx Oebalia dicta, ubi nũc civitas triplici è latere mari circumflua, frequens populis, & piſcatu celebris, ad extremũ peninſulæ in adverſum litus pons eſt per cuius arcus Ionium in ſinum influit, vulgò *mare piccolo*: & ſenas poſt horas refluit æſtu tam rapido, ut currentia flumina velociſſimo curſu imitetur: in ſinum Galeſus amnis labitur *Galeſo*. Galeſi meminit Horatius lib. 2.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen;

Et Virg. cui Tarentum Oebalia appellatur Georg. 4.

Namque ſub Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua piger humectat flaventia culta Galeſus.

Laudantur lana Tarentina, nuces, & oſtrea. urbs à Tarante Neptuni filio condita, Patria Archytæ Geometræ celeberrimi. obiit Tarenti Marcus Pacuvius Ennii nepos Tragœdiarum ſcriptor: fuit autem natus Brunduſii. Extra hunc ſinum alter amplior *Mare grande*, ubi ſtatio navibus percommoda, Tarentino, & Brunduſino ſitu nihil in toto orbe ſuperbius. nunc Provinciæ caput, ubi tribunal, Lupiæ, *Lecce*, ampla, dives, & populoſa: tam Lupiis, quam Tarenti arx eſt, ſed invalidæ. reliquę urbes Gallipolis in edito colle munita, agro amœno, & fertili. Uxentum *Vgento* Næetum *Nardò*, Hydruntum, *Otranto* à Mahumethe II. captum, mox receptum; ubi innumeri penè Martyres à Turcis occiſi: quorum reliquiæ in principe Eccleſia coluntur. in extremo promontorio Iapygiæ, olim Leucas, nunc fanum B. Virginis. Brunduſium

Brin-

Brindiſi,cum portu tota Europa nobilis,nunc oppletus.extra portum altera ſtatio eſt ad Inſulam, ubi arx munitiſſima: viſuntur in portu Pompeii columnæ, & Ciceronis domus. Hic à Cæſare obſeſſus Pompeius in Macedoniam vix traiecit. ager ſuburbanus oleæ feraciſſimus, conditum ab Ætolis Diomedis ſociis: deinde Colonia Romana: meminit Lucan. lib.2.

Profuguſque per Appula rura
Brundiſii tutas conſcendit Magnus ad arces.

Oſtunium,*Oſtuni*,Uria,*Oria* Ferenta,*Francaville*, ubi Manduſiæ fons, qui numquam decreſcit.

Baſilicata inter Apuliã,Calabriã ab Infero mari ad Ioninum excurrit. regio montana,urbibus infrequens,& parum culta:gens ferox, & ut indiga,ſic induſtria:continet antiquam Lucaniam, & partem Apuliæ montanæ cis Apenninum. caput *Matera* Apuliæ urbs,ubi regium tribunal, & Provinciæ præſes.urbs dives,ampla:ſed non multum elegans. reliquæ urbes Acheruntia *Acirenza*, Venuſium *Venoſa* Horatii patria, Melphis. Potentia,*Potenza*,*Tricarico*:Ferrandina à Ferdinando Calabriæ duce extructa.ad mare,ubi Caſuentus *Vaſiento* influit, viſuntur Metaponti ruinæ, urbs Magnæ Greciæ olim princeps,poſtea Lucaniæ ab Epeo condita, ubi armamenta, quibus Equum Troianum fabricaverat, in Minervæ templo repoſuit:viſuntur 20. columnæ marmoreæ ordine duplici,ubi Archytæ Tarentini gymnaſium fuiſſe credunt.Bernalda,in colle:nec longe fluit Bradanus amnis, ubi Cæſar, & Antonius colloquium habuere: vulgo etiam *Bradano* Apuliæ, & Lucaniæ terminus.

Extremus Italiæ tractus,qui ad *S*iculum fretum excurrit, in quo olim Brutii habitarunt, noſtro ævo Calabria à terræ fertilitate appellatur. quip-

pe quæ Auri, Argentique fodinas habet. ferro item eſt dives: Manna, Saccharum, picem, reſinam progignit: & bombyces alit, ex quibus oloſericas veſtes intexit: vineis lętiſſima, frumento pinguis, ſylvis opaca, collibus amœna, vallibus irrigua eſt. In duas provincias dividitur Citeriorem, & Ulteriorem: illius termini ſunt Laus amnis, quo à Lucania diſcriminatur, & Apenninus. Citerioris caput Conſentia, *Coſenza* in declivo Apennini ſita Crathi amne, & Buſento, *Vaſiento* cincta. huius aqua nigrum colorem, flavum ille ſerico, & capillis inducit. Supra amnē ad cōfluentes pons eſt magnificus, ſubter Atalaricus ſepultus à Gothis cum ingenti gaza. urbs ampla, dives, & nobilis, & rerum omnium ſuburbanus ager opulentus. reliquæ urbes ad Mare Blanda *Belvedere*, Tempſa, *lo Cetraro*, Paticus, *Paola* D. Franciſci natali nobilis: extat in colle inſigne cœnobium, in quo pallium, quo Siculum fretum traiecit, aliaque Sanctitatis monumenta aſſervantur: viſiturque pendens ſaxum, quod divi juſſu iamiam caſurum ſtetit. Campetia, *Amantea* in rupe, cum arce ſitu valida: non longe Terinæus ſcopulus ad Ocinari *Savuto*, oſtia, ubi Sirenum una tumulata eſt, ut ait Lycophron: & nos Naut. V.

Oſtiaque Ocinari legimus, tumulumque Ligeæ.

Non longe à litore Terina *Nocera* Baccho lætiſſima: Caſſanum, Roſſanum ad Ionium agro campeſtri, & feraciſſimo ſitum. *Cariati*, & *Caſtrovillari* populoſum oppidum.

Ulterioris caput Caſtra Annibalis *Catanzaro* urbs frequens, & ſerico opificio celebris: olim Rhegium Iulium à Iulia illic à patre Auguſto ob impudicitiam relegata. oppidum collibus amœnum, fontibus irrigatum, & hortis lætiſſimum: in quibus mira citriorum, & malorum aureo-

reorum genera procreantur. ut in his ludere naturam merito quis dixerit. Supra fuit Columna Regina *la Catona*, & mox Scyllæ ſcopulus, & in vertice Scyllæum oppidum *Sciglio*. Reliquæ urbes, Locri Epizephyrii *Gieraci*, Croto, *Crotone*. aëre utraque urbs adeo ſalubri, ut numquam ibi fuiſſe peſtilentiam narrat Plinius: unde proverbium Crotone ſalubrior. nunc Amantheæ aër reliquos antecellit. non longe Sagra fluvius, ubi 12. mill: Locrenſium 120. mill. Crotoniatum cecidere. quæ res primum cum non crederetur, comperta tandem locum adagio dedit; Re ad *S*agram geſta certior. fluvius vulgo *Sagriano*. ad quem templum Caſtoris, & Pollucis. S. Severina ad amnem Neæthum *Neto*. Taberna. *S*eminara, ubi ab Aragonenſibus Ablinius cæſus anno 1503. *S*cylacium ad mare Ionium *Squillaci*. cuius ſinus, Scylacæum nomine naufragiis infame, ut ait Poëta:

Cauloniaque arces, & navifragum Scylaceum.

Non longe à Crotone Iapigium promontorium tribus verticibus ſciſſum primus *Capo delle Caſtelle*, ſecundus *Rizzato*. tertius della Nave; & ſupra ad Septentrionem cornu Lacinium *Capo delle Colonne:* ubi Pythagoras Scholam habuit: ab hoc 10. millibus aberat ogygia inſula, in qua ſedes Calypſus: fuit & templũ Iunonis Laciniæ, ex quo auream columnam tollere Annibal cogitavit. ad inferum mare in colle Hipponium, Romanis Vibo Valentia *Monteleone*: ad radicem montis olim portus.

* *
*

CAPUT VIII.

De Fluviis, & Lacubus Italiæ.

PRinceps Fluviorum Padus, Græcis Eridanus *Pò*, in quem Phaëthontem cecidiſſe, Heliadaſque ſorores, cum fratris caſum deflerent, mutatas in Populos ſuccinum ſudantes, fabulata eſt antiquitas. oritur ab imis radicibus Veſuli montis inter Alpes proceriſſimi: rigatiſque Liguribus primum, mox Inſubribus, & Cenomanis, ſeptem oſtiis in Adriaticum mare ſe exonerat, adeo magnis, ut ſeptem maria dictus facere: primum, quòd per Aſconis foſſam in Ravennam, & portum Meſſaniacum influebat, *Canal di S. Alberto, & del Naviglio.* hic Romana Claſſis ſtationem habebat. Secundum ſpineticum, & Eridanum vocarunt: quo Cæſar magna illa domo verius, quam navi è Britannia triumphans dum redit, Adriam ingreſſus: *Vaterno* vulgo. Tertium Capraſiæ. *Verniese* Quartum Sagii *Porto di magna vacca*. hæc duo abolita, exundantibus ea loca ſtagnis Comaclenſibus. hic Plinius quintum non expreſsit fortaſſe *Goro*. Sextum Olane, & foſſa coronania *Volana*. Septimum Foſſiones Philiſtinæ, *Il Pò grande*. In Padum ſupra L. amnes influunt: præcipui ſunt ex Apennini latere in dextram Padi ripam Tenarus, *Tanaro*, Scrivia, *Lia* Trebia, Tecrus, Parma, Lencia, *Lenza*, Secia; Panarus, Rhenus, Santernus, & Vatenus, qui unum ex oſtiis Padi auget, denominatque; Senius, aliique. ab Alpibus hi deſcendunt. Duria riparia *Doretta*, Stura, Orcus, Doria Balthea, *Doria Balcia*, Sceſia, Ticinus, *Teſino*, Lambrus, Addua, *Adde*, Ollius, *Oglio*, Mincius, *Menzo*, Tarturus: neque hic reticẽdus Atiſo, *Toſo* Cimbrorum

rum clade nobilis, quem perperam cum Atheſi *Adige* confundunt nonnulli. Atheſis, qui è Tridentinis Alpibus oritur, per Venetos fluit, inque Adriaticum deſcendit. de quo iam dictum. Eſt etiam celeberrimus in hoc Italiæ tractu Timaus, qui novem capitibus erumpens uno oſtio in mare prope Aquileiam illabitur.

Secundum locum tenet Tiberis *Tevere* nullus toto Orbe celebratior; quippe qui Romam gentium dominam præterfluat: oritur ex Apennino non longe ab Arni fonte prope Aretium: exiguus principio rivus, mox aliis auctus in Tuſcum mare ſe exonerat. ubi olim portus Romanus ingenti ſumptu & magnificentia extructus: in quem appellentes navigia, mox in Urbem Tiberino alveo devehebantur; quare optimè Plinius, de Tiberi: Rerum omnium in toto Orbe naſcentium mercator placidiſſimus. In Tiberim, eodem teſte 42. amnes deſcendunt: præcipui ſunt, ad Occidentalem ripam Ctereo, Nero, Neſtor, Glanis, *Chiana*, qui piger, & gravi palude noxius Tiberim Arno coniungit. Palia *Paglia*, Clitumnus *Triglia*, cuius aqua pota candidos Tauros facit. hinc Poëta:

> *Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima Taurus*
> *Victima, ſæpe ſuo perfuſi Flumine Sacro*
> *Romanos ad templa Deum duxere triumphos.*

Et Propetius:

> *Qua formoſa ſuo Clitumnus flumina Luco*
> *Integit, & niveos abluit unda boves.*

Aliis ad Ortum ponitur, inque Tiniam fluere. tandem Cremera *Varca*, ubi CCCVI. Fabii cum Clientum, ſervorumque V.M. à Veientibus occiſi, quare à Silio inglorius appellatus.

Ad Orientalem ripam influunt Chiatius *Chiazzo* dictus etiam Aſius, quia ab Aſi monte deſcendit: Tinia *Topino* in cuius ripa magnarum moliū

ruinæ viſuntur ; quas ad tutandam viam Flaminiam Romani fabricaverunt. Nar *Negra* ab aqua ſulphurea Sabinorum lingua dictus. alii à naribus, quia nimirum ipſius fontes vivo in ſaxo Fiſcelli montis in auris ſimilitudinem facti. prope Narniam ingenti ponte tranſmittebatur, ex quo ab urbe Narnia in præcelſum montem tranſitus, ab Auguſto olim fabricatus, quartus pons fluvii. de hoc Martialis:

Sed iam parce mihi, nec abutere, Narnia quinto,
Perpetuo liceat ſic tibi ponte frui.

Succedunt Himella, Fabaris, *Farfarus* item & Ovidio, & Plauto dictus hic enim

Diſſipabo, te numquam folia Farfari.

arboribus enim conſitus erat crebris: ille, Amœnæ Farfarus umbræ.

Allia *Caminato* ex quo Allienſis dies XV. Kal. Sex. ob pugnam Romanorũ cum Brenno Gallorum Duce. Anio *Teverone* ab Anio Etruſcorum rege, vel Aniene Apollinis filio appellatus oritur ex Trebanorum montibus, treſque lacus amœnitate nobiles, qui nomen dedere ſublacii in Tiberim devehitur ad Tibur ex alta rupe velut è cataracte in ſubiectam convallem ingenti aquarum ſono decidit quatuor pontibus cõiungitur, unus via Tiburtina eſt ab Antonino Pio factus. Secundus circa viam Nomentanam, qui integer: tertius via Salaria à Narſete Gothis victis, extructus, cujus exſtat hoc carmen in marmore.

Quam bene curvati directa eſt ſemita pontis,
Atque interruptum continuatur iter:
Calcamus rapidas ſubiecti gurgitis undas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra, Quirites,
Et Narſim reſonans plauſus ubique canat:

Qui

Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

Ad hunc pōtem Annibal imbrium inundatione perterritus,ſoluto obſidio,caſtra ab urbe movit. Quartus pons Tuburi rotunda mole conſpicuus.

Sequitur Arnus notus amnis, qui non longe à Tiberis fonte ortus Florentiam,& Piſas rigat,inque Tyrrhenum devolvitur: devehitque ſecum Crainam, Sotanam, Reſum *Reſcho,Staggia,Corſona,* aliosque.Arnum inter, & Tiberim præcipui in mare ruunt Ceina,& Umber,*Ombrone*. In Cāpania Liris, *Garigliano* ex Apēnino prope Sorā duobus fōtib⁹ erumpit:cui Fibrenus *Fiume della poſta* Coſa,& Caſinus miſcentur. Vulturnus item ab Apennico fluit,Venafrum, Capuamque rigat, ubi ponte lapideo traiicitur. Vulturno adiunguntur præter alios Sabbatus; & huic ad Beneventum Calor, ubi pontem Valens Auguſtus poſuit. Capuam inter,& Atellam *Averſa* currit Clanius *Fiume di Patria* Acerras irrigans gravi palude,unde Poëta:

Et vacuis Clanius non æquus Acerris.

In Craterem influunt Sebethus noſtrorum Poëtarum carminibus magis,quam aquis notus, & Sarnus,cuius celebres ſunt apud Actiū Syncerum ſalices.In Picentinis eſt Silarus *Selo*,in quem proiecta lapideſcere falsò veteres credidere. oritur ex Apennino ex adverſo Aufidi.in Silarum Tanager *F.Negro* ruit, qui è Paludæ oppido ortus, emenſaque Diania valle in ſpecum ſe condit ingenti murmure, ubi *Polla* diverſorium, hinc ad quartum lapidem emergit ad *Auletta* oppidum in loco ubi Caupona hinc dicta *La Taverna del Pertuſo*.in Lucanis Laus eſt,Calabriæ,Lucaniæque terminus; dictus etiam Talaus *Laino*, à quo Ta-

laus ſinus *Golfo di Policaſtro*. In Brutiis præcipui Ocinarus *Saunto* Licophroni notus: Lametus, *P. Amato*, Angitula *Acitola*, Meduna, *Meſuma*, & Metaurus, quo Oreſtes Matris nece purgatus creditur. In Ionium currunt Neæthus. Triuntes, *Triento*, Crathis, in quem Buſentus *Vaſiento* irrumpit: mox in Lucanis Siris *Senno*. Acris *Acri*, Aculandrus, *Salandra*, Coſuentus, de quo diximus. In Portum Tarentinum Galeſus *Galeſo* cuius meminit Virg:

Qua piger humectat flaventia culta Galeſus.

exiguus eſt, & vix ortus immoritur. Qui ex Apennino in Superum mare deſcendunt hi ſunt: Aufidus *Ofanto* ſolus Apenninum in quo naſcitur ſecat: illius naturam deſcribit Horatius:

Sic Tauriformis volvitur Aufidus
Qui regna Dauni perfluit Appuli,
Quum ſævit: horredamque cultis
Diluviem meditatur agris.

Sequitur Tifernus *Fortore*. Aternus *Peſcara* in quem plurimi rivi fluunt: Vomanus *Humano* & Truentum *Trento*. Muſon, quem Aſpidem vocant, quod multis voluminibus hac, illac ſe flectat: Metaurus *Metro*, de quo Lucanus:

rapiduſque ſonanti
Vertice contorquens undas, & ſaxa Metaurus.

Et tandem Rubico *P. ſatello*: de quo Lucanus:

Puniceus Rubicon quum fervida canduit æſtas,
Perque imas ſerpit valles, & Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.

Cis Rubiconem Romanis ducibus arma ferre non licebat abſque S.P.Q.R authoritate, qui ſecus feciſſet, hoſtis Reipublicæ judicabatur.

Fluviis lacus ſuccedũt: Celebriores ſunt: Traſimenus, qui ad 30. mil: ambitu patet, aquas nõ accipit, nec refundit: lucidus eſt, perſpicuus: hic

Flaminius ab Annibale cæſus cum ingenti Romanorum ſtrage. Bulſinus. *Lago di Bolſena* ambitu mill. XXIV. in medio inſula amœna & fertilis, & Amalaſuntis Gothorum reginæ cæde nobilis. Sabatus, *Lago di Bracciano*. angularis dictus à Trigoni forma. Fucinus, *Lago di Celano* apud Marſos, hortis circum conſitus, & amœnus: maximeque piſcoſus eſt, & pellucidus. In Umbria circa Reate Velinus lacus præcelſis montibus cinctus *Lago di Luco*. in quo ligna ſtatim lapideſcunt: & Cutiliæ lacus *Lago di Contigliano*, in quo inſula Commotiæ Nymphæ Sacra, quod ſcilicet in aquis commoveatur: hunc Umbilicum Italiæ cenſent: alii Velinum ſtatuunt. In Campania Avernus *Lago di tre pergole*, ſic dictus, quod avibus ſit avius, ut ait Lucretius, & Virgilius:

Quam ſuper haud ullæ poterunt impune volantes
Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupra ad convexa ferebat:
Unde locum Graii dixerunt nomine Avernum.

Hinc per Acherontis rivum ad Inferos iri putarunt poëtæ, unde Silius:

Hinc vicina palus fama eſt Acherontis ad undas
Pandere iter.

Proximus Lucrinus *Lago di Licola*, Concharum dives, hinc Martialis:

Non omnis laudem, pretiumque Aurata meretur,
Sed cui ſolus erit concha lucrina cibus.

Hunc Iulius Cæſar Averno immiſcuit, atque aggeribus contra maris æſtum munivit, ut tutior uberrima fieret piſcatio, ut ſupra ex Virgilio recitavimus. Tertius Anianus montibus cinctus, ut & Avernus, præter aditum, quà in Phlegræos cãpos itur. ad Collis radicem antrum eſt vulgo *La grotta de' Cani*, ex quo peſtifer exhalat halitus, ut animantia ſenſim exanimentur: quæ tamen in

proxima lacus aqua reviviſcunt. Eſt etiam ad oſtium Clanii linterna palus maxime piſcoſa *Lago di Patria*: Et juxta Anxurem Pontinæ paludes, quas in mare deducere conatus Cæſar, ut peſtilentem vaporem ex circumvicinis agris amoveret. In Apulia Veranus memoratus, & *Lago di Leſina* fortaſſe Pontanus Plinii, & Selapina palus *Canal di S. Antonio*.

Trans Padū præcipui Verbanus *Lago maggiore*, cuius longitudo eſt mill: L. variis anfractibus tortuoſus eſt, & ut mare interdum ſævit. *Larius Lago di Como* à laro ave Græce, fulica latinè, quibus abundat: longitudine Verbano æqualis. Benacus *Lago di Garda*. qui ut ait poëta etiam ceu mare aſſurgit.

Fluctibus, & fremitu aſſurgens, Benace, marino.

Long. mill: XXV. lat. XV. lacum in modum coronæ oppida, Nemora, Prata virentia, Vineæ, Olivæ, Abietes, & lauri ambiunt. Idrinus, *Lago d'Idro*: Mincius *Lago di Mantova*, & in uno ex Padi oſtii Paduſa palus: & Ravennam juxtà Comaclenſis, *Lago di Comacchio*.

CAPUT IX.

De Montibus, & Sylvis Italiæ.

PRincipes Italiæ montes ſunt Alpes, quæ illam inexpugnabili veluti vallo muniunt. Primæ ab Infero mari ſunt Alpes maritimæ, quæ & Liguſticæ: per has via erat, quæ Roma Arelatum uſque ducebat, harum maxima Acema mons *Camelione* ex quo Varus profluit Galliæ, Italiæque terminus. Poſt has ſunt Cottiæ, aliis Coctiæ à Cottio rege: in his jugum celebre Ginebre, quà in Galliam via, quam tentaſſe Annibalem ferunt: ſu-

pera-

peravit Carolus Magnus, cum contra Deſiderium movit. Eſt etiam Verulus mons *Mont Veſo*. Sequuntur Graiæ, per quas Herculem tranſiſſe memorant: hodie dicuntur *Monte di S. Bernardo minore*. per has duo itinera Viennam, & Argentoratum ducunt, & ab Taurinis recto tramite per Sturam amnem in Centrones. Iuxtà has ſunt Peninæ, per quas Pœni Annibale Duce tranſiere, unde dictas Peninas volunt. alii Pinninas à pinnis hoc eſt celſis cacuminibus, *Monte maggiore di S. Bernardo*. & eo præcipuè, quod Pœnos per Maritimas tranſgreſſos multi docent; niſi fortaſſe per utrumque ſaltum, partito exercitu, traiecerint. Harum pars ſunt Alpes ſummæ, quarum Cæſar meminit, ex quibus in omnem plagam nobiliſſima flumina profluunt. Supra ad Septentrionem ſunt Lepontiæ Alpes, quæ Italiam ab Helvetiis dividunt *Monte di S. Gotthardo*. Et poſt has Rhæticæ, à Como Veronam uſque in quibus maximus mons Adulas Rhætis *Colmin d'Ocello*: aliis *Monte di S. Bernardino*. Iuliæ, & Carnicæ ſuccedunt, à Iulio primæ, *Iulien* incolis, per has enim Iulius Cæſar, & Octavianus tráſierunt: ſecúdæ à Carnis, minus arduæ ſunt, & ad Germaniam ſpectant. quæ & Noricæ etiam dictæ, & Pannonicæ per has olim via in Pannonias ſtrata Romanis fuit.

Poſt Alpes, quas ab albo colore Sabinorum lingua vocatas volunt, principem locum tenet Apenninus ab Api priſco duce appellatus. oritur non longe ab Infero mari ab Alpibus, à quibus ſenſim ſe diſiungit, inque Superum mare contendit ad Senam urbem: mox ad dextram iterum flectus per Samniũ, & Lucanos incedit: hinc gemino cornu diſſectus, uno per Brutios in Siculum fretum uſque ad Leucopetrã excurrit altiſſimis jugis; altero humiliori clivo per Apulos in ex-

ſtremam Iapygiæ oram tendit, ubi modicis collibus deſinit. De hoc Lucanus:

Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni, ſuperique maris.

Apennini, multa ſoboles. in Liguria Baliſta, Suiſmontium, & Letus *M. di S. Pellegrino*, in Æmilia Zobius, Petra Piſoniana, & Bardonis mons, apud Venetos Baldus Medicinalibus herbis dives. in Picæno Auxinus *M. d'Oſimo*, & Corvus. In Etruria Soractes *M. di S. Silveſtro*, & Ciminus. Virg.

Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum Monte lacus, lucoſque Capenas.

In Latio Albanus, Cæcubus qui in Caietanum ſinum currit, *M di Gaeta* cuius vina laudatiſſima, Algidus *Bocca del Papa*: in Campania Gaurus, Maſſicus, Falernus unus mons eſt, cuius pars Occidentalis Gaurus *Gerro*, *& Barbaro* Orientalis, Maſſicus *M. Marſo, & Rocca di Mondragone*, Septentrionalis Falernus *M. di Seſſa*. Per Maſſici iuga exercitum duxit Q. Fabius Maximus, ut Annibalem cunctatione frangeret. Veſuvius *Monte di Somma* fertilitate primum, mox incendiis, & flamma nobilis, ut belle Martialis:

Hic eſt pampineis viridis modo Veſuius umbris,
Preſſerat hic madidis mobilis uva lacus:
Hæc iuga, quam Niſæ colles plus Bachus amavit:
Hoc nuper ſatyri monte dedere Choros;
Hæc Veneris ſedes lacedæmone gratior illi;
Hic locus Herculeo numine clarus erat:
Cuncta iacent flammis, & triſti merſa favilla,
Nec Superi vellent hoc licuiſſe ſibi.

Loquitur de incedio ſub Tito quo Plinius ſenior cum Saleio Baſſo periere. mons biceps eſt: vertex ignivomus humilior factus cum altero altior eſſet: in medio ambuſtus crater mill. III,

ambi-

ambitu complectens,in quo è cinere,ſaxiſque,quę evomuit, nuper mons alter enatus: inque dies creſcit. in medio montis Mercurii venæ, rapidique amnes currunt. Ad Puteolos eſt Phlegra item ignivomus mons, juxta quem Phlegræi campi ubi Hercules Gigantes ſuperavit. *La Solfatara*: à Sulfuris copia,quam vomit.item Cinereus mons, qui anno 1538. repentino hiatu ignem evomente, aſſurrexit. Eſt & Aſturus *Aſturni*: in vertice veluti Lacuna vallis eſt cum nemore: mediam clariſſima aqua prçterluit, inque theatri formam vallis eſt. Surgit item in Campania verſus Samnium Taburnus. *Taburo* Virg:

Neu ſegnes jaceant terra,juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire Taburnum.

Prope Capuam Tifata ubi Annibal caſtra poſuit.

In Sãnio Virgineus ob templũ B. Virginis nominatiſſimus: Nicates *Maiella* altiſſimus,ex quo tota Apulia conſpicitur herbis medicinalibus ditiſſimus.in hoc Cænobiũ Cæleſtinorum, quorum auctor in prçrupta huius rupe inhabitavit D. Petrus Moronus: nivibus ſemper canet. eſt item Grumus *Crepacore.* In Apulia Garganus,de quo dictum ſatis. Et non longe Tarento Matinus, *M. di Martina* buxo,& apibus nobilis:hinc Lucanus:

& calidi lucent Buxeta Matini:

Et Horatius:

Ego apis Matinæ modo,modoque,&c.

In Lucania Alburnus, *il Poſtiglione*, *Arpa*. In Brutiis præcipuus eſt, quem vocant *M. Cocozza.* Clibanus,*M.Lione:* alii Olibanum,& eum ſtatuũt, quem *Solàno* Rhegium verſum appellant. Eſt præterea Conſentiam inter, & Tabernam Sila mons,& ſylva, de quo plura in Nauticis lib. 1.

Reliqua Italiæ memora ſunt in Etruria *Boſca*

di

di Monte Fiaſcone Mæſia Sylva *Boſco di Baccano*, & Ciminus ſaltus. in latio Algidum nemus, *Selva dell'Aglio*, lucus Feroniæ, & Dianæ Ætoliæ prope Anagnium, & Angitiæ nemus: de quo meminit Virg:

Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus:

In Campania Sacer lucus, *Hame* ad liris oſtia. ſylva Gallinaria, *boſco di Patria* fontibus rigua, & venatu nobilis, & amœna In Lucania Eboli ſylva, *Boſco d'Evoli* Latrociniis infamis: Peregrinalis ad fauces vallis Dianiæ denſiſſima, & altiſſima, Veliatum lucus, *Boſco di Piſciotta*, per quem evaſit Annibal. Eſt etiam in Brutiis Rheginus ſaltus *Boſco di S. Martino*. in Apulia Bantini ſaltus quorum meminit, laudatque Rapinus.

Cui non Bantini ſaltus, nec molle Ferentum.

& Gargani lucus. in ciſpadana regione lucina ſylva juxta Paduſam, & Pedaneæ ſylvæ, quas ſuccinum fleviſſe putavit antiquitas. in Tranſpadana Caſtrorum lucus juxta Cremonam: In Venetis lucus Iunonis Argivæ, & Dianæ Ætolicæ.

CAPUT X.

De Sicilia, Sardinia, Cyrno, cæteriſque inſulis Italiæ adiacentibus.

MAxima inſularum, quæ circà Italiam ſunt, immo in toto Mediterraneo, eſt Sicilia, dicta etiam Trinacria, & Triquetra à Trigoni forma, quam tribus promontoriis exhibet. Sunt hæc Pachinum, *Capo Paſſaro* Orientem, & Græciam ſpectat, Pelorum, *il Faro* Italiam cõtra, Lilybæum *Capo Boèo* Africam, & Occaſum reſpicit. Siciliæ longitudo à Lilybæo Pelorum uſque eſt Mill:CC.

Lat:

Lat. à Pachino ad Cephaladim *Ceſalù* oppidum mill. CXXV. ambitus DC. Nomen à Siculis Latii incolis ſortitam volunt: & Sicaniam à Sicano Iberorum rege, qui ante Troiana bella inſulam occupavit. Cæterum primi habitantes Cyclopes fuere, & Leſtrigones, gigantes corpore, genteſque truces, & immanes. mox Iberi Sicano duce tenuere: deinde Siculi ex Italia: poſtea Maritima Phœnices occuparunt; quibus à Græcis eiectis Græcorum Colonia facta eſt. & primo Imperium penes reges, & tyrannos fuit, mox in Carthaginienſium poteſtatem venit: his à Romanis ſuperatis, in provinciæ formam redacta eſt. Iuſtiniani ævo Vandali ex Africa traicientes eam occuparunt, ſtatimque à Beliſario pulſi, tandem Saraceni ad multos annos miſere vexarunt: donec à Normannis eiectis Siciliæ regnum inſtitutum eſt. His Suevi, & mox Galli ſucceſſere, at hiſce coniuratione facta anno 1282. ad Veſperas trucidatis, Aragonenſes evocati: à quibus Auſtriaci accepere. Inſula eſt aeris, cęlique temperie, ac terræ ubertate, maxime frumenti letiſſima, ut merito populi Romani horreum fuerit appellata. abundat vino, & nobiliſſimum eſt Siracuſanum, melle, Serico, corallio, ſulphure, & Thynnorum piſcatione ditiſſima. olim varii populi incolebant: nũc in tres valles, ſive partes dividitur. Harum prima Demona ad Pelorum: ſecunda Nezti *Val di Noto*, tertia, *Val di Mazara* hæc ad Lilybæum, illa ad Pachinum pertinet. Urbs princeps Panormus *Palermo*, à ſtationibus dicta: ampliſſima, ſplendida, & dives, cum arce ad mare prævalida: circum campi uberes, quos nudi montes coronant. neſcio ex quibus nummis antiquiorem Noemo nonnulli faciunt. Secunda eſt Meſſana *Meſſina* ad Orientem poſita ampliſſimo portu, Emporio, Carybdi,

& Thea-

& Theatro nobiliſſima . portus in modum falcis curvatur.inque aditu arx eſt ſitu prævalida: hinc Zancle antiquis dicta. quoniam vero nonnihil à Libyco laborabat, Philibertus Emmanuel pro Catholico rege Siciliam cum regeret, portum ampliſſimo Palatiorum theatro ornare ſimul, & tutari cives juſſit , quo certè nihil in tota Europa ſuperbius. Carybdis vortex eſt extra portum ubi continuo æſtu aquæ reciprocantur:totumque Siculum fretum perpetuo æſtu ad Lunæ curſum fluit , refluitque, & tantis adverſis occurſibus, ut depreliari aquæ videantur ; quare belle quidam de Theatro loquens.

Ampla theatra vides, quæris ſpectacla, viator;
Hic pelagus geminis digladiatur aquis.

De Carybdi nos plura in Nauticis lib. 5. Scylla verò ſcopulus eſt ex adverſa Italiæ parte, extans ubi mare meat,& promeat.æſtum Siculi appellant *la rema*. Reliquæ urbes Catana, *Catania*: ad Orientem in radice Ætnæ poſita: a cuius incendio ſæpe devaſtata eſt. civium ſplendore, & academia nobilis. *Auguſta* cum portu, Syracuſæ, *Siraguſa*, olim princeps urbium Siciliæ duplici portu magno, & marmoreo inſignis: hic magna ex parte collapſus: ſitu munita in Ortygia inſula, quæ olim una ex quatuor urbibus:quibus Syracuſæ conſtabant Acradina, Neapoli Thyca,& Ortygia, à Marcello captæ, cęſuſque in direptione Archimedes, cuius ingenio diù defenſæ. Situs muniminì addita artis etiam munimenta triplici vallo, marique interfluente ſecura. non longe a mari Leontini, *Lentini* ubi uber campi Leontini appellati *la piana di Catania*: hinc ortus Gorgias, cui ob inſignem eloquentiam aurea ſtatua poſita fuit : Ad Meridiem Agrigentum *Girgenti*, ubi ævo Empledoclis cenſa hominum octigenta millia: in qua curſus nonniſi

ebur-

eburnei. ad Occidentem Lilybæum, *Marſalla* Araba voce, portum Dei ſignificante, ob portum celeberrimum, qui plene obductus. Drepanum à falce item dictum *Trapani* coralli opificio Thynnorum piſcatione,& portu celeberrimum: cui ũ item,& frequens.in Mediterraneis Neætum *Noto*, Motyca, *Modica*, Ænna *Caſtrogiovanni* in meditullio inſulæ, ubi Perguſa lacus quo rapta Proſerpine. Sunt etiam in ora Boreali Himera *Termini*, Cephaladis, *Ceſalu*, Mylæ *Melazzo*.

Flumina celebriora,ſunt Onobala *Cantara*, Symæthus *Giarretta*, Anapus,qui in Magnũ Syracuſarum portum devolvitur anguillis abundans: in medio portus fons Alphæus: contra ad litus fons Arethuſa.Gelas F. *di Terra nova*, Himera de quo Silius.

Mons clariſſimus, atque altiſſimus Ætna *Mongibello*,cuius crater ad tria millia paſſuum patet. eſt etiam Enna *Caſtrogiovanni*, & Eryx in quo Fanũ Veneris Erycinæ *monte di Trapani* ab Eryce gigante dictus,cuius oſſa,& dentes miræ magnitudinis reperta. Sunt in Sicilia argenti fodinæ, & lapides precioſi, ſylvæ admodum raræ. Epiſcopatus VII. Archiepiſcopatus verò tres. Academiæ Catanæ, Meſſanæ,& Panormi.

Sequitur ad Occaſum Sardinia inſula *Sardegna*: cuius longitudo à Calari ad fretum, quo à Corſica dirimitur eſt mill. 150. lat. à Gordiano promontorio *C. Argentera* ad Columbarium eſt mill: 104: dictam putant à Sardo Herculis filio, qui primus colonos invexit:mox Iolaus à quo populi Iolaenſes:deinde Ilienſes, & Locrenſes, Corſique inſulam tenuere. quos Carthaginienſes domuere:quibus primo bello Punico pulſis,Romani habuere. verum declinante Imperio Saraceni invaſerunt:à quibus Piſani,& Genuenſes recepe-

runt:

runt: at diffidentibus, Romanus Pontifex Aragoniæ regibus beneficiario jure dedit. Gentes parum cultæ: ſoli melior conditio quam Cœli; namque ut fertilis terra, ita peſtilens aër eſt; equos alit agiles, & robuſtos etſi noſtris minores: ſylvæ multæ: hinc gens venationi dedita, & pecuariam exercet; & mira illa coriorum, & caſeorum copia, quæ in Italiam, & Hiſpaniam devehitur. in Argenti fodinis plurima reperitur ſolifuga animal exiguum araneo perſimile, quod per imprudentiam ſuperſedentibus peſtem creat.

Urbes paucæ & minus cultæ: caput Calaris *Cagliari* portu, & limis celebris Archiepiſcopi ſedes, & regii tribunalis. Chia, olim portus Herculis, Oriſtagnum infrequens ob aerem non ſanum, Boſſa ad amnem Thyrſum inſulæ maximum. Algerium nova civitas populo frequens, & munita, cum ſinu multarum navium capace, Caradone olim dicto. *S*aſſaris urbs ampla amœno loco fontibus riguo, & feraci ſita.

Freto duorum mill: interiacente, ſequitur ad Septentrionem Corſica, minor inſula, cuius long: à Sacro promontorio, *C. Corſo* ad Graniacum *C. Manza* eſt mill. 120. Lat: à promontorio vulgo *C. Foro* ad Aleriam mill: 80. dicta olim Terapone, mox à Græcis Cyrnus à Cyrno rege, quem Herculis filium faciunt: tandem Corſica à Corſa Bubulca muliere ex Liguria: qua Duce Ligurum manus in inſulam ingreſſa occupavit: & gétes à Duce Corſi nuncupati. Aſpera montibus eſt, aditu-que difficilis: valles tamen cultæ, oleoque, vino, & paſcuis abundant: equos feroces, & venaticos canes habet miræ magnitudinis. gens laborum patientiſſima, ſed vindictæ avidiſſima: quare Corſo infenſo, neque vivo, neque mortuo credendum, inſulam poſt Carthaginienſes, qui illam Tu-

ſcis

ſcis ademerunt, Romani tenuere: inclinante imperio Saraceni,qui à Genuenſibus, Duce Ademaro,& Piſanis eiecti.his vero certantibus Genuenſibus ceſſit:urbes ævo Plinii XXXIII. nunc admodum paucæ: Baſtia frequens, & Archiepiſcopatu ex Aleria,antiqua urbe,& principe translato,inſignis:Bonifacium præcipuum oppidum, ubi portus amplus & mare corallio dives: Adiacium *Aiazzo* caput nunc inſulæ mercatu frequens, *Calui* arce,& ſaxo munitum,& portu celebre. Curia arx confragoſæ rupi impoſita in medio inſulæ, quà tranſeundum in utrumque latus eſt. Granduicus mons in medio inſulæ, in cuius vertice planities cum lacubus Ino, & Creno ex quibus defluunt amnes Tovola, *Guelo* & Ruptavus, *Liamone* defluunt.

A Sicilia mill. 100. ab Africa 190. eſt Melita *Malta*,cuius lat. 12 mill. long. 22. plana eſt, humilis,ſaxoſa, ventiſque, & æſtui obnoxia. Borealis pars caret aquis, quibus abundat occidua, ut goſſypio,hordeo,cymino, & fructibus: ligna admodum pauca: hinc ignem ex arefactis carduis, boumque ſtercoribus ſtruunt:Pagi circa LX quibus Punica lingua,ſeu Araba.quinque habet portus in maiori ad Septentrionem nova urbs fabricata cultiſſima,& munitiſſima:inſulam D.Paulus naufragio olim nobilitavit: nunc Equites ab ea dicti Melitenſes. hi initium cepere Hieroſolymis anno 1104. primùmque Hoſpitalarii appellati;quia Noſocomio peregrinis miniſtrarent: Hieroſolyma capta in Cyprum navigarunt: mox ab Imperatore Conſtantinopolitano Rhodum obtinuere, Rhodiique dicti.verum expugnata à Solimano Turcarum rege Rhodo anno 1522. poſt ſextum obſidii menſē proditione Andreæ Meralii Equitis Luſitani, in Melitam ſe receperunt à

Ca-

Carolo V. conceſſam. illam anno 1565. Pialis Turca obſedit: ſed re infecta, diſceſsit.

In Tuſco mari inſulæ minores Urgo *Gorgona* Mænaria, *Meloria* Liburno portui adverſa. Capraria, ſeù Ægilum ſylveſtrium Caprarum dives. Ilua *Elba*, olim æris feraciſſima, quo deficiente ferrum viſum: effoſsumque poſt annos 25. renaſcitur. eam Coſmus Medicæus à Carolo V. obtinuit, Apianis veris dominis juri cedentibus. in occidua parte Argous portus, *Porto ferrato*. ad quem Iaſo appulit, cũ Circen quæreret cum Argo navi. Coſmopolim extruxit Dux Etruriæ, probeque munivit. Sunt etiam Columbaria ab avibus huius nominis, quarum dives Planaria *Pianoſa*. Oglaſa *M.Criſto* circa Campaniam Pontia *Ponza*, & Pandataria *Palmaruola* deſertæ.

Iſchia olim Ænaria à ſtatione navium Æneæ, vino, alumine, ſulfure, Balneis, vaſis figulinis, & oppido inexpugnabili in ſaxo prærupto celebris: hanc in arcem ſe recepit Ferdinandus, toto regno amiſſo, quod mox recuperavit. hanc Tiberius Neapolitanis dedit, à quibus Capreas accepit. in medio Mons eſt Epopeus, ſub quo Typhœum iacere fabulantur. inter Ænariam, & Cumarum litus eſt Prochyta *Procita* humilis, & cultu agrorum, & fructibus celeberrima: ſub qua unum ex Gigantibus Mimãta iacere pariter fabulantur: hæ geminæ dictæ olim Pithecuſæ, quas à continenti terræ motu abſciſſas nonnulli tradidere, de his meminit Actius noſter:

Quare Pithecuſas, tu, cui licet, atque ſuperba
Dic Hyala, falſum te paſcere monſtra ſub æquor.

Ex adverſo Promontorii Minervæ, ubi ingentis delubri rudera conſpiciuntur *La Campanella*, poſitæ ſunt Capreæ, *Capri* oleis, domeſticiſque arboribus conſitæ, atque aëris ſalubritate, ac piſca-

ta

tu nobiles: at Tiberii Cæſaris amoribus infames, cuius magnifica erecta ædificia, & Pharus ad dirigendas naves Alexandrinas ſenatus juſſu diruta, adhuc ſpectantur in ruinis: duo ſunt oppida, *Capri*, & *Anacapri* in ſublimi vertice ſitum, quaſi Capreæ ſuperiores. Ad ortum Solis tres aliæ ſunt inſulæ Sirenuſas vocarunt veteres: Virg: ſirenum ſcopulos: deſertæ incolis, at piſcatu frequentes.

Juxta *Siciliæ* latus hyperboreum ſunt *Æoliæ* inſulæ, quæ & Arnæ, & Hepheſtides appellatæ, olim ſeptem numero: ſunt hoc ævo XII. Strongyle, *Strongoli* à figura rotunda dicta: hic Æoli Ventorum regis poëtæ ſedem fixere: ignem vomit, & interdum fœtidum, quo una pars inſulæ ſterilis, altera fertilis ſi coleretur. Lipare *Lipara* omnium maxima à Liparo Auſonis filio nuncupata: alii à ſoli pinguedine dictam credunt. Gnidiorum olim Colonia: oppidum habet cum ſede Epiſcopi, & ſitu, & arte munitum: abundat piſcatu, alumine, bitumineque. Phæniuſa, ſeu palmaria *Filicur* à palmis dicta. Ericuſa *Elicur* didime, & Baſilurus, *Le Formicole*. Vulcania ſeu Hiera, *Volcano*, quæ ſub mortem Scipionis Africani repente è mari edita eſt: & anno 144. Non. Febr. tantum ignium evomuit, ut tota *Sicilia*, & Calabria contremuerit. Vſtica deſerta, & piratarum ſtatio. Ad Lilibæum eſt *Ægnſa Favognana* Carthaginenſiũ clade, ſoli ubertate, Thynnorum piſcatu, & portu nobilis. *Sacra Maretimo* Thymo, & apibus celebris. In Adriatico è regione Gargani montis ſunt Diomedææ inſulæ *L'Iſole de Tremiti*: maior *S. Nicolò*, ubi Cœnobium in modum arcis conditum eſt, atque Abbati paret.

CAPVT XI.

De Illyrico, Pannonia, & Dacia.

SUperatis Alpib⁹ Illyricū ingredimur dictum à Cadmi filio, ſive, ut tradunt alii, à Poliphemi ſiculi filio: caput Scodra *Scutari* ad Drilonem amnem, quæ deleta ab Anicio Prætore, regeque Gentio cum filiis capto in provinciæ formam redaſcum Illyricū eſt anno urbis 587. Cæterum Illyricum patet ab Arſia ad Drinum amnem, quo à Macedonia diſterminatur; à Septentrione Pannonicis montibus cingitur ubi aſpera eſt regio: à Meridie ſupero mari alluitur, quod maximè piſcoſum eſt, & crebris inſulis, ac ſinibus ſciſſum: ager fertilis, & Cœlum amœnum, & ſalubre: gens ſemper bellicoſa, & equos habet præſtantiſſimos. Sunt in Illyrico homines, qui ut Plinius narrat ſolo viſu faſcinant: iumenta authore Ariſtotele, bis anno pariunt, & interdum geminos, & ternos pullos. Gallinæ bis, terve ova quotidie emittunt. Olim in duas Provincias diviſum, Liburniam nimirum, & Dalmatiam. Liburnia inter Iſtriam, & Dalmatiam, nunc continet Iaderæ Comitatum, & Croatiam: Hęc Auſtriacis paret; in ea urbes præcipuæ Caroloſtadium *Carloſtat* ad amnem *Kulp* & Segeſta ad Savum *Siſeck* munitiſſimæ contra Turcas. in ora maritima Flanaticus ſinus *il Quarnero* tempeſtatibus, & naufragiis infamis, urbs præcipua Fanum S. Viti *Fiume*, ad amnem cognominis. Senia *Zeng* Uſkokorum receptaculum, gens latrociniis nobilis, Venetis diu infeſta. Iaderæ comitatus *Contado di Zara* Venetis paret: olim Liburniæ caput, a qua liburnicæ naves appellatæ. urbs eſt in peninſula portu, & munimento inſignis:

gnis: cum à Venetis rebellaſſet, armis Chriſtiani fœderis in Palæſtinam proficiſcentibus recuperata. reliquæ urbes *Nova*, & *Novigradi*. Dalmatia partim Venetis, partim Turcis ſubiecta. Venetis urbes *Sebenicam*, olim Prætorium in Scardonico ſinu ad Titium amnem ad radicem montis, in cuius vertice arx eſt, Scardona D. Hieronymi patria nuper Turcis erepta: Tragurium, *Trau*, quæ modico Euripo à continenti ſeparatur: Spalatum *Spalatro*, ubi Diocletiani palatium. Salona olim totius gentis navale. Caſtellum novum nuper etiam receptum ad Rizonium ſinum *Golfo di Cattaro*. Catharo *Cattaro* egregium munimentum. Turcis vero Gabella, ſeu *Nerenta* Scodra in monte ad lacum ſita, qui ad 130. mill ambitu patet, & montibus cingitur: regio cirumpoſita ad mare excurrens Craina dicitur, quod ſaxis, & rupibus ſit impedita: Antibarium, *Antivari*, quod Bario Apulo opponitur. Ulcinium *Dulcigno* piratis infame.

Inſulas in ora Illyrica ſupra millenas Plinius recenſet nobiliores Cherſo, & Oſero cũ oppidis cognominibus. olim iunctæ, nunc Venetorum opera diviſæ: Abſyrtides Strabonis creduntur, ubi Medea fratrem occidit. Curiſta *Veglia* amœna eſt, & fertilis: urbem habet eiuſdem nominis cum portu. Arba amœna item, & vini ferax. Gliſſa *Pago*, ubi Salinæ. Pharos *Leſina* Patria Demetrii Pharii regis Illyricorum: urbem habet cum portu ſatis amplo. Corcyra Melena *Cruzola* ſylvis denſa.

In medio Dalmatiæ Raguſium urbs Republica, & Emporio nobilis; quæ ex Epidauri ruinis crevit. Othomannis tributum pendit 14 aureorũ mill: eius ora oleis, & vitibus conſita. Quidquid terrarum inter Cethium montem Danubii ripas,

& Illyricos eſt montes, Romani Pannonias nuncuparunt: erant autem duæ numero: Prima quæ à Cethio ad Arrabonem amnem *Rab*, ſecundum Danubii ripas extendebatur ſuperior, & ripenſis dicta, hæc Auſtria nunc eſt, *S*tiria, Carinthia, & Carniola, de quibus dictum ſuperius abundè eſt. Inferior ſecunda, quæ ab Arrabone ad *Savi* oſtia excurrit: huius pars, quæ inter Danubium, & Dravum Valeria aliquando dicta eſt à Diocletiani filia: quæ verò à Dravo ad montes vergit, & quam mediam ſecat Savus, Savia nuncupata fuit. Unde nomen defluxerit non conſtat. nonnulli, à pannis ferunt, more patrio conſutis, ex quibus ſibi tunicas manuleatas indigenas feciſſe Dio teſtatur. Cæterum Pannonia ſecunda continet Hungariæ partem cis Danubium, Sclavoniam, & Boſniam. Pannones feroces à Romanis habiti, intactique manſerunt uſque ad Auguſti tempora: quos tandem Tiberius perdomuit. gens Celtica genere, Græci Pæones dixere.

Dacia olim maximè patuit: nam omnem terræ tractum inter Carpathum montem, Tiram amnẽ *Nieſter*, Pontum Euxinum, ſuperiorem Danubii ripam, & Æmum montem, Daciam veteres nuncuparunt: preſsius verò Dacia à Septentrione Carpathicis montibus, & Hieraſo amne, ab Oriente eodem Hieraſo, & Iſtro, à Meridie Iſtro, ab Occidente verò Patiſſo amne. Daci Scythica gens ferox, & barbara: qui trans Iſtrum habitabant Daci, & Getæ: Daci, qui Germaniam verſus incolebant, Getæ verò ad Hieraſum. Herodotus immortales illos vocat, quia ſe mori minimè putabant, ſed ad Deum ſuum *Zamolxim* tranſire. Gepidas dictos Iornandes putat à Gothica dictione, quod ingenio tardi eſſent. hinc apud Comœdos mediaſtini, & *S*ervi ſæpe Getæ, & Davi nuncupati. Qui cis

Iſtrum

Iſtrum conſedere vocati ſunt Mœſi, ſive Myſi, Triballi, Dardani Iazyges, & Scythæ Thraſenſes. Ovidius, qui apud hos exulavit, ait eos fuiſſe truces vultu, voce feros, barba, & coma hiſpidos, ſemper ferro, & ſagittis veneno illitis accinctos, & ius omne in armis poſuiſſe. Nonnulli, ut ait Strabo, ab uxoribus abſtinebant, quibuſdam verò vix decem ſufficiebant. Sacerdotes regibus à conſiliis fuere ſemper, ex quo Zamolxis Pythagoræ famulus gentibus acceptiſſimus ſpopondit ſe Regi denunciaturum Dei voluntatem ſi regni collegam illum aſſumeret. Regibus ita obaudientes fuere, ut cum Bœrebiſta juſſiſſet vino abſtinere, viteſque præcidere, paruerunt illicò omnes. Dacos primus domuit Auguſtus, & quingenta millia cis Danubium in Mœſiam tranſduxit. Traianus in Provinciæ formam redegit.

CAPUT XII.

De Hungaria Regno.

Hungaria quadratæ fermè figuræ eſt, cuius quatuor latera, quatuor Mundi cardines reſpiciunt: à Septentrione Carpathum, quo à Polonia dividitur: ab Occidente Auſtriã habet, & Moraviam: à Meridie Savum: ab ortu Tranſilvaniam, & Valachiam: eius longitudo à Patiſſi fonte, *Teiſſe*, ad Muræ, *Muer*, confluentem continet mill: 240. latitudo à Carpatho ad Savum fere par. Dividitur in Superiorem, & Inferiorem: Superior trans Danubium, Poloniæ contermina magnam antiquæ Daciæ partem, quæ ripenſis dicta, continet. Inferior cis Danubium, ubi olim Pannonia inferior, quæ & Conſularis, & ſecunda.

In regni formam ſic conſtituta: inclinante Ro-

& Illyricos eſt montes, Romani Pannonias nuncuparunt: erant autem duæ numero: Prima quæ à Cethio ad Arrabonem amnem *Rab*, ſecundum Danubii ripas extendebatur ſuperior, & ripenſis dicta, hæc Auſtria nunc eſt, Stiria, Carinthia, & Carniola, de quibus dictum ſuperius abundè eſt. Inferior ſecunda, quæ ab Arrabone ad Savi oſtia excurrit: huius pars, quæ inter Danubium, & Dravum Valeria aliquando dicta eſt à Diocletiani filia: quæ verò à Dravo ad montes vergit. & quam mediam ſecat Savus, Savia nuncupata fuit. Unde nomen defluxerit non conſtat. nonnulli, à pannis ferunt, more patrio conſutis, ex quibus ſibi tunicas manuleatas indigenas feciſſe Dio teſtatur. Cæterum Pannonia ſecunda continet Hungariæ partem cis Danubium, Sclavoniam, & Boſniam. Pannones feroces à Romanis habiti, intactique manſerunt uſque ad Auguſti tempora: quos tandem Tiberius perdomuit. gens Celtica genere, Græci Pæones dixere.

Dacia olim maximè patuit: nam omnem terræ tractum inter Carpathum montem, Tiram amnē *Nieſter*, Pontum Euxinum, ſuperiorem Danubii ripam, & Æmum montem, Daciam veteres nuncuparunt: preſsius verò Dacia à Septentrione Carpathicis montibus, & Hieraſo amne, ab Oriente eodem Hieraſo, & Iſtro, à Meridie Iſtro, ab Occidente verò Patiſſo amne. Daci Scythica gens ferox, & barbara: qui trans Iſtrum habitabant Daci, & Getæ: Daci, qui Germaniam verſus incolebant, Getæ verò ad Hieraſum. Herodotus immortales illos vocat, quia ſe mori minimè putabant, ſed ad Deum ſuum *Zamolxim* tranſire. Gepidas dictos Iornandes putat à Gothica dictione, quod ingenio tardi eſſent. hinc apud Comœdos *mediaſtini*, & Servi ſæpe Getæ, & Davi nuncupati. Qui cis

Iſtrum

Iſtrum conſedere vocati ſunt Mœſi, ſive Myſi, Triballi, Dardani Iazyges, & Scythæ Thraſenſes. Ovidius, qui apud hos exulavit, ait eos fuiſſe truces vultu, voce feros, barba, & coma hiſpidos, ſemper ferro, & ſagittis veneno illitis accinctos, & ius omne in armis poſuiſſe. Nonnulli, ut ait Strabo, ab uxoribus abſtinebant, quibuſdam verò vix decem ſufficiebant. Sacerdotes regibus à conſiliis fuere ſemper, ex quo Zamolxis Pythagoræ famulus gentibus acceptiſſimus ſpopondit ſe Regi denunciaturum Dei voluntatem ſi regni collegam illum aſſumeret. Regibus ita obaudientes fuere, ut cum Bœrebiſta juſſiſſet vino abſtinere, viteſque præcidere, paruerunt illicò omnes. Dacos primus domuit Auguſtus, & quingenta millia cis Danubium in Mœſiam tranſduxit. Traianus in Provinciæ formam redegit.

CAPUT XII.

De Hungariæ Regno.

HUngaria quadratæ fermè figuræ eſt, cuius quatuor latera, quatuor Mundi cardines reſpiciunt: à Septentrione Carpathum, quo à Polonia dividitur: ab Occidente Auſtriã habet, & Moraviam: à Meridie Savum: ab ortu Tranſilvaniam, & Valachiam: eius longitudo à Patiſſi fonte, *Teiſſe*, ad Muræ, *Muer*, confluentem continet mill: 240. latitudo à Carpatho ad Savum fere par. Dividitur in Superiorem, & Inferiorem: Superior trans Danubium, Poloniæ contermina magnam antiquæ Daciæ partem, quæ ripenſis dicta, continet. Inferior cis Danubium, ubi olim Pannonia inferior, quæ & Conſularis, & ſecunda.

In regni formam ſic conſtituta: inclinante Ro-

mano Imperio, in Daciam, & Pannonias Gothi irrupere: qui mox ab Hunnis pulſi. hi Scythica gens anno 372. in Pannonia inferiore inſedere: anno 428. regem dixere Attilam, qui Numinis irati vindex innumera Europæ damna intulit. Aſt anno 801. Carolus Magnus Imperator Hunnos delevit. Arnoldum affinem ſuum Auſtriæ, Uratislaum inferioris Moraviæ Dominum Pannoniæ ſecundæ principem creavit. Verum circa annum 900. rurſus è Scythia Hunni erumpentes, ſeque reliquiis priorum coniungentes rerum iterum potiti ſunt: mox erumpentes etiam Avares Daciam tenuere: ex quibus factū Hungariæ nomen. Cum vero de Arnolfo Imperatore bene meriti eſſent, regnum pace firmarunt. Primus Stephanus, qui poſtea in divos relatus eſt, baptiſmo luſtratus à Sancto Adelberto Epiſcopo Pragenſi, regium nomen, & Coronam à Pontifice Romano obtinuit. hic tantæ religionis fuit, ut regnum Apoſtolicæ ſedis vectigale fecerit, gentemque omnem ad Chriſtum adduxit anno 954. D. Ladislaus Dalmatiam, & Croatiam regno adiecit: alii alias provincias, ut uſque ad Euxinum patuerit Hungariæ regnum.

Cæterum Rex ſuffragiis creabatur: qui verò ſuffragii jus habebant conveniebant armati in campis Pæſto proximis ad Comitia, ubi reges, & leges conſtituebant: mox & primum Palatinum, qui primus à rege, & de rege ipſo, ſi accuſaretur, ſententiam ferret. delectum regem Albam regalem inducebant, ubi Archiepiſcopus Strigonienſis, primas regni, & perpetuus Cancellarius, eum inungebat. regnum univerſum cum Tranſilvania, quæ pars fuit Hungariæ in 60. comitatus dividitur, ex quibus ante ultimum bellum 25 Auſtriaco parebant, Tranſilvaniæ Principi 8: Turcis 27,

ſed

ſed longe maiores cæteris. Antiquorum regum inſignia fuere quatuor ductus,totidem præcipuorum fluminum Danubii, Dravi, Savi, & Tibiſci imaginem referentes.

Militiam frequentant nobiles,& Equites levis armaturæ,quos Huſſaros vocant: hi Tartarorum more pugnant:arma illis ſunt lancea, ſagaris, ſive gladius Perſicus ad lævam, ſub dextro femore verutum Ephippio alligatum, & tormentarius Siphunculus theca reconditus: pedites nomine Haiduci non galea, non lorica muniuntur: arma ſclopus manualis,vel haſta, ſagaris, & a cingulo pendens ſecuris. Sagum villoſum, ſeu caudam urſi,aut lupi pellem humeris iniiciunt ſub mento aſtrictam.Cives pallio utuntur rubro,vel viridi, aut cæruleo. Nobilium veſtitus admodum ſplendidus, mulierumque mundus exquiſitiſſimus. Scythica omnes utuntur lingua; quoniam verò duriuſcula, latinè plerumque loquuntur. Parentibus ſoli maſculi ex aſſe ſuccedunt, qui ſi deſint hæreditas ad Fiſcum devolvitur. Religio Hereſum labe miſerè deformata, præter Maumethi ſordes,quibus etiam inquinatur:gens exterorum dominatus impatiens,& concitari facillima.

Quod ad ſolum attinet, nulli cedit virorùm fortitudine,animalium fęcunditate, generoſitate vini,& metallorum varietate:lepores, cervi,phaſiani, perdices non rarus plebis cibus eſt. Bovum capita circiter 80000. per ſolam Germaniam diſtrahuntur. Piſcium nullibi in Mediterraneis maior copia, adeo fluviis,eiſque maximis irriguum eſt. Amnes præcipui, Danubius, qui ad Poſonium Hungariam ingreſſus illam ad Albam Græcam uſque ſecat,ubi Iſter vocari incipit. Oritur verò Danubius ingentis famæ fluvius ad iuga montis Abnobæ, in colle vix cubitos 16.eminente,in hu-

mo plana perenni è fonte lato pedes 2, qui muro clauditur longo pedes 26 Per innumeras gentes labitur, ac provincias Romanis dictas Vindeliciam, Noricum, Pannonias Danubii nomine: deinde Mæſiam, Daciam, & Scythiam factus jam Iſter. LX. amnes recipit quorum fere triginta navigabiles. Pontibus traiicitur uno, & viginti à fonte ad Viennam: infra duobus tantum. Gleba utriuſque ripæ horridior, crebriſque ſalebris interciſa, nullum, aut valde auſterum vinum gignit, uſque ad Auſtriam: hinc optimum. Circa fontes immenſa, nigraque ſylva, unde materies ad naves fabricandas abunde ſuppetit. In Pontum vaſtis ſex fluminibus, ſive oſtiis irrūpit. Primum reliquorum maxime Auſtrale Peuces, in quo Peuce inſula triquetra Rhodo æqualis: ſic dicta, quod peucas, latas, nimirum, virideſque arbores in mare ferat. Secundum Naracu Stoma: Tertium Colon ſtoma, juxta Sarmaticam inſulam. Quartum Pſeudoſtoma, & inſula Conopon: Quintum Borcon ſtoma, & Sextum Pſilon ſtoma, quod cæteris languidius. Strabo, Ammianus, & Solinus ſeptimum addunt. tantas aquas devehit ut ad 40. mill. aqua dulcis ſit.

Secundus fluvius eſt Dravus, qui è Noricis Alpibus ortus juxta Toblium, violenter ruit: cumque Carinthiam, Stiriam, & Sclavoniam rigavit, ultra Murſam Danubio miſcetur: eius accolæ Illyrica utuntur lingua. Savus, qui tertius eſt, ex Alpibus Carnicis aſſurgit. ipſamque Hungariam ab Illyrico diſiungit, multiſque auctus aquis ſuperbo alveo iuxta Albam Græcam Danubium ingreditur. Quartus ſequitur Tibiſcus, aliis eſt Tyſſia. quem ſibi totum vindicat ſuperior Hungaria, ſive antiqua Dacia: Sub altiſſimis Carpathi jugis exiguo è fonte oritur in Comitatu Maromatu-

ſio,

ſio. at licet exiguus tantis intra tertium lapidem augetur torrentium aquis, ut vel hic patiens navigiorum ſit, lapides ſeu fruſta ſalis 4000. ſingula librarum devehentium, pellucidusque alveo eſt: ubi anguſtiis montium eluctatus in Campeſtria ſeſe effundit, turbidus fluit; maxime ubi amnes Zamoſum, Bogrodium, Tarſam, Vvizzam, Sagyvam, Chryſum, Mariſcum, & Tameſsam recepit. his incrementis maximus, ſupra Savi oſtium in Danubium provoluitur.

Nullus Fluviorum piſcium proventu Tibiſcũ ſuperat: hic Carpiones, Acipenſeres, lucii, & numero & magnitudine, ac ſapore inſignes: tantaque copia, ut ipſis porcorum greges alantur. Sal, qui in fodinis Maromaruſii comitatus eruitur per Tibiſcum per totam Hungariam, & reliquas provincias invehitur. Gens quæ inter Tibiſcum, & Danubium incolit, propria utitur lingua Iazygum Metanaſtarum reliquiæ: & etiamnum Iaz appellatur. Eſt etiam magnus Arrabo, qui è Stiriæ montibus ortus in Danubium ruit Sabario aucto, qui Sabariam alluit *Zombathel*: in quo Septimius Severus Imperator dictus eſt, & Valentinianus hybernavit. hic anno 1508. repertus eſt Ovidii Naſonis ſepulchrum teſtudine, & Epitaphio adornatum. Carpathus mons à Viſtulæ fontibus ortus, recta in Meridiem tendit, inque Danubium prominet, ubi Germaniam terminat: converſus vero in Ortum per Dacos, Scythicaſque gentes tranſit verſus Pontum. fodinas habet ſalis, æris, argenti, & auri. circa Comitatum Liptonienſem, ubi Vagi fons altiſſimus eſt, nivaſque mons dicitur.

Hungariæ urbes præcipuę in Inferiore Cutta, & Sicambria dicta, quæ nunc Buda, ab Attilæ fratre cognominata. Urbem Solimanus occupavit,

anno 1526. ac anno 1687. recepit ſummo Chriſtiani orbis plauſu Lotharingiæ Dux Carolus. in colle ſita eſt, cum regia arce ad Ortum: in adverſa Danubii ripa Pæſtum eſt. Strigonium *Gran* Archiepiſcopatus, ab Grano amne, qui ex eius adverſo juxta Barcam oppidum in Danubium influit, & Noviſolium *Neucaſel*, validam arcem alluit. in Superiore Hũgaria Poſonium, ſive Piſonium à Piſone, cuius opera Tiberius Pannones ſubegit. *Presbourg*. Flexum Ptolemæi putant, quod ibi flectatur Danubius, & multas inſulas facit quarum præcipua *Scuta*: in cuius anguſto Matthias I. Comaram Caſtrum egregie munivit anno 1474. deinde Ferdinãdus trigonam munitionem addidit. Alba regalis, Arrabo, *Rab Giavarino* munitiſſimum oppidum, Veſprinum, Quinque Eccleſiæ *Funfkirchen*, Coloſſa, Archiepiſcopatus *Colotza*, Sigethum valida munitio, & Murſa *Eſſech* ad Davum cum ponte celeberrimo à Turcis extructo. In Superiore Caſſovia metropolis & culta, ſedes rebelliũ, à Cęſarianis recepta anno 1685. Zatracia ſatis munita, & Tocaia, cuius vina generoſiſſima. non longe Tarſa amnis: in cuius fonte aqua ferri ſoleã intra horas 24. cõſumit. Sũt alii fontes, quorum unius aqua lapideſcit inſtar pumicis, alterius hyeme fluit, æſtate congelaſcit. Tertius lethalis eſt animantibus ob aconiti copiam. Eſt & alius, qui creſcente Luna augetur, deficiente minuitur: in interlunio omnino perit. Vinudria nunc Agria, cum Erla arce. Varadinum ampliſſima civitas, cum arce munita, in qua conditus Ladislaus rex, cuius frater Georgius loci Epiſcopus fuit. Ganadium, *Conod*, *Temeſuar*, *Eperies*, *Nitria*, *Filech* ubi fodinæ, Vaccia, Segedinum, & *Zolnoch*. Hungariæ pars inter Savum, & Dravum *Schiauonia* à Sclavis populis dicta, metropolis Poſſega, extrema verò

pars

pars ad Danubium circa Sirmium, uſque Semendriam Raſcia dicta eſt. metropolis Alba Græca, ſive Taurunum *Belgrado*: oſtio Savi imminet: cuius ſitus, agri ubertas, & aſpectus gratiſſimus eſt. eam fruſtra alias tentatam Solimanus occupavit anno 1520. recepit Bavariæ Dux anno 1688. at ſummo omnium dolore amiſſa ſuperiore anno. tantum diſcordia inter Chriſtianos principes poteſt. non longe à Savo eſt Sirmium, in quo Probus Cæſar natus: Claudius poſt profligatos Gothos fato conceſſit. Conſtantius Concilium habuit, Illyrici præfecti, poſt ea Exarchi ſedes.

CAPUT XIII.

De Tranſilvania, Valacchia, Moldavia, & Scythia Iſtriana.

EA Daciæ pars, quę mediterranea ad Carpathum vergit circa Mariſium amnem Tranſilvania eſt appellata. hic olim ſui reges, quorum ultimū Decebalum Traianus vicit. Metropolis Alba Iulia ad Mariſium, ubi hic Auretam *Armas* excipit. olim dicta Zarmis Decebali regia: quo victo, Traianus urbe, & theſauris ſub Sargerię amne reconditis potitus. dicta mox Colonia Ulpia, Traiana, Auguſta, Dacia. & à D. Iulia Aurelii pii matre Iulia. in qua ſedes Iſabellæ Hungariæ Reginæ. Trāſilvaniam habitant Ciculi, quos Siculos vocant, Hungari, Teutones, Saxones, qui regnante D. Stephano eam Hungariæ partem occuparunt. Degunt etiam Valachi exleges: ſinguli ſuo utuntur idiomate, & Hæreſi addicti ſuæ præter 30. mill: Catholicorum Græci ritus. Paruit olim regio Hungariæ regibus, qui præfectum mittebant dictum Sarmatica voce Valvodam. à C. verò annis

deſcivere Principis titulo uſurpato, factaque Turchorum vectigalis: at nunc iterum ab Auſtriacis recepta eſt, fuſis ingenti clade ad Dravum Turcis. Lotharingio Duce, fluvii præcipui Mariſius, & Alauta, qui fontem in Carpatho habet, & in Danubium ſupra Nicopolim influit. Solum uber, & pecoribus abundans, & auri, argentique dives. reliquæ urbes ſunt. Corona. *Cronſtat* arce, academia, & bibliotheca inſignis, & Græcorum negotiatione. tria habet tribus in vallibus ſuburbia, quorum unum Bulgari, alterum Hungari, tertium Saxones incolunt. Cibinium *Hermenſtat*, urbs populoſa, & ampla duplici muro, & foſſis munita. Claudiopolis *Clauſemburg* in plano ſita, & ſplendida urbs. *Megies* Gritti clade inſignis.

Ceterum Ciculia pars Daciæ ad Carpathum ſita, in reipublicæ formam conſtituta, quæ ſeptem pagis, ſeu regionibus conflatur: nulli ſubeſt: ſingulæ verum familiæ dant bovem Vaivodæ recens electo, vel vita functo, vel nova prole aucto, conventus gentis in oppido *Neumarck*. durum genus bello natum, intonſa barba. & promiſſo capillitio in prima acie dimicat: nobiles omnes, etſi gregibus præſint: Hebræorum more ſcribunt à dextra in ſiniſtram.

Valachia pars ripenſis Daciæ, ſita inter Tranſilvaniam, Moldaviam, & Iſtrum: regio immenſis ſylvis obſita, præruptiſque montibus aſpera: habet tamen fertiliſſimas valles, & paſcuis lętiſſimas: ut hinc armenta per Hungariam, & Poloniam mittantur, & rei pecuariæ uber annona Conſtantinopolim ſecundo Iſtro devehatur. gens originem trahit a XXX. hominum millibus, quos huc Traianus, Getis debellatis, miſit, ut terram colerent, & neceſſaria ſuppeterent legionibus, quæ contra Sarmatas, & Scythas hic ſtationem habebant,

bant. Suo paret nunc Principi, quem Vaivodam dicunt, & Bogdans, Latinè Dei donum, atque ob id Valachiã Turcæ Bogdoniã vocant. pendet hic quotannis Othomãnis 120. mille florenos. Incolæ Paſtores fere omnes, ac ruſtici, at bellicoſi, dubiæ fidei, & ad res novas propenſi: vino ſupra morem indulgent: mulieres in menſis primæ aſſident. Urbes præcipuæ Dombroviza ad amnem cognominis, Tergoviska caput gentis, & Vaivodæ ſedes, Braskovia epiſcopatu inſignis, ad amnem eiuſdem nominis, ſita ad montes: & Bralovium *Braillocuc* ad Danubium.

Moldavia inter Tranſilvaniam, Valachiam, Tiram amnem *Nieſter*, quo à Podolia dirimitur, Danubium & Scythiam Iſtrianam ſita jacet, olim Dacia Alpeſtris. Dicitur Moldavia ab amne Multavo *Moldava*. olim etiam Valachia ciſalpina ab inciſione Hæmi montis: qui Iſtro interruptus iterum hic aſſurgit, inque Carpathum tendit. Solum eſt uber, niſi quod Frumentum nigrius gignat. gens Græci ritus, & omnes Boëri, nimirum nobiles bello addicti, vel Agricolæ, qui rura colant, aut opifices, qui metallis eruendis vacant. Equos habet generoſiſſimos, ut & Vallachia. Nulli hic Cauſidici: lites omnes, vel amici dirimunt, vel ipſe Vaivoda. felices nimium niſi inter Turcas, & Polonos poſiti eſſent à quibus miſere divexantur. utraque hæc provincia modo Hungaris, modo Polonis ſtipendiaria fuit: manſitque hæc uſque ad annum 1611. quo Othomannus Conſtantinum exauthorauit: & Stephanum regẽ dixit. hic ſtatim bello à Polonis petitus, dum ſibi fuga conſulit urbem *Yas* incendit. nunc Turcis pendet 58. mille aureos in ſingulos annos. Vaivodæ liberi ſuccedunt etiam nothi, ſed gentis ſuffragio electum in poſſeſſionem Turcus mittit iuramen-

to preſtito (ut Valachus, & Tranſilvanus) traditione vexilli, gladii, & militaris clavæ. Urbis caput *Cinkau* Vaivodæ ſedes ad *S*ternum amnem. ad Danubium *Romani-Vvaſar, Bralla, Gallatz*, intus *Romani-Vvivar*. Heraſus *Pruth* provinciam rigat.

Quæ ſupereſt Tiram inter, & Iſtri Oſtia ad Euxinum *S*cythia Iſtriana, nunc Beſſarabia, & *Budziack*. Tartari eam incolunt præcopenſes genere: & Turco parent. hic olim Getarum ſolitudo: qui cum Dacis contra Romanos ducenta olim millia duſtarunt. Darius in hos movens ſiti cum toto exercitu periclitatus eſt. regio campeſtris eſt & aqua carens: ſunt tamen duo lacus ampli, & piſcoſi arces in ora maritima à Turcis munitæ ab anno 1485. ſunt kilia, olim Licoſtomum, ad oſtiũ Boreum Danubii: *Tekhin* ad Tiram in medio *Mõcaſtro*. olim Henonaſſa ad lacum Vidonum ab Ovidio hic exule, ut ferunt, appellatum, ubi ſedes Præfecti. & ad oſtium Nieſter *Bielograd*.

CAPUT XIV.

De Boſna, Servia, & Bulgaria.

Boſna antiquæ Pannoniæ pars inter Croatiam, Illyricos montes, & Savum amnem jacet, *S*erviæ contermina, cuius olim Principes Duces *S*. *S*abæ fuerunt etiam appellati, Deſpotæ, & reges Illyrici, ultimus *S*tephanus Boſnæ, Raſciæ, & Serviæ deſpota, qui patrem regno exuerat, a Maumethe II. corio, & regno exutus anno 1472. gentes Beſſi, Bulgariæ populi, qui circa hęc loca cõſedere ad amnem Boſnam, unde Boſnæ nomen. provinciæ caput Iaitza in edito colle ſita, arce inacceſſibili. inter amnes plenam, & Vaeſſam, ad quos etiam *Bagnaluca* Præfecti ſedes. præcipua

nunc

nunc urbs *Seraglio* ad Boſnam amnem regio mõtibus aſpera, rigua tamen vallibus, & fodinis dives. armentis etiam, & ovibus abundat: quæ hic occiſa nullius ſaporis ſunt: at ſi circa Atheſim in Italia paſcua guſtaverint optima: idcirco à Venetis innumera in Italiam educuntur. eſt etiam ad Savum *Gradiſca* Servitium olim, munita.

Servia, quæ olim Superior Mœſia, Daciæ pars inter Boſnam, Danubium, Bulgariam, & Hæmum montem poſita eſt, Cereris horreum appellata. populi olim celebres Dardani, & Triballi ad Hæmum, Mœſi ad Danubium. Triballi ſolo viſu faſcinaſſe, & occidiſſe quos iratis oculis aſpexiſsét, refert Plinius. Soli ubertas maxima ut Thraciæ univerſæ frumentum, carnes, ceræ vim multam, lanæ, coriorum, & caſeorum omnis generis ſuppeditet. Urbes præcipuæ *Vivar* ad Savum, quà excipit *Drivo* amnem ab Hæmo ortum, ad quem *Ocach*, ſerviæ Præfecti ſedes, & Priſcena D. Iuſtiniani patria. ad amnem Ibarem qui in Moravam influit *Novibazar*. ad Niſſavam amnem terræ limitem Neſſus *Niſſa*. ad Danubium Viminacium, *Viám*, & Semendria, olim Singidunum, vaſtata à Turcis anno 1439, ſedes olim deſpotarum Serviæ, quorum primus Lazarus Balco ab Hungariæ regibus hanc dignitatem obtinuit: cuius poſteri Lazari, & Bulqui appellati, uſque ad Chriſtinam, quæ Stephano Boſnæ nupſit. Zeverinum, iuxta quod veſtigia pontis à Traiano extructi viſuntur. pons ex marmore factus; pilæque ex quadro lapide, quarum altitudo 150. pedum, præter fundamenta, lat. 60 pedes continet, diſtantque ſeſe inter pedes 170; & fornicibus coniunctę: ingens ſanè architecturæ miraculum: nec facile captu, quo pacto in tanta gurgitum altitudine, in fluvio tam præcipiti, feroci, lato, vorticoſo, quique alio deri-

vari

vari non poteſt, potuerint artifices in limoſo fluvii ſolo tam ingentia molium fundamenta ſtabilire: Sed quid non præſtitit Romana potentia? Adrianus metu, ne Barbari Danubium traiicerent everti juſſit. Sequitur Mœſia inferior, quæ Bulgaria nunc dicitur: interque Danubium, & Hæmum montem ad Pontum uſque excurrit. nomen à Bulga amne Scytharum, ex quo in Mœſiam irrupere barbari, damnaque innumera Chriſtianis intulere. tandem Trebellio rege Theodoſiæ Imperatricis opera emolliti, ad Chriſti fidem venere anno 970: aſt anno 1396: quando ad Hungariam pertinebat, Turcæ occuparunt. incolæ fere omnes Chriſtiani, ſed adeo rudes, ut præter nomina, quæ ſibi Chriſtiano ritu imponunt, & ieiunia, quæ obſervant, nihil à Turcis differant. Urbs præcipua Sophia, ubi ſedes Beglierbegi Rumeliæ, poſita ad Iſcum amnem, qui in Danubium juxta Nicopolim influit civitas ampla, & dives, mercatuque nobilis: per ipſam tranſeunt quotquot ex Hungaria Venetiis, illyrico Conſtantinopolim tendunt. in planitie ſita ubi ſupra 360. pagi Chriſtianorum: urbs condita à Iuſtiniano, atque Archiepiſcopalis facta, crevitque ex ruinis antiquæ Sardicæ, ubi olim concilium celebratum: de ea in Itiner;

Ocyus ad Sophiam celebrem properavimus urbem:
Dimidium noſtra nempe erat illa via.

Nicopolis à Traiano condita poſt victum Decebalum. Axiopolis, *Siliſtria*, ad oram ponti Tomi *Tomiſuar*; eius olim Antiſtes Teotimus, cuius meminit D. Hieronymus in Catalogo virorum illuſtrium: in qua & Ovidius relegatus ab Auguſto. non longe olim Iſtropolis urbs clariſſima *Anopoli*, aliis eſt *Flotz*; aliis verò *Galatz* ultra Iſtrum. Varna, *Varne*, ad flumen cognominis; notiſſimum

Clade

clade Chriſtianorum ſub Uladiſlao rege Hungariæ anno MCDXLIV. urbs eſt Archiep: ad orã Euxini maris portu ſatis commoda.

CAPUT XV.

De Græcia antiqua.

EX Italia, traiecto Adriaci ſinu, in Græciam deſcenditur: è Mœſia verò, Hæmo ſuperato, in eandem pervenitur. Hæc autem illa eſt, cuius ſi veterem faciem aſpexeris, nihil unquam pulchrius, nihil ſuperbius habuit Orbis terrarum. Si præſentem vultum intuearis, nihil deformius, abiectius nihil eſt. Illa olim literarum omnium, & armorum paleſtra toto Orbe celeberrima, in qua omne eruditionis genus, ingenuæque artes ex Ægypto advectæ, mirificè floruere: atque in tantam magnitudinem excrevere, ut diffuſis, exũdanti veluti è fonte, rivulis, in reliquas Orbis partes pervenerint. Accepit primò Italia, ex qua cum Romano Imperio in reliquam Europam, & Africam delatæ ſunt. in Aſiam victrix ipſa Macedonum armis invexit: inque ipſam Ægyptum, ex qua deſumpſerat, reſtituit cultiores. Illa ſummorum virorum altrix, atque ingeniorum fuit: qui primi gentium ſapientes, ac Philoſophi appellati: primi Rhetores, ac Poëtę: quorum Homerus ſcriptorum omnium, ſi divinos excipias, primus fuit. Armorum tanta potentia, ut nulla, niſi Romana unquam maior extiterit. Populi cultiſſimi, ac florentiſſimi. urbes ampliſſimæ, atque elegantiſſimæ: regna, reſpublicæ antiquiſſima, ac potentiſſima. Tellus adeo ferax, & culta, ut ars cum Natura certare viſa ſit, utra maior videretur, Montes, fluvii, fontes, ſylvæ, qua Muſarum domi-

ci-

ciliis,quà Deorum delubris,qua locorum opportunitate,ac ſitu amœniſſima æquè, ac ſuperbiſſima. Hæc puberis Græciæ facies,erat:at nunc ſeneſcentis,informis: tellus inculta, & penè deſerta, urbes fere nullæ,regna,Reſpublicę,libertas,quam tantopere Græcia affectavit, nulla: artes, literæ Diſciplinæ ita interiere,ut ne veſtigium quidem relictum ſit, ut merito in Græciæ ſinu adoleviſſe barbariem doleamus. Verùm quicumque vetulæ noſtræ vultus ſit,illam deoſculemur, ac vetuſtam imaginem veneremur; ne ingrati animi arguamur:referamusque illi ſaltem miſeratione grates. De Græcia meminit Virgilius uno verſu, qui ad rem mire facit Æn: 1.

Dardanus, & verſis lugeret Græcia fatis.

Græciæ termini ſunt ad Septentrionem Æmus mons,ab Occaſu Drilo amnis, Adriaticum, & Ionium mare: à Meridie Creticum: ad Orientem Ægæum, & Strymon amnis,ſive Pangæus mons, quo à Thracia ſeparatur. Longitudo à Tænaro Peloponneſi promontorio,ad Æmum juxta Strymonis fontem eſt. mill: 490. latitudo inter Sunium Atticæ promontorium uſque ad ultimos Acroceraunios ad Adriaticum ſinum eſt mil: 390. Situs cœli eſt inter Parallelum 34. cum dimidio, & 43. inter Meridianum verò 44. & 51.

Græcia incolis *Hellas* dicta: ipſi vero *Hellines*. Gentium author Deucalion, qui in Theſſalia regnabat, cum circa annum ante Chriſtum 1709. tertium contigit diluvium. Huius duo filii Hellen, & Amphictyon: hic pulſo Cranao Athenis regnavit. Hellen autem à quo Græcia nomen ſortita, tres ex Orſeide liberos habuit Æolum, Dorum,& Xuthum patrem Iovis: ex his orti Æoles,Dores,& Iones. Attici ſe indigenas gloriabãtur. Linguæ duæ tantum dialecti fuerunt Dorica, & At-

& Attica, ex quarum corruptela ortæ Æolica, & Ionica. Cæterum Hellas, ſeù mera Græcia, initio appellata ea pars, quę inter Theſſaliam, Epirum, & Peloponneſum eſt. mox ipſa etiam Peloponneſus acceſſit: Deinde Theſſalia, & Epirus: mox Macedonia, & inſulæ Ægæi ad Græciam appoſitæ cum Creta, tandem Thracia. Verum non hic Græciæ finis ſtetit; nam Orientalis Italiæ pars cum *S*icilia Græcia nuncupata fuit. Græcia item Aſiatica Occidentalis minoris Aſiæ pars vocitata. Partes igitur Græciæ ſunt Hellas, Peloponneſus, quæ in unam provinciam coaluere, & à Romanis dicta Achaia, Theſſalia, Epirus, Macedonia, Creta, & Inſulæ Eubœa nimirum, & Cyclades.

In Græcia, in qua, ut ait Pauſanias, nullum ſine nomine ſaxum: omnia enim vel Hiſtoriis, vel fabulis inſignita, antiquiſſima Europæ regna fuere. Primum fundavit Ægyalus in Peloponneſo circa annum MM.CLXIV. ante natum Chriſtum. Ægyalia dicta, reges ſucceſſere numero XXVI. Secundus fertur Europs, ex quo, ut notat Furnetius, fortaſſe, Europa nomen obtinuit. Decimusnonus fuit Sicyon, à quo urbs regni caput non longe à ſinu Corinthiaco Sicyon, regio Sicyonia, & regnum Sicyoniorum appellatum. Stetit autem per M. annos uſque ad Zeuxippum, quo mortuo, cum per aliquot annos Sacerdotes rempublicam adminiſtraſſent, Agamemnon rex Argivorũ Mycenæorum regnum occupavit. *S*ecundum fuit Argivorum. cuius Author Inachus Phoronei pater. regia Argis in eodem Peloponneſo, inſtitutum anno ante Chriſtum MDCCCLVIII. Phoroneus primus homines per agros ſparſos oppidis, & legibus munivit. eodem tempore in Attica regnavit Eleuſine: Thebis verò Ogyges, cuius tempore ſecundum diluvium accidit, anno ante Chriſtum MDCCXCV.

MDCCXCV. poſt Noëmiticum DXXXII, ante Deucalioneum CCXLVIII. Perſeus XV. rex anno DXLVI. poſt fundatum ab Inacho regnum, ſedem in Mycenas à ſe ædificatas tranſtulit, ubi Perſei poſteri per annos CCIX. regnarunt.

Tertium poſitum eſt Athenis circa annum ante Chriſtũ 1558. author Cecrops vir Ægyptius, cui ſucceſſere reges num: XVII. ultimus Codrus Patriæ amantiſſimus, qui ex oraculi ſorte ob civium ſalutem occubuit anno poſiti imperii 487. Secuti mox Archontes, ſeu Prætores perpetui num; XIII. qui annos tenuerunt 316 Deinde 7. Decennales: Demum annui. Fuere prætetea in Peloponneſo duo alia regna Corinthiacũ, & Lacedæmoniũ ab Ariſtomachi filiis, qui Heraclidæ dicti, quod ab Hercule eſſent oriundi. Hi cum in Achæos, & Iones moverent ædificata ad Naupactum claſſe, juſſi ſunt ab Oraculo Ducem adhibere Trioculum: cumque in quondam luſcum incideſſent mulo inſidentem, cui Oxilo nomen, eo Duce Achæos Pelopidas ex Agamemnonis poſteris Argis, & Lacedæmone pepulerunt anno ante Chriſtum 1014. Temeni Heraclidæ Argos obvenit, Creſphonti Meſſenia, Ariſtomedi liberis Laconia. verum duos poſt annos Corinthiacum, & Lacedæmonium regnum poſuerunt. Primum ſtetit uſque ad Periandi obitum per annos 518. partim ſub regibus, partim ſub Prytanibus. Lacedæmonium deſiit in Ageſipolide, & Licurgo circa annum primum Olympiadis 140. anno nimirum ante Chriſtum 215. cum permanſiſſet annis 889.

Fuit item celeberrima Achæorum Reſpublica, quæ in eadem Peloponneſo ortum habuit anno ante Chriſtum 281. regique cœpta uno Scriba, & duobus Prætoribus. mox multis in unum Reipublicæ corpus, quà collectis, quà vi coactis urbibus

bus totius Græciæ potentiſſima facta eſt. Cum verò, ademptis mœnibus, ſibi uniri Lacedæmonios vellent, Romani horum querelis permoti, Legatos miſerunt, qui Lacedæmonem, Corinthum, Argos, Heracleas, & Orchomenias Arcadas à totius Reipublicæ corpore divelli juberent: cum vero renuiſſent, bellum denunciatum anno urbis conditæ 607. Et primum Prætore Metello duobus præliis ad Termopylas, & in Phocide ſuperati ſunt. Mox à Mummio Conſule in deditionem Achaia univerſa accepta eſt. Corinthus Imperii caput incenſa anno urbis 608. ante Chriſtum 145. ſublatoque Græciæ concilio, tributoque impoſito, decretum, ut quotannis Roma mitteretur prætor iuris dicundi cauſſa. ex quo univerſa Græcia Achaia dici cœpit.

Celebre inſuper fuit Epiri regnum fundatum à Neoptolemo Achillis filio, poſt Troiam captam pluresque reges habuit inter quos enituit Pyrrhus Alexandro tum audacia, cum ſtrenuitate ſimillimus, qui Siciliam, Italiam, Macedoniam, Peloponneſum victoriis peragravit: Argis pugnans à Muliere occiſus, quæ tegulam in eius caput proiecit anno ante Chriſtum 271. Huius de Macedonia devicta extitit in Templo Dodonæo anathema:

Quæ dites Aſiæ potuere evertere terras,
Et tibi mancipii, Græcia, ferre iugum,
Nunc Iovis in templo pendent affixa columnis
Tetrica devictæ Scuta Macedoniæ.

At omnium celeberrimum Macedonum extitit, cuius author Caranus Heraclida Argivus frater Phidonis, hic valida manu ex Peloponneſo collecta in Macedoniam irrupit, ſubactaque regnum auſpicatus eſt. Secuti reges XL. ſtetitque Imperium annis 647. Alexander Philippi filius

Aſiam,

Aſiam, Syriam, Ægyptum, Iberiam, Albaniam, Taurum, Caucaſum, Scythas, Armeniam, Bactrianam, Mediam, Perſiam, Indiam, regioneſque quāplurimas fulguris inſtar peragravit. ultimus regum fuit Perſeus, qui anno urbis conditæ 580. captus à Paulo Æmilio, totaque Macedonia ad Romanos tranſiit, ad quos iam Græcia, & Epirus acceſſerant. Cepit autem creſcere Macedonum res Phylippo Amyntæ filio Alexandri genitore, ruere vero Philippo ultimo huius nominis Perſei patre; ut Sybillino oraculo prædictum fuerat.

Gens Macedo, Argeadum ſceptro qua ſtulta ſuperbis,
Et lucrum, & damnum veniet tibi rege Philippo.
Ille prior, reges populis, atque urbibus amplis
Præficiet: priſcum extremus delebit honorem,
Heſperio ſimul, atque Eoo à milite victus.

CAPUT XVI.

De Macedonia veteri & nova, deque Albania.

Romani univerſam Græciam in duas provincias diviſere Macedoniam, & Achaiam. Prima ipſam Macedoniam, Epirum, & Theſſaliam complectebatur. Secunda Græciam proprie dictam Peloponneſum, & adiacentes inſulas. Macedonia habet ab Occidente Adriaticum, & Scordicos montes, quibus ab Illyrico ſeparatur, ad Septentrionem Æmum, ab Oriente Ægæum, & Thraciā: à Meridie Epirum mediis Acroceraunis, & Theſſaliam, à qua Pindi jugis diſcluditur. dictam Macedoniā à Deucalionis nepote Macedone Solino placet: aliis verò à Mygdonia regione appellatam cenſent. antea ab Æmathio rege una ipſius regio, mox tota Macedonia Æmathia vocata fuit. Tellus ampliſſima, & 150. olim populis clara, ut ait Pli-

Plinius. Horum, qui notiores fuere Taulantii ad Adriaticum ſinum, quorum oppida Epidamnus, quod nomen cum mali ominis viſum fuiſſet Dyrrhachium dixerunt. quam urbem exilii tempore amicam expertus Cicero. *Durazzo* vulgo appellatur: Archiep: ubi dominati ſunt Carlovitzii ex Francorum genere Dyrrachini Principes. Apollonia, *Piergo*, ad quam miſſus Octavius Cæſar, ut Græcas literas addiſceret. Aulon *Valona* ſinus multarum navium capax Hebræis habitata: lana, & vitibus clara: hinc Matt lib. 13.

Nobilis, & lanis, & felix vitibus Aulon.

Elymiotæ, quorum urbes Elyma *Canina*, & Bulliſ: horum regio dicta eſt Pelaſgonia. Oreſtis regio Epiro proxima, cuius oppidum Grytone. Daſſaretæ, quorum oppida Lycnidos ad lacum eiuſdem nominis quæ poſtea appellata Iuſtiniana prima nunc *Ocrida*, Turcis verò *Giuſtandil* Archiep: & Evia. Æmathia: oppida Pella, *Zuchrin*, aliis *Ianiza* Philippi, & Alexandri natalibus clariſſima, ubi quotidie marmora, & regiarum ædium fundamenta effodiuntur: Ægæa, ubi Regum olim ſepulchra vulgò *Vodina* non longe in Axum Chidorus influit, qui ab exercitu Xerſis potante defeciſſe legitur. Idomena, Scydra, Eutonus, Tyriſſa. Sequitur Pieria regio Muſarum parens, cuius urbes ſunt Dion, ad Sinum Thermaicum *Stadia*, olim ſtatuarum multitudine celebris. non longe Pimpla mons, ad cuius radices fons Muſis ſacer, ad quem Thraces mulieres Orpheum laceraſſe dicitur. XX. autem hinc ſtadio ad Pierium montem collecta membra à Muſis repoſita in urna ſuper columnam. Phylace, Pynda, ubi Olympias Alexandri mater venit in manus Caſsādri: in campos urbi proximos Perſeus ingenti pugna à Paulo Æmilio ſuperatus, non longe Methone in cuius

obſi-

obſidione Philippus altero oculo mulctatus, ſagitta ictus ab Aſtere oppidano emiſſa cum nominibus inſcriptis Aſteris, & Philippi. Mygdanes, regioque Mygdonia: oppida Antigonia, *Coiogna* Phyſcæ, Carrhabia, Lætæ Terpilus. Paraxis regio: oppida, Antigone, Pellene, Caſſandria a Caſſandra Priami filia dicta, olim Epiſc: Torone à qua Toronianus ſinus, Chaldica regio, ubi Augæa, Singus, à qua Singiticus ſinus *Golfo della Conteſſa*. Acanthus quondam opibus, & Authoritate pollens *Eriſſo*. Supra eſt Amphaxitis regio: urbes Stagira Ariſtotelis cunis celeberrima *Libanova*: Theſſalonica *Salonichi*, olim Thermę, quæ ornatu, & magnitudine aucta Theſſalonice in gratiam uxoris Caſſandri dicta eſt: vel ut aliis placet; quia ad eum locum Philippus Theſſalos vicit. Hoc ævo tota Græcia nobiliſſima, ampla, Archiep: & Emporio dives. illã Andronicus Palęologus Venetis vendidit, quibus erepta ab Amurathe II. Ad Occaſum ſunt Biſaltæ, quorum oppida Oſſa, Euporia, Calliteræ. Edonii, quorum Berga, Scotuſa, Amphipolis, Athenienſium colonia, ſic dicta, quod illam Strymon ambiat, olim populi frequentia, & opibus chariſſima, ad mare fuit Eione eius navale. nunc Turcis *Emboli*, Græcis vero *Criſtopoli*. Philippi, quã urbem Philippus Amyntæ filius ſuo nomine appellavit, & munivit, tũ quia ad gerendum in Thraces bellum aptiſſima, proximaque faucibus Pangæi montis, quibus iter in Thraciam, tum quia ibi auri, & argenti fodinæ erant, ex quibus quotannis M. talenta conficiebantur. Ariſtoteles ait huius auri ramenta deiecta creſcere, atque aurum manifeſto gigni. Extant adhuc rudera ingentis muri, quo Macedonia, à Thracia dividebatur. Urbs *Filippo* Archiep. non longe campi Philippi, ubi primum inter Cæſarem, & Pompeium pugna-

tum.

tum.mox inter Octavium, & Brutum. atque hinc Poëta:

Romanas acies iterum videre Philippi.

ad mare eſt Oeſyme, quæ nunc *Cavalla* dicitur. Ad Septentrionem Orbeli ad Orbelum montem, qui Æmi pars, oppidum Guariſcus. Siatici, oppida Heraclea, *Cheſia*, Paræcopolis, Triſtolus: ad Æmum etiam Pelagones, quorum Stobi *Starachino*. Epiſcop: populi Stonenſes. Lynciſtæ, quorum Heraclea, *Xevoſna* Pæonia regio, ubi lorum *Novigrad*. & Alorus, Plinio Olorus *Dianòro*. Almopi, oppida Europas ad Axium. Albanopolis Drivoli amni impoſita à Turcis exciſa: ex cuius ruinis crevit Croia olim Antigonia Regia Alexandri Caſtrioti vulgò Scandabergi. qui toties Othomannos irriſit, multiſque cladibus affecit. Sequuntur Æſtræi, quorum Æſtræum. & tandem Eordei: oppida Daulio *Fladaſagni*, Dibolia Scampis *Vlagrada*, aliis adhuc *Scampi*.

Macedonia, inclinante Imperio, primum in duas partes ſecta, quarum Orientalis Macedoniæ nomen retinuit, Occidentalis Albania appellata: quam dura gens Scythicæ originis occupavit. Lingua ex Græca, Slavica, & Turcica mixta. homines ſtatura proceri, animis magni. Equites tota Europa celebres, quos Turcæ Arnottos vocant. Sunt hic etiam glauca oculorum acie viri, à pueritia ſtatim cani, & qui noctu pluſquam interdiu vident. In hanc provinciam Turcæ irrupere circa annum 1440. cum Comneni Dyrrachium, Aulonem, reliquaque circum oppida, Caſtrioti verò Croiam, Albanopolim, & reliqua ad Septentrionem tenebant. Præfectus Turcicus Aulone reſidebat.

Macedonia in tres partes inſuper diviſa, Thraciæ proxima *Iamboli*, Præfectus Oeſymæ ius dicit,

cit,quæ ad Theſſaliam vergit *Camenolitari*. Media Macedonia caput Theſſalonica Præfecti ſedes.

CAPUT XVII.

De Epiro, & Theſſalia veteri, & nova.

EPirus iuxtà Ionium mare eſt inter Albaniam Macedoniæ partem,à qua Acrocerauniis dividitur.& Græciam proprie dictam, à qua Acheloo diſiungitur: ad Ortum habet Pindum, & Theſſaliam: ab Occidente prædicto Ionio alluitur. Epirus terram ſolidam ſonat.olim Moloſſia appellata:mox Chaonia à Chaone Heleni fratre.olim urbibus, ac populis frequens. Paulus Æmilius ob crebras gentis defectiones 70. urbes evertit: ex quibus CL. millia mancipiorum collegit.Olim in maritimis habitarunt Chaones,quorum Oricum portus à Colchis conditum, *Orco*, cuius terebinthus laudatiſſima:hinc Poëta.

Incluſum buxo,aut Oricia terebintho.

Panormus item,& Onchiſmus *S.Quarante* portu inſignes:Antigonia,& Elæus *Donca*.Sequuntur Theſprotii:oppida Buthrotum *Butrintò* portu, & munitione nobilis, ubi Medea Oetæ regis filia à Iaſone ſepulta eſt. Heleni regia, ut ait Ovid. Met.13.

Regnataque Vati
Buthrotos Phrygio,ſimulataque Troia tenetur.

fuit & Pyrrhi regia.Supra fuit Caſſiope regio; oppidum Caſſiope *Ioannina*: infra verò Almene regio,ubi Torone,*Parga*,quæ à Venetis tenetur.fuit etiam ad Cocytum amnem Cichyrus, ubi Theſeus,& Pyrithous in vincula coniecti à Theſprotiorum rege, cuius uxorem Proſerpinam rapere tentaverant. Pandoſia item ad Acherontem. Ni-

copo-

copolis *Prèveſa* ab Auguſto condita ob victoriam de Antonio,& Cleopatra.hic Paulus hiemavit,& epiſtolam ad Titum ſcripſit ad Ambroſium ſinum ſedet. hoc autem nihil in Epiro mirabilius: fauces non maiores VI. ſtadiis,ambitus eſt 300.olim inſignes in eo portus, nunc oblimes, urbeſque ſenſim à litore recedunt. in angulo ad Arachthi ripam Ambracia *Larta*; & ſinus *Golfo di Larta*, Pyrrhi olim regia. in Mediterraneis Amphilochii, ubi Argos Amphilochium ab Alchmæone conditum. Dolopes, Moloſſi, quorum Dodona à fluvio, & fonte dicta iuxtà fuit ſylva, & Iovis templum, ubi quercus fatidica: erat & Iovis fons,quo extinctæ faces accendebantur, accenſæ verò extinguebantur. *Dodonæum æs*,proverbium de homine nimiæ loquacitatis, ſuptum à pelvi ærea Dodonæ in columna ſublimi, quam flagellum in manu pueri in altera columna proxima vento agitatum ſæpe percutiebat, fiebatque tinnitus importunus. Caſſiopæi, ubi *Delvino* ſedes Turcici præfecti.Dryopes,Perrhæbi, Athamanes, aliique. Ad Meridiem in altera Ambraciæ ora uſque ad Acheloum fuit Acarnania regio,& Acarnanes, *il deſpotato d'Acarnania* quorum Actium *Capo figalo*,ubi templum Apollinis Actii,nimirum litoralis. hic Auguſtus Antonium vicit & Actiacus dictus. Ovid.Faſt. 1.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades.

Leucas *S. Maura*,olim in Peninſula antequam incolarum opera iſthmus abſcinderetur.à Venetis una cum Nicopoli capta anno 1685.Ad Leucadem petra fuit candida, ex qua peninſulæ nomen:ab hac præcipites ſe dabant mulieres in amore parum felices.Inclinante Imperio,in Epiro regnarunt per annos CC. Tocchi, qui ſe à Totila

ortos dicebant , quorum ultimus Leonardus à Turcis ſuperatus eſt .

Epirus Montana , & nemoroſa; ora fertilis, & culta,& portibus commoda: alit Equas egregias, quę Epiroticæ dictæ:boves item,& magnos canes: olim diviſa in Barbaram , & Græcam , nunc cum ipſa Græcia barbarie obſita : in duas provincias à Turcis dividitur: ſuntque *Chimera, & Larta.*

Theſſalia uber planities tria ſtadiorum millia complectens, quam in amphitheatri formam 34. montes cingunt: horum celebriores Pindus, Pierius,Olympus, Oſſa,quibus ita ab Epiro ab Occidẽte,à Macedonia à Septentrione,à Græcia à Meridie (ab Ortu Ægæo alluitur) vallatur,ut expediti vix callem inveniant.Maris ora editior ,quã reliqui campi . In ea olim LXXV. urbes numeratæ. Populi hi notiſſimi, Theſſali propriè dicti, Eſtiotæ,Pelaſgi, Magneſii, Phthiotæ. In Theſſalia proprie dicta oppida Hypata ad radices Oetæ,Soſthenes *Stiamizapo*, & Cypera. In Eſtiotide Gomphi, nomen adhuc retinens,Pheſtus *Oiſta* Tricca,*Tricala* Epiſcop:cuius olim præſul Heliodorus , qui ſcripſit Æthiopica , quæ cum in ignem proicere nollet gradu deiectus à Concilio. Ætinium, Pharſalus,& Campi Pharſalici. In Pelaſgia Pythæum, Atrax,*Voidanar*,cuius meminit Propertius.

Et dicam,Atraicis licet hæc confidat in oris.

In Magneſia Iolcus,*Iaco*,Melibæa iuxta Bœbeidem lacum patria Philoctetæ,purpura nobilis : quare Poëta. Æne:V.

Purpura Meandro duplici Melibœa cucurrit.

In Phthiotide Phthia Achillis patria:cuius idem meminit lib.1.

Cum domus Aſcaraci Phthiam, clareſque Mycenas
Servitio premet,& victis dominabitur Argis.

huius vites celebatæ apud eundem fuere. Thebæ

Theſ-

Theſſalicæ *Ziton*, olim Epiſcop: nunc Archiep. apud has Amphiaraus vates pugnãs, ſubito terræ hiatu cum curru abſorptus eſt. hinc Prop. lib, 2.

Non non Amphiaraea tibi fata quadrigæ.

Echinus, Lariſſa, penſilis dicta ad Maliacum ſinum *Lariza*. fuit altera in Pelaſgiote ad Peneum amnem *Larſa*, ubi dum Creta oppognaretur, Turcarum Imperator æſtatem egit: Demetrias Magneſiæ caput, & olim Macedonum regia, à Demetrio Poliorceta condita. hic circa Pelium primi habitarunt, qui equos domare cœperunt, qui à vicinis equis inſidentes viſi Centauri appellati. Pagaſæ, *Armirò*. Fuit etiam ad Macedoniam, & Epirum Pelaſgia Tripolitis à tribus urbibus dicta, cuius meminit Livius. Cæterum Theſſalia uberrima, fluviis rigua, & pratis læta: gens olim equeſtri bello aptiſſima; hinc apud Macedonas Theſſalus Equitatus in honore habitus. à Turcis *Ianna* nunc dicitur ab urbe *Ianna*, quæ ad lacum ſedet ad Epiri montes, ubi Præfectus ius dicit.

CAPUT XVIII.

De Ellade, ſive vera Græcia.

Elladis fines ſunt à Septentrionibus Pindus, & Oeta: ab Occaſu Achelous, & Ionium, à Meridie ſinus Corinthiacus, Iſthmus, Saronicus ſinus, Myrthoum mare; ab Oriente Euripus. illius longitudo ab Acheloi oſtiis ad Sunium Atticæ promontorium, *Capo delle Colonne* eſt CC. fermè milliariorum. In ea olim hæ regiones, ac populi, Ætolia, Doris, Locris Ozolæa, Phocis, Megaris, Locris Epicnemidia, Bœotia, Attis, ſive Attica.

Primi, qui ſeſe offerunt, tranſmiſſo Acheloo, ſunt Ætoli Martis filii, quos numquam Macedo-

nes: Romani ſub Fulvio Nobiliore domuerunt. illorum caput Naupactus *Lepanto* ſic dicta à navibus,quas ibi Heraclidæ fabricarunt, Ætolorum concilio celebris. reliquæ urbes Calydon, quam Evenius *Ladiſari* alluit,Oeni Meliagri patris regia,qui in proxima ſylva Calydonia ingentem aprum occidit: *Ayton* nunc dicitur Epiſc: ſub Archiep: Naupactæo:fere in ruinis jacet;quare belle cadit Ovid:illud:

Alta iacet Calydon, lugent juveneſque, ſeneſque.

Molycria, Aliartus *Neocaſtro* Antirrhium promontorium, cui contrà Rhium in Peloponneſo reſpondet *Trapana.* & *Criſa*:vocantur etiam à barbaris *li Dardanelli di Lepanto*. M. paſſus diſtant. hinc ſinus incipit, qui longo ambitu 280. millia paſſuum Græciam, & Peloponneſum alluit. Corinthiacus, & Criſſæus dictus *Golfo di Lepanto.* Alcyonium mare à quibuſdam appellatus,tantæ profunditatis,ut alicubi fundum deprehendi non potuerit.Ætolia,cum Acarnaria *Deſpotato* appellatæ, & deſpotis paruit,mox magna pars Venetis, quibus eiectis, Turcæ potiti ſunt: Cæterum Æoli improbri,ac petaces,quare Æoli dicti *apò etin olon*.illorum meminit Virg.

Spem ſi quam accitis, Ætolum habuiſtis in armis.

Statim poſt Naupactum (quam nonnulli Locrorum faciunt) Locri Ozolæ ſunt. Oreſthi canis fuit, quæ lignum pro catulo enixa, quod in terram defoſſum vitem geminavit, ex cuius ozis, ſeu ramulis Locri Ozolæ dicti. horum Chalceoſa, & Poſidea.Sequitur Phocis, cuius oppida maritima Cirrha, *Aſpropiti*,ubi Apollinis templum, qui Cyrrhæus dictus.hinc Claud:

Cirrhaique Dei quamvis deſpexerit arces.

Anticyrrha *Suola*. In mediterraneis Delphi, *Salona* totius Phocidis primaria ad Parnaſſum poſita,

ſita, cuius ager frumenti ferax. Hic templum Apollinis Delphici oraculo celeberrimũ. Aſylum tota Græcia Sacroſanctum, quod tamen Galli Brenno Duce ſpoliarunt, & primi Perſæ, tandem Nero D ſtatuas abſtulit. At Crœſus Lydorum rex hic Clypeum aureum Minervæ Pronoeæ dedicavit, & M. lateres ex ſolido auro miſit, ex quibus aurea ara Apollini extructa: Græci è Platæenſium manubis aureum tripodem æreo Draconi inſiſtentem ſacrarunt. oraculum autem erat cava ſpecus, aditu non admodum lato, ex quo eſſerebatur ſpiritus furoris divini, quo ex Tripode Pythia decantabat. hinc orta Delphica Sybilla.

In templi veſtibulo humanæ vitæ monita inſcripta erant: nimirum, Noſce te ipſum: Ne quid nimis: aliaque paſſim decantata. erat etiam Homeri ſtatua æreæ columnæ inſiſtens, & ipſi datum oraculum:

Felix, atque miſer, nam ſors te ad utrumque creavit,
Tu patriam quæris tibi matria, patria non eſt;
Inſula Ios matris patria eſt, quæ lumine caſſum
Excipiet: ſed tu puerorum ænigma caveto.

Circa Parnaſſum populi Pyeres, unde Pyerides Muſæ. fuerunt etiam fontes Caſtalius, Hippocrene, & Aganippe. fuit etiam ad mare Creuſa, *Livadia*, unde Barbari totam Elladem *Livadia* vocant. fuere præterea in Phocide nemus, & Neptuni templum, lucus Milichiarum Dearum, ubi Dianæ Dyctimneæ fanum, & Herois ductoris ædis. ſupra verò Tronis regiuncula.

Supra Phocidem ad Pindum Doris erat: cuius oppida Boium, & Cytinium. Ad Iſthmum verò Megaris, cuius Megara, *Megra*, & *Megàra*, cuius Niſæa navale, & portus. In foro Megarenſi diu ſtetit oleaſter, cui viri fortes ſua arma appendebant, quæ, cortice ambiente, ætas occultaverat,

quæ fatalis urbi fuit;nam exciſa,ut præmonitum ab oraculo, repertiſque armis, urbis excidium ſecutum. hìc ortus Euclides Geometra, de quo, (quod de nullo mortalium) dixit Proclus: *numquam deceptus eſt*. Eſt etiam Eleuſis,*Lepſina*, myſtico Cereris delubro celebris. Regio montana,& aſpera,ubi Onei montes,ſcilicet Aſinini. ad mare Scironides petræ,& Cerata,ſeu cornua, quæ illam ab Attica dirimunt. Ad Septentrionem Megaridis eſt Bœotia in Superiorē, & Inferiorē diviſa. Barbaris dicitur *Stramulìpa*: Superioris urbes Orchomenos, ubi Charitibus templum: tanta olim potentia floruit ut illi Tebani tributa penderent: feracem Ovid: vocat

Orchomenoſque ferax, & nobilis ære Corinthus.

proxima erat Petrachus regiuncula. urbs item Chæronea ad Cephiſſum Plutarchi patria, ubi Græci primùm ingenti clade à Philippo profligati,mox Mitridates à Sylla ſuperatus:rudera vix extant. Coronea ſupra Cephiſſum, ubi talpæ non vivunt,cum in tota Bœotia frequentes ſint. prope erat lacus Cereris:altera item ad Heliconem,& ſupra Ampliclea Ophitea. Leuſtra, ubi Spartanos magna clade Thebani,Epominonda Duce, profligarunt.Platææ Epiſcop. apud quas in loco Eleutheriæ dicto,ubi Græci Iovi Eleutherio nimirum liberatori templum poſuere ob Perſas ſuperatos, Lacedæmonii fortiſſimo Pauſania Duce, parviſque copiis, 300. millia peditum 20. millia equitum Perſanum ſub Mardonio ceciderũt.Lebadea,*Badìa*,ubi Agamedis,& Trophonii ſpecus. ex quo oracula reddebantur: ad Occaſum Hyampolis de utraque meminit Statius:

Et valles Lebàdea tuas,& Hyampolin acri
Subnixam ſcopulo

In Bœotia Aracynthus mons, iuxta Actæonis

fons

ſons, & dirce, vallis Gargaphia: Illius meminit Virg:

Amphion Dircæus in Actæo Aracyntho.

Ultra Superiorem Bœotiam ad Maliacum ſinum, *Golfo d'Armirò*, fuere ad Occaſum Opuntii, quorum Opus urbs Epiſcop: ad Orientem verò Locri Epicnemidii: quorum Cnemides. Sequitur Inferior Bœotia, cuius & totius Bœotiæ princeps Thebæ cognomento Bœotiæ: dictæ etiam Ogygiæ ab Ogygie rege: & Heptapylon, quod ſeptem portas haberent, à Cadmo conditæ, ubi & Arx Cadmæa: muros Amphion lyra inſignis ædificavit. in hac urbe nati Hercules, Liber, Pindarus, Pelopidas, Epaminondas: barbaris nunc *Stives* dicitur olim Archiep: Micaleſſus *Malocaſa* in monte ſita. Aulis ad Euripum contra Chalcidem inſigni portu, ubi Græci cum Agamemnone in Troiæ excidium coniurarunt. vix extat: in colle non longe à litore Turcæ contra Venetos arcem tribus ab hinc annis excitarunt dictam *Carababa*.

Supereſt tandem ad Meridiem Attica regio totius Græciæ, quà literarum, quà armorum gloria nobiliſſima: olim Acte, Ogygia, & Cecropia appellata, tellus amœna, & ferax, melleque ſuaviſſima: hic Ovid.

Melle, quod in ceris Attica ponit avis.

Fuere Attici omnium facundiſſimi, atque elegantiſſimi ſermonis; unde proverbium *Attica Muſa*: & *Lepos Atticus*: incorruptæ item fidei: atque hinc *Atticus teſtis* & *Fides Attica*: at violenti, & avariſſimi; unde etiam extat adagium, *Advena Atticus*: & *Atticus etiam moriens porrigit manus*. Ad Eleuſin adeo ſecretè Sacra Cereri faciebant, ut de ſecretis diceretur, *Eleuſina Sacra*. Atticæ princeps urbs, & unus ex geminis Græciæ oculis, Athenæ, quas Cecrops ad amniculos Cephiſum, &

Iliſſum fundavit,à Minerva, quæ ſumma religione ibi colebatur dictæ.templum erat in ſaxo Aſtu undique muris cincto.Deæ ſtatua eburnea Phidiæ rarum opus.ad mare tres portus Piræus,qui muro 40. ſtadiorum cum urbe iungebatur,Phalerus, *Torto Lione*,Hiphotmus;hi duo ad Munichiæ peninſulam,Anthenarum parté, medius Anapliſtus vocabatur. Navale, & armamentarium ad 400. naves recipiendas, & armandas inſtructiſſimum. Extra urbem collis Areopagus, ubi Martis templum, in quo de cauſis capitalibus iudices ſeveriſſimi ſumma integritate noctu, non interdiu; iudicabant, quo, quæ dicerentur, non dicentes obſervarent; nunc cœnobium pro Areopago inſtructum, urbemque *Setines* vocant, cuius ſuperiorem partem,ubi caſtrum,Turcæ tenebant; ibique etiam fuit ara dicata Ignoto Deo: Mediam Chriſtiani,infimam homines omnis generis: & hi quidem pauci ſi cum antiquo urbis cenſu conferantur, ubi cenſa olim civium capita 21. millia 10. advenarum ſervorum vero 400. millia. fuit etiam extra Urbem lucus,ubi Academia Platone magiſtro celeberrima.Urbs capta à Mahumete II. anno 1455. quo ſuis dominis Ducatus titulo cum tota Attica tenebatur. reliquæ urbes Marathon *Maratona*,ubi Athenienſes Melchiade Duce,cum 10. millibus 300. Perſarum millia Darii regis internecione delerunt.Brauron, Mirrhinus, Rhamnum,ubi Nemeſis ſacellum.

CAPUT XIX.

De Peloponneſo Veteri, & Nova.

Sequitur ultima Græciæ pars Peloponneſus nobiliſſima totius Europæ peninſula,quæ Iſthmo

lato

lato ſtadiis 40, veluti collo, Græciæ adnectitur: quoniam verò quinque finibus angularis procissa, folio platani ſimilis eſt. Dicta autem Peloponneſus, quaſi Pelopis inſula, qui ducta Hippodamia regnum pro dote accepit. illius olim partes fuere Achaia propriè dicta, Elis, Meſſenia, Laconia, Argolis, Arcadia. Achaia eſt ad Occidentem Ionio, & Corinthiaco mari perfuſa. urbes inſignes patræ *Patraſſo*. prius Aroen, quò poſt Actiacam victoriam veteranorum Colonia Auguſti juſſu traducta, ibique paſſus D. Andreas. Dyme *Chiarenza*, olim ducatus, ad hanc prædones à pompeio uicti. Sicyon *Baſilica*, oleo abundat: hinc Virg. 2. Geor.

Venit hyems. teritur Sicyonia bacca trapetis.

Sicyonii mollitiei à Cicerone notati, præcipue in calceis: unde proverbium Sicyonii celcei: de re plurchra, ſed quæ minus decet. patria Arati poëtæ. primique ibi Dipœnus & Scyletis ſculturæ operam dedere. Corinthus *Cōranto* in ipſo Iſthmo poſita, cuius hinc ad Sinum Corinthiacum Cenchræ navale, illinc ad Saronium Lechæum *Leſteiocori*: Erat autem ad radices montis cuius perpendiculum III. ſtadiorum, aſcenſus XXX. in cuius ſummo arx Corinthiorum, dicta Acrocorinthus. urbs tantæ magnitudinis, ac potentiæ, quam cum Romani vererentur Mummio Duce everterunt: erat ibi Fanum Veneris, ubi mille meretrices miniſtrabant. Nobilis Lais, qua ſine ingenti pretio uti non licebat; unde adagium non omnibus licet adire Corinthum: hæc cum à Demoſthene 10000. drachmas poſceret, reſpondit ille: Non emo tanti pœnitere.

Sequitur Elis, cuius caput Elis, *Belvedère*, ad Penei oſtium, ubi Fanum Jovis Olympii, forum, & Gymnaſium celeberrima: fuit & os eburneum

Pelopis. Chelonites promontorium, ubi nunc arx *Caſtel Torneſe*. Cyllene *Antravida* Mercurii patria. alii in Cyllene Arcadiæ monte natum volunt, ut poëta noſter:

Quem candia Maia
Cyllenes gelido conceptum in vertice fudit.

Intus Olympia Piſa ad Alphæum amnem, *Langanico*, ad quam ludi Olympici celebrabantur, ab Hercule Cretenſi primum inſtituti, mox à Pelope, & Atreo, denique ab Iphito Eleo anno ante Chriſtum 775, quo Corœlus Elis coquus coronatus: ludis Elei præerant Agonathetæ dicti, & Hellanodicæ, celebrabantur quinto quoque anno Lunari: hinc Olympiades inſtitutæ. ut Roma condita ſit anno primo Olympiadis VII. certabant verò Atlethæ nudi curſu, cæſtibus, ſaltu, diſco, & paleſtra.

In Meſſeniis vrbes inſignes Pylus *Navarino* celebris portus, Neſtoris patria, cuius meminit Ovid:

Nos. Pylon. antiqui Neleia Neſtoris arma
Miſimus: incerta. eſt fama remiſſa Pylo.

Methone, *Modone*, vel nunc frequens, & arce munita, capta à Venetis una cũ Pylo anno 1686. una ex urbibus Achilli ab Agamemne oblatis in dotem filiæ. Cypariſſa, *S. Ella* ad quam fons Dionyſias Bacchi Thyrſo inclitus, Aba *Calamàta*. Corone antiquũ retinens nomen, Thebanorũ colonia ad Thermatium montem Epiſcop: ut, & Methone ſub Archiep: Patrenſi. Meſſene, *Moceniga* caput olim regionis nunc pagus ignobilis: meminit Ovid: Met. VI.

Meſſeneque ferax, Patræque, humileſque Cleonæ.

Sequitur trans Paniſum Laconia, cuius olim caput Sparta, quæ & Lacedæmon alter Græciæ oculus, & totius Peloponneſi urbs clariſſima, Ly-

curgi

curgi legibus optime fundata.gens bellicoſiſſima, quæ juventutem laboribus,nando,currendo,eſuriendo,algendo, æſtuando erudiebat. hinc Helenam Paris abduxit, quare Virg.7 Ænead.

At non ſic Phrygius penetrat Lacedæmona paſtor. nunc barbaris *Miſiſtra* appellatur, continetque L. hominum millia. ad lævam Eurotæ fuit Helos, unde Helotæ Lecedæmoniorum ſervi, quorum ebrietate filios ſuos ſobrietatem docebant.ad mare Gytheum navale Lacedæmoniorum; unde tutiſſimus in Cretam traiectus : ad hanc incenſæ à Tolmide Athenienſi Lacedæmoniorum naves. Leuctrum colonia Bœotorum, *Maina* caput Reipublicæ, in qua tres urbes *Magni*, *Vitulo*, *Proacti*, pagi verò 365. Græci ritus, & Græca lingua utuntur,liberi vivunt, cum propter montes ſuperari non potuerint.Trans promontorium Maleam *Capo Malio*, quod mari incumbit alba nive candicãs mugitu undarum, & perpetuis pene procellis horreſcit,eſt Minoa portus *Altamura*, & Epidaurus *Malvaſia*, vino nobilis. Argolis, cuius urbes nobiliſſimæ Argos,*Argo*,Mycene *Agios*, *Adrianòs* juxta Lerna palus; unde Lernæa Hydra ab Hercule ſuperata. Nauplia, *Napoli di Romania*. iuxta quam Canathus fons in quo Iuno ſe quotannis proluebat, ut Virgo denuo fieret, aiuntque hic Aſinum vitis pampinos rodentem dociſſe vitium luxuriam reſecare.Troezen *Damala* Pitthei regia, Theſei patria hic nemo nubebat, aut ducebat, quin Hyppolito comam totondiſſet.

In medio Peloponneſi eſt Arcadia, tellus, & gregum frequentia,& paſcuorum ubertate celeberrima.metropolis Megalopolis,Polybiii Hiſtoriç non tam ſcriptoris,quã magiſteri patria.Mantinea,ubi Epaminondas victis altero prælio Spartanis,ipſe occubuit, Tegæa *Muchli*,ubi Oreſtis gi-

gantis oſſa inventa Olympiade 58. patria Ariſtarchi poëtæ, qui 80. annos vixit, ſcripſitque tragædias 70.

Fuit in Peloponneſo Nemea ad quam Nemeæa ſylva, ubi Hercules Leonem à Luna delapſum occidit, & Ludi inſtituti. meminit Virg:

Prodigia, & victum Nemeæ ſub rupe Lionem.

Ad Iſthmum verò Iſthmica celebrabantur, ut ad Pythiam Pythia feſta. Iſthmum autem Græci muro ab uno ad aliud mare ducto clauſerunt, dixeruntque Hexemilion, VI. nimirum mill: quem Amurathes diruit. at non multo poſt Veneti anno 1543. excitarunt, duplicique foſſa firmarunt intra dies XV. triginta hominum millibus operi incumbentibus: ſed irrito conatu, nam Mahumetes II. diruit, fugatis Venetis, qui immenſo tormentorum apparatu illum munierant.

Peloponneſus nunc *Morèa* à Mauris, qui illam occuparunt, appellatur: dividitur in IV. provincias *Clarenza* ubi Achaia, & pars Elidis; *Belvedere*, ubi Meſſenia. & reliqua Elidis pars, *Braccio di Maina*, ubi Arcadia, & Laconia. *Sacania*, ubi Argolis. Antequam à Turcis occuparetur, pars Venetis, pars ſuis Deſpotis paruit, quorũ ultimus Thomas Palæologus, qui capta à Mahumete II. Peloponneſo, Romam cum Lipſanis D. Andreæ ad Pium II. confugit.

CAPUT XX.

De montibus, & fluviis Græciæ, ſoli, aeris, ac gentium indole.

Altiſſimi æque, ac celeberrimi montes Acroceraunia, qui prope Aulonem *La Velona* in Epirum longo tractu excurrunt: ſic dicti, quod eo-

rum

rum iuga fulminibus feriantur. vocantur etiam Ceraunii: vulgò *Monti della Chimera*, & ab Incolis Chimerioti. Promontorium, quod in mare excurrit iuxta Aulonem ab Hydrunto diſtans mill: paſſuum LX. *Lenguetta* nuncupatur. naufragiis infame, quare Ovidius lib. 2 de remed. amo:

Hac tibi ſint Syrtes, hæc Acroceraunia vita.

& Horatius:

Infames ſcopulos Acroceraunia.

Sequitur in eodem Epiri tractu Pindus, qui ab Acroceraunijs iugis ad Meridiem, & Ortum uſque ad Thermopylas excurrit: ex medio brachium emittit, Parnaſſumque efficit: mox in Heliconem deſinit. hinc eſt, ut hi tres confundantur apud Poëtas. Pindus *Mezzovo* dicitur. Parnaſſus in Phocide aſſurgit, barbaris *Liacùra*, Muſis olim ſacer, ac memoratiſſimus, cuius duo vertices Cyrrha, & Niſa. atque ob id biceps vocatus. de hoc Poëta Georg: III.

Sed me Parnaſſi deſerta per ardua dulcis
Raptat amor.

Helicon in Bœotia Muſis item ſacer, iuxta Thebas in lucum deſinit: de hoc Ovid: 2. Met.

Virgineuſq; Helicon, & nondum Oeagrius Æmus.

Non longe eſt Cithæron *M. di Stive*, & ipſe clariſſimus, ex quo Aſopus defluit, cuius Ovid: 2. Met.

ſed ipſe
Vadit ubi electus facienda ad Sacra Cithæron.

In Græcia Callidromus *Caliar*, iuxta Locros Ozolos. in Attica Hymettus Athenis proximus; quare vulgò *M: di Sethines*, melle abundat, quo cum Hyblæo certat. hinc adagium Attica mella pro Suavi Eloquentia. De hoc Martialis lib. 13.

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti.

Inter Theſſaliam, & Græciam Othrys, & Oeta pri-

primus, *Delacha*, contra Oſſam ſurgit,inter Pindum,& Thebas Phthioticas ad Thermopylas deſinens: de hoc Ovid: Met. 12.

Arboris Othrys erat, nec habebat Pelion umbra.

Secundus *Bucina* in Maliacum ſinum deſinit. in eo Hercules ſe ipſum vivum combuſſit. naſcitur in Oeta, ut in Helicone optimum Helleborum, nemoroſam Ovid: dixit 9. Met.

Implevitque ſuis nemoroſam vocibus Oetam.

adeo altus,ut in eo ſtellæ oriri, & occidere, ut in Ida conſpiciantur: hinc Virg:

Sparge, Marite, nuces tibi deſerit Heſperus Oetam.

Huius montis anguſtiæ ad Oetæum ſinum, per quas ex Phthiotide in Theſſalium itur Thermopylæ appellantur, vulgo *Bocca di lupo*. latæ pedes non amplius XXV. De his Claudianus:

Reſtiterant Medis, primo certamine rupta
Thermopylæ.

ad has Leonidas Spartanus cum paucis Perſarum impetum ſuſtinuit: ubi Euthycus ob cœcitatem domum remiſſus, potius dimicando occubere fortiter voluit, quam ſolus periculũ declinare. In ipſa verò Theſſalia Olympus, Pelius, & Oſſa Gigantum bello notiſſimi nunc dicti *Lecha*, *Petras*, & *Olina*. De Oſſa Statius:

Monſtra, nec Oſſæi bello cecidere bimembres.

In Macedonia Athos *Monte Santo*, quem perfoſſum Xerſes velificavit: hinc poëta:

Creditur olim velificatus Athos.

nunc exiguo iſthmo continenti adnectitur. totus colitur à Religioſis D. Baſilii, qui numeroſiſſima cœnobia ibi habent, Turcoque quotannis pendent vectigal XX. millia aureorum. In Peloponneſo ſunt Taygetus, & Taygetum *Portes*. Virgilius dixit:

Sper-

Sperchiuſque,& virginibus baccata Lacanis
Taygeta.

Erymanthus *Dimizana*, ubi Aprum Hercules occidit, quibus mons abundat. Chronius. Ex quo Eurotas defluit. Stympalus *Poglisi*. eſt & Stympalus lacus, & fluvius. De Monte meminit, Statius Syl.4.

Quartuſque nivalem
Stympalon, quantuſque iugis Erymanthon aquoſis
Terrueris.

In Stympalo aves fabuloſæ homines invadentes,quas Hercules ſuſtulit.Virg.lib.12.

Stympalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.

Pholoe *Xiria* in Arcadia mons nivoſus, & Sylvoſus Piſæ Olympiæ proximus, ubi Centaurum Hercules aggreſſus eſt. Sidonius in Paneg:

Non ſic Pholoetica monſtra
Atque Pelethronios Lapithes Semeleius Evan
Miſcuit.

Eſt etiam in Arcadia Lycæus, ubi Lycæa feſta celebrabantur.& in Actica etiam Lycabetus olea pinguis,ut ait Statius.

Fluvii celebriores in Epiro Acheron *Verlichi* ex Acherutia palude ortus, juxtà Ambracium ſinum,*Golfo di Larta*,influit,ad eius ripam oppidum Pandoſia:quæ duo nomina cum vitare Alexander Epiri rex vellet ancipiti oraculo monitus,in Brutiis in eadem incidit,& interiit. In Acarnania eſt Achelous, *Aſpripotamo*, e Pindo ortus contra Echinadas in Ionium labitur. Acarnanas,& Ætolos dividit, Naupactæus dictus, cui olim Hercules alterum cornu ademit:hinc nos Halieut.XI.

Ætnai fratres cum Naupactæo Acheloo.

In Peloponneſo Alphæus *Carbon*, e Stympalo ortus in Chelonitem ſinum deſcendit, rigata O-

lym-

lympia, & Elide. Hunc Arethuſæ fonti miſceri Poëtæ fabulantur. Ovid:

Quid? non Alphæon diverſis currere terris
Virginis Arcadiæ certus adegit amor.

Eurotas *Baſilipotamo* nimirum regius fluvius, lauris abundat, Lacedæmonem rigat tãta riparum amœnitate, ut adagium: Stare ad Eurotan: idem ac in Apolline, ſeu in deliciis. de hoc nos Halieut. II.

E Chronio lapſus ſummo ſinuoſus oberrat
Eurotas, pictaque intexit iaſpide ripas.

Inachus *Planizza* per Argiam regionem in Argolium ſinum, *Golfo di Napoli di Romania*, cadit, ab Inacho Argivorum rege dictus. Paniſus, *Padon* Tegean rigans, aliique. In Græcia Cephiſſus ortus prope Lilæam urbem, per Copaidem lacum tranſit. hic lacus eſt prope Thebas; quare *Lago di Stive* appellatur. olim à Copis oppido: anguillis abundat. eſt etiam Cephiſſus rivus Athenas alluens. Aſopus, Iſmenius, aliique. In Theſſalia Sperchius, *Agriomèla*, ex Pindo ortus: de quo Virg: ſupra. Enipeus *Titareſo*: Pharſalum alluit, cumque Apidano in Peneum devolvitur: ad hunc à Ceſare Pompeius acie victus Luc: 6.

Apidanus, numquamque celer niſi mixtus Enipeus.

Pèneus, *Salampria* e Pindo aſſurgit, ac per Tempe in Ægæum irrumpit. Sunt autem Theſſala Tempe amœniſſima loca inter Olympum, & Oſſam circa Penei ripas toto orbe celeberrima hic Templum olim Iovis Olympici Ovid. 4. Met:

Sylva: vocant Tempe, per quæ Peneus ab imo
Effuſus Pindo.

In Macedonia Haliacmon, *Platamona*, Axius, *Vardari*, huius aquæ nigra pecora, illius vero alba faciebat. uterque in Ægæum mare cadit. in Axium Erigon influit, vulgo *Viſtrizza*. in Pæonia oritur, & per Deſſaretios fluit, Chabrius *Cilabro* in

Biſal-

Biſaltia ortus, in Thermaicum ſinum ſe exonerat. Strymon *Stramona*, ex Orbelo ſurgens in Strymonium ſinum *Golfo di M. Santo* deſcendit. Deſertum vocat, Virg.

Rupe ſub aëria deſerti ad Strymonis undam,

Memorantur Strymoniæ grues, quæ plurimæ circa amnem volitant. Panyaſus *Spinazza* non longe à Dyrrachio in Adriaticum cadit. Aſpus non longe in idem mare labitur. Celindus *Sulnich* limes olim Macedoniæ, in Adriaticum item illabitur.

Græciæ ſolum uberrimum, ut nulli cedat: tot verò collibus conſitis, tum irriguis vallibus, nemoribus, ac pratis amœniſſimum: abundat vino, oleo, frumento, pomis omnis generis: paſuis item lætiſſimis, ubi innumeri pecorum greges, errant, Montes feris, ac ſylvis nobiles: metallis item plurimis, marmore, ac lapidibus pretioſis. Chonchæ olim educebantur, ex quibus purpura tigebatur. Cœlum ſalubre, ac nitidum: in meridionalibus aliquanto calidius, frigidiuſculus verò in Borealibus: maxime ad Æmum. Græcorum gens toto olim orbe celeberrima tum litteris, tum armis. Staturæ medioris, ingenio acres, manu dexteri, eloquio facundi: at mendaces, ſuperbi, & ut Plinius, ait effuſiſſimi in laudem tui. Tellus adeò quondam frequens hominum, ut innumeras colonias per omnes Mundi partes immiſerit. nunc adeo infrequens, ut ſi cum priſco ævo conferas, defeciſſe jam mortales credas. hinc tota pene inculta, vicis potius, quam urbibus habitata. id vero ob tot barbarorum inundationes, & bella, ac perpetuum contagium, quod unà cum Turcis in Græciam irrupit, quo multa millia quotannis pereunt.

CAPUT XXI.

De Creta, & Inſulis Græciæ adhærentibus.

INter Europam, & Aſiam Ægæo mari obiecta Creta iacet, inſula centum olim urbibus navibus, ſagittis, Muſicaque inventa celeberrima. Hæc, Minöe duce, prima claſſe pugnavit, equeſtres pugnas prima docuit laſcivas vertigines implicare, ac literis jura ſociavit. Nomen ſortita à Crete Nympha Heſperidis filia, vel, ut aliis placet, à Crete Curetum rege. olim etiam Aëria, & *Macaroniſſos* ideſt Beata inſula à Cœli temperie appellata. Fines eius ſunt à Septentrione Ægæum, à Meridie Libycum mare, ab Occidente, & Oriente ſuis æſtibus concluditur. Longitudo inter promontorium Samonium *Capo Salomone*, & Corycum, *Capo Cornico*, eſt mill: 300, latitudo maxima inter Dion promontorium *Capo Saſſono*, & Mataliam *Capo Matala* eſt mill. 64. olim centum urbes habebat; quare Hecatompolis dicta: hinc Luc. Lib. 3.

Iā dilecta Iovi centenis venit in arma
Creta vetus populis, Gnoſſaſque agitare pharetras.

Clariſſimæ fuerunt Cortyna caput quondam inſulæ, *Gortin* pagus nunc ignobilis. Cydon, quam Græci matrem urbium appellarunt, *Canèa* una nunc ex quatuor urbibus quadrata, & probè munita, capta à Turcis 1645: dicta etiam Cydonia, atque hinc Cydoniæ pharetræ. Gnoſſus *Ginoſa* Minois regia, ad Idam montem olim Epiſcopalis ut Cydonia, nunc pagus, Therapnæ, Lyctus, *Paleocaſtro* Patria Idomenei, cuius meminit Virg, Æne: I.

Et

Et Salentinos obſedit milite campos
Lyctius Idomeneus.

Lycaſtus ad Dyctæum montem à Lycaſte Nympha. Dictamnum, *Dictamo*, urbs ad Dictynneum montem, dicta etiam Dictynna. Phæſtus *Feſto*. Rithimna *Retimo*, Cyteum, *Candia*. Heraclea *Sittia*.

Nunc Inſula quatuor urbes numerat *Candia*, *Canea*, *Retimo*, *Sittia*, à quibus in quatuor partes dividitur. *Candia* urbs ampla, ac munitiſſima, quã poſt longam obſidionem Turcæ detitione ceperunt anno 1669. Montes celebres Dicte, & Dictæus *Laſſitis*, Ida *Pſelorïti*, Corycus, *Cornico*, cujus incolæ male audiebant, quod merces mercatorum explorerent, & piratis nunciarent; quod mercatores reſcientes ſeſe interdicebãt, *Corycæus auſcultavit*, propterea cavendum: idque in adagium tranſit. Cadiſcus *Buſco*. Cæterum in Ida monte à Curetibus educatum Iovem memorant: Celebris item Minotaurus Paſiphaë genitus, & ad Gnoſſum labyrinthus Dædali opus, tum itinerum ambagibus, occurſibus, recurribuſque inextricabilibus, tũ lapide quadro, ac fornicibus vere mirandum. in quo vel ipſe Dædalus cum Icaro filio detentus: uſque adeò verum; ſæpe dolos in caput auctoris recidere, quamvis novo dolo evaſerit.

Cretenſes vitioſiſſimi, mendaces, & piratica infames. ſuis regibus primum paruere. Q. Metellus inſulam ſubegit, & Creticus dictus: manſitque ſub Imperio Romano, donec à Saracenis, cum Peloponneſo, & non exigua Græciæ parte occuparetur. Balduinus Flandriæ Comes, & Imperator Conſtantinopolitanus, recepit, ac Bonifacio Montisferrati Marchioni dedit; à quo ingenti pretio Veneti emerunt, ab his Turcæ eripuere: exceptis tribus arcibus, quas adhuc tenent *Suda*, olim Amphi-

phimalus portus, *Spinalonga*, & Mylæ inſulæ, *Carabuſe*. Cæterum aër Creticus purus, & ſanus, tellus ferax, montes oleis ditiſſimi, colles vino generoſiſſimo. Turcicus prætor Candiæ jus dicit, quæ urbs Archiep: cui octo Epiſcopi ſubſunt. cum à Venetis teneretur Græci catholici, nunc quamplurimi Schiſmatici.

Poſt Cretam præcipua inſula eſt Eubœa: quæ Euripo interfluente à Græcia dirimitur. jungitur autem ponte duorum jugerum, inter Aulidem, & Chalcidem. dicta olim Abantias, ab Abantibus, qui è Phocide profecti illam occuparunt. mox binæ Reſpublicæ inſtitutæ Chalcidis, & Eretriæ, ex quibus variæ coloniæ emiſſæ, inter quas Cumæ. Inſulæ longitudo eſt mill: 130. latitudo 30. circuitus 300. urbes in ea Chalcis, quæ in freto contra Bæotiam eſt, nunc una cum inſula dicitur *Negroponte*, quã anno 1470. Mahumetes II. expugnavit. Ad hanc mortem obiit anno ante Chriſtum 447. Naturæ Myſtes Ariſtoteles tres, & ſexaginta annos natus, correptus febris æſtu, ex vehementiori contemplatione æſtus Euripi. reliquæ urbes Eretia, ubi celebris, ut & Chalcidi olim Academia. Caryſtus *Cariſto*, Oreum, *l'Oro*, Porthmos, *Portimo*. Inſula ferax, & amœna, mons miræ magnitudinis Oches, eſt & Corylæus, & Telettius, Fluvii Budotus, & Pyrrha, fuit autem Chalcis appellata ab ære, cuius ibi primùm officinæ inventę, at mira arte conficiebatur. præterea nullum ibi pecori iecur: ſunt & pecora, quæ carent felle. Anguillæ in Euripo aureis, & argenteis inauribus ornantur, & mugiles cicures. In lapidicinis Cayſtri lapidei glommi erant, qui molles inſtar lini ducebantur, ex quibus mappæ, quæ igne non abſumemabantur. inſula ducibus parauit, quorum ultimus Rabanius Carcerius Venetis tradi-

dit,

dit, ut à Turcis tuerentur. hi amiſſam recipere tentarunt anno 1688, ſed fruſtra.

Sequntur Cyclades, quæ in medio *Ægæo* inſtar orbis poſitæ; unde & Cyclades dictæ. Harum celeberrimæ ſunt, Delos *Sdille*, ſic dicta quod prima apparuerit poſt diluvium Ogygis: Emporio, atque ærario totius Græciæ, & Apollinis oraculo notiſſima: gemina videtur ob Pheriam coniunctam, quam *Fermene* vocant. Tenos, *Tine*, olim Neptuni Fano nobilis, nunc arce, quam Veneti tenent, incolæ Catholici. Andros, ubi fontem eſſe tradit Plinius, qui nonis Ianuariis ſaporem vini refert. Mycone, *Micoli*, ubi omnes calui naſcebantur; unde adagium *Myconius caluus* per itoniã, at *Myconius cripſus* dicitur de re rara: ut *Scytha doctus*. item *Myconius conviva* de his, qui non inuitati accedunt. Giarus *Iero*, quæ, quoniam deſerta, adagio locum dedit, *Gyaro dignum* pœna nimirum non mediocri. hinc Iuvenalis Sat. I.

Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum.

Seriphus *Sirſino*, ubi ranæ non coaxant; hinc adagium in taciturnos *Seriphia rana*: iacet inter Siphum, & Teram. Naxos, *Niſcia*, Bacho ſacra ob vini copiam, cuius ſolum feraciſſimum. hic ille educatus traditur à Pleyadibus, quæ ob id in Cęlũ à Jove translatæ. hic item ille relictam à Theſeo Ariandam recepit. ubs caput frequens, Archiepiſcopalis, Catholicis, & Græcis, qui ſuum ſinguli Præſulem habent, habitata. Veneti Græcis eripuere, mox ducibus paruit: his erepta à Selimo I. ad Orientem ſita Donyſa *Stenoſa* marmore nobilis, utriuſque meminit Virg. lib. 3. Æn.

Baccatamque iugis Naxon, viridemque Donyſam.

Ad Occidentem verò eſt Paros marmore dives, hic mures non generantur: habet Paros frigidam aquam, & mulieres formoſas, adagium apud Ariſta-

Ariſtophanem,quo ſignificatur commodũ incommodo miſceri. marmor ex Marpeſſo monte educitur *Capreſſo*. hinc Virg:

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſſia cautes,

Iuxta hanc Antiparos, & mox Cia *Zea*. ex uno Gigantum dicta Simonidis poëtæ & Eraſiſtratis Medici patria. Supra juxta Eubœam Scyros, ubi Achilles latuit. lapis huius inſulæ integer ſupernatat, comminutus mergitur. abundat Capris feris, unde fluxit adagiũ *Capra Scyria*,in eos qui beneficium maleficio contaminant,ut capra Scyria, quæ mulctram lacte plenam calce evertit. Supra ad Theſſaliam eſt Scopelus *Scopolo*, & Schiatus, aliæque ad radices Pelii montis, ubi multæ naves Xerſis alliſæ periere. Ad Meridiẽ nota eſt Melos, Ariſtoteli Zephyria dicta: *Milo*, maxime rotunda. portu,& Sulphure inſignis, iuxta altera parva inſula *Antimilo*. Los *Mio* Albanis culta, qui poſt Scandabergii mortem in hanc commigrarunt.ad Septentrionem parvæ inſulæ *Chinuſſa, Raulia, Cardiani*. Anaphe, *Namphio*, Apollinis Ægleti templo nobilis. Theraſia, *S. Erini*, quæ à Thera, *Gozi* aliis *Antimilo*, terræ motu avulſa. enata eſt anno 4. Olymp. 135. ut refert Plinius, quæ etſi ſemiuſta ferax tamen eſt. Oenas *Sicandro*, Pholegandrus, *Policandro*. Polyægos, *Termin*.

Iuxta Tænarum eſt Cythera inſula Veneri Sacra *Cerigo*, Ægæi ſpecula duplici portu, & arce in edita rupe inſtructa, Epiſcop: Venetis paret. inter ipſam, & Cretam Ægialia *Cerigotto*. in Saronico ſinu Ægina *Engia*, ubi Æacus regnavit, & Mirmidones habitarunt, inſtar formicarum operi dediti inde fabulæ data occaſio. Pauli Æginetæ medici inſignis, ſinus ab ipſa *Golfo d'Engia*. Salamis Telamone Aiacis, & Teucri patre, & victoria, quã 180. naves Græcorum de M. Perſis retulerunt,

cele-

celeberrima: *Coluri*, dicitur, cuius naves olim velociſſimæ; unde adagium *Salamina navis*. Supra Cycladas ad Thraciam eſt Lemnos Vulcano Sacra *Stalimène* circuitu mill: C. Venetis erepta à Mahumete II. in ea olim Hepheſtias, ubi Vulcani fanum *Cochino*, & Myrina in cuius foro Ænea bucula, ad quam Athonis umbra pertingebat. hinc factum adagium: Athos tegit latera lemniæ buculæ: in invidos, qui aliorum famam obumbrare volunt. meminit Statius V. Theb:

Ægæo premitur circumflua Nereo
Lemnos, ubi ignifera feſſus reſpirat ab Ætna
Mulciber, ingenti tellurem proximus umbra
Veſtit Athos, nemorumq; obumbrat imagine pontũ.

Supra eſt Samothracia, *Samandrachi* aſylo totius Græciæ Sacroſancto nobilis: iuxtà Imbius. In Ionio ad Epirum, eſt Corcyra, *Corfù*, urbem habet eiuſdem nominis in præcelſa rupe, quæ vix diſtat à continente paſſibus M. urbs Archiep: quæ cum tota inſula ſe Venetis tradidit anno 1382, ſepius à Turcis fruſtra tentata. Sale, vino, oleo, ac frumento abundat. in longum patet mill. XL Hic olim Alcinoi regia, & horti celeberrimi. dicta etiam Phæacia: Corcyræi libertatis amantiſſimi, ut ſolitum apud illos dicere: *Caca, ubi libet*. circa illam aliæ inſulæ ob piratas deſertæ. Ad Acheloi oſtia Echinades *Cruzzolari*, ubi Ioannes Auſtriacus anno 1571. ingenti clade Turcos profligavit.

Sequitur Cephalenia, *Cefalonia* L. mille paſſus longa, ubi Venetorum munitio *Aſſo*, & Samos olim portu inſignis *Porto Guiſcardo*. Ithaca, *Val di Compare*, Ulyſſis patria, aſpera, & Caprarum abundantiſſima. Dulichium, & Same. omnium meminit Ovid. lib. Triſt.

Nec michi Dulichium domus eſt, Ithaceve Sameve.

Ad

Ad Auſtrum nemoroſa olim Zacynthos, *Zante*, dives oleo ſale, cera, & uvis Corinthiacis. urbs munita, & frequens: incolæ utuntur horis inæqualibus. ad Auſtrũ ſunt Strophades, dictæ à converſione Calais, & Zethæ, qui hucuſque harpias perſecuti: nunc monachi tenent, vulgo *li Stivali*.

CAPUT XXII.

De Thracia veteri, & nova.

IN Continentem redeũtibus poſt Macedoniam Thracia occurrit: quæ Æmo à Septentrione, Euxino ab ortu, Ægæo, & Propontide à Meridie clauditur. eius longitudo à Strymonis fontibus ad Meſembriam ad Panyſi oſtium ponitur à Cluverio mill. Geom. 80. latitudo ab Æmo juxtà Nicopolim ad Maſtutiam Cherſoneſi mill. 60. nobis maior latit: à Traiani porta ad Byzantium eſt 300. ferme mill: latit: à Meſembria *Meſember* ad Maſtuſiam promontorium Cherſoneſi *Capo Griego*. eſt mill: 215. Thracem à Martis filio, alii à Nimpha incantatrice, Titanis filia, ex qua Saturnus Dolongum filium ſuſcepit, dictam arbitrantur. alii verò à *Trachia* quod aſpera nimirum eſſet, nec Cœlo, nec ſolo læta: & niſi qua mari propior, infœcunda, frigida, & eorum, quæ feruntur, malignè admodum patiens, rarò pomiferum arborem, vitem frequentius tolerabat: ſed nec eius quidem fructus matureſcebat, niſi ubi frigora frondium obiectu cultores arcerent. Diviſam olim in L. Strategias, nimirum præfecturas Plinius tradit: mox in tres partes ſcilicet in Thraciam ultra Rhodopem. citra Rhodopen: & Cherſoneſum. in his verò variæ regiones, à variis item populis denominatæ. Ultra Rhodopen. ad Euxinum

num Cornice, ubi Apollonia, Magna à Pompeio appellata, in inſula ſita olim Archiep. nunc ſemidiruta *Siſſopoli*: ex hac Lucullus Apollinis coloſſum ſuſtulit, inque Capitolio dedicavit. Bizon terræ hiatu abſorpta. Byzia *Vize*. Selletica, ubi Selletes populi: urbes Develtus *Develta*, & *Zogaria* urbs Epiſcop: Tarpodizus. Samaica, ubi Thyni populi, oppida Oſtodyzum, Adrianopolis ab Adriano condita, ab Amurathe ampliata, qui cùm primùm in Europam traieciſſet, hùc è Pruſia Imperii ſedem tranſtulit. ad collem ſedet, ubi Hebro miſcentur Bargus *Tunza*, & Hemus *Harda*, Græci *Adrinopoli*, Turcis *Endrem* appellatur, ampliſſima ſitu, populo frequens, ac dives, ſed nulla ædium magnificentia ornatur, nullis mœnibus munitur. Hanc cum obſeſſurus properaret Balduinus Flandriæ comes, & Orientis Imperator profligatus, ac cæſus in Oreſtis campo anno 1205. à Turcis verò capta 1402. in qua ædes regia, ubi interdum Othomanni inhabitant urbs eſt Archiep: Bennica, ubi Agriani, oppida Opizum, Cillæ. Uſdiceſtica circa Æmum, ubi Nicopolis ad Æmum *Nicopoli*, Sazarana. Beſſica, ubi Pilippopolis, Turcis *Filibe* ad Rhodopem ſedet iuxta Hebrum, à Philippo Cæſare condita, olim Trimontium, urbs ampla, & frequens, at nullo vallo munita, quōdā Archiep. nunc ſedes Turcici præfecti: Pergamum *Bergamo* Epiſcop: Dauteletica, ubi Pantalia: Sardice, ubi Sardica; *Triadizza*, quæ regio Mœſiæ mox adnexa.

Circa Rhodopem fuere Urbana, ubi Byzantium & Phthinopolis. Corpialice, ubi late Odryſæ, & Odryſii habitabant: oppida Perinthus *Heraclio*, & Pantiro, cum portu ad Propontidem ſita: Traianopolis, olim Ænos. Hic fuit circa Hebrum Doriſca præfectura, & Doriſcus campus, herboſa planities, ubi Xerſes exercitum ſuum, cum numero

Ad Auſtrum nemoroſa olim Zacynthos, *Zante*, dives oleo ſale, cera, & uvis Corinthiacis. urbs munita, & frequens: incolæ utuntur horis inæqualibus. ad Auſtrũ ſunt Strophades, dictæ à converſione Calais, & Zethæ, qui hucuſque harpias perſecuti: nunc monachi tenent, vulgo *li Stivali*.

CAPUT XXII.

De Thracia veteri, & nova.

IN Continentem redeũtibus poſt Macedoniam Thracia occurrit: quæ Æmo à Septentrione, Euxino ab ortu, Ægæo, & Propontide à Meridie clauditur. eius longitudo à Strymonis fontibus ad Meſembriam ad Panyſi oſtium ponitur à Cluverio mill. Geom. 80. latitudo ab Æmo juxtà Nicopolim ad Maſtutiam Cherſoneſi mill. 60. nobis maior latit: à Traiani porta ad Byzantium eſt 300. ferme mill: latit: à Meſembria *Meſember* ad Maſtuſiam promontorium Cherſoneſi *Capo Griego*. eſt mill: 215. Thracem à Martis filio, alii à Nimpha incantatrice, Titanis filia, ex qua Saturnus Dolongum filium ſuſcepit, dictam arbitrantur. alii verò à *Trachia* quod aſpera nimirum eſſet, nec Cœlo, nec ſolo læta: & niſi qua mari propior, infœcunda, frigida, & eorum, quæ feruntur, malignè admodum patiens, rarò pomiferum arborem, vitem frequentius tolerabat: ſed nec eius quidem fructus matureſcebat, niſi ubi frigora frondium obiectu cultores arcerent. Diviſam olim in L. Strategias, nimirum præfecturas Plinius tradit: mox in tres partes ſcilicet in Thraciam ultra Rhodopem. citra Rhodopen: & Cherſoneſum. in his verò variæ regiones, à variis item populis denominatæ. Ultra Rhodopen. ad Euxinum

num Cornice, ubi Apollonia, Magna à Pompeio appellata, in inſula ſita olim Archiep. nunc ſemidiruta *Siſſopoli*: ex hac Lucullus Apollinis coloſſum ſuſtulit, inque Capitolio dedicavit. Bizon terræ hiatu abſorpta. Byzia *Vize*. Selletica, ubi Selletes populi: urbes Develtus *Develta*, & *Zogaria* urbs Epiſcop: Tarpodizus. Samaica, ubi Thyni populi, oppida Oſtodyzum, Adrianopolis ab Adriano condita, ab Amurathe ampliata, qui cùm primùm in Europam traieciſſet, hùc è Pruſia Imperii ſedem tranſtulit. ad collem ſedet, ubi Hebro miſcentur Bargus *Tunza*, & Hemus *Harda*, Græci *Adrinopoli*, Turcis *Endrem* appellatur, ampliſſima ſitu, populo frequens, ac dives, ſed nulla ædium magnificentia ornatur, nullis mœnibus munitur. Hanc cum obſeſſurus properaret Balduinus Flandriæ comes, & Orientis Imperator profligatus, ac cæſus in Oreſtis campo anno 1205. à Turcis verò capta 1402. in qua ædes regia, ubi interdum Othomanni inhabitant urbs eſt Archiep: Bennica, ubi Agriani, oppida Opizum, Cillæ. Uſdiceſtica circa Æmum, ubi Nicopolis ad Æmum *Nicopoli*, Sazarana. Beſſica, ubi Pilippopolis, Turcis *Filibe* ad Rhodopem ſedet iuxta Hebrum, à Philippo Cæſare condita, olim Trimontium, urbs ampla, & frequens, at nullo vallo munita; quōdā Archiep. nunc ſedes Turcici præfecti: Pergamum *Bergamo* Epiſcop: Dauteletica, ubi Pantalia: Sardice, ubi Sardica; *Triadizza*, quæ regio Mœſiæ mox adnexa.

Circa Rhodopem fuere Urbana, ubi Byzantium & Phthinopolis. Corpialice, ubi late Odryſæ, & Odryſii habitabant: oppida Perinthus *Heraclio*, & Pantiro, cum portu ad Propontidem ſita: Traianopolis, olim Ænos. Hic fuit circa Hebrum Doriſca præfectura, & Doriſcus campus, herboſa planities, ubi Xerſes exercitum ſuum, cum numero

N non

non poſſet, ſpatio dimenſus eſt. Erant autem 170. myriades: hoc eſt decies ſepties centena hominum millia. Sapaica, ubi oppida Aphrodiſias, Æneum *Eno*, Turcis *Vgnos*, Selymbria *Seliurea*, in cuius portũ merces ex Mœſia & Thracia terreſtri itinere convenẽtantur, navibus inde Conſtantinopolim aſportantur. non longe bini pontes ſublicii ad quorum primum externorum principum legati ſubſiſtere jubentur uſque dum eos advenisse Imperator reſciverit. Briantice, ubi Tempyra, & Meſembria altera. In hoc tractu Iſmarus mons, & Serrhium promontorium, ex quo canentem Orpheum nemora traxiſſe ferunt. Sequuntur Doriſca, & Biſtonia, ubi Cicones, & Biſtones habitarunt: oppida Maximianopolis, Abdera, *Tolyſtilo*, aliis *Aſperoſa*, ad litus Ægæi ſita, ab Abdera Diomedis ſorore condita 104. poſt Troiam captam, Democriti patria, qui ſe luminibus privavit, ut magis contemplationi vacaret. Abderitę ſtupori mentis obnoxii: hinc adagium *Abderitica mens*: & Mart:

Abderitanæ pectora plebis habes.

Sunt circa Abderam paſcua, in quibus equi paſti in rabiem vertuntur, quemadmodum aſini apud Potniam Bœotiæ, ubi Glaucus ab equis laceratus, ut tradit Virg: 3. Georg:

Quo tempore Glauci
Potniadis malis membra abſumſere quadrigæ.

Supereſt tandem Mædica, quæ & Græcia Macedonia, ubi populi Derſei, Medobythini, Syropæones, Turpoli. Cæterum memorantur etiam in Thracia ad Neſtum amnem Beſſi, Elei, Diobeſi, Bryſæ, Sapæi, ad Hebrum præter Odryſas numeroſam gentem, Odomantæ, Pyrogeri, Beni, Hypſalti, Celetes, & omnium ſæviſſimi, ut ait Florus, Scordiſci.

Ter-

Tertia pars Thraciæ eſt Cherſoneſus *Braccio di S.Giorgio* , ut urbes præcipue Lyſimachia in Iſthmo à Lyſimacho condita, quam male Antiochus deſeruit, cum Scipio illac eſſet in Aſiam tranſmiſſurus, dicta fuit etiam Hexamilium. contra ad alteram Iſthmi partem ad Ægæum Caridia, & in ipſo freto Seſtus nota amoribus Leandri, & Heronis . contra in Aſia Abydus, geminæ arces Turcis *Boga Zaſsàr*, noſtris *Dardanelli* appellatæ. Meminit Luc: lib. 2.

Europamque Aſiæ, Seſtonque admovit Abydo.

Nunc præcipua eſt Callipolis portu commoda, & arce munita; inque colle à Caligula ædificata, unde in Propontidem pulcherrimus proſpectus eſt .

Præcipui Thraciæ montes Hæmus , qui longo tractu ab Illyrico ad Euxinum uſque excurrit, Macedoniam , & Thraciam ab utraque Myſia diſterminat . Slavis *Cumoniza* , Turcis *Balkan* , Italis *Monte Argentaro*, & *Catena del Mondo*: dictus etiam antiquis cingulus Orbis. huius pars Scombrus ab Ariſtotele , Scomius Tucydide , (unde Strymon, Neſſus , Hebrus defluunt) appellatus , quique Rhodopæ coniungitur, adeo excelſus , ut ex ſummis jugis utrumque mare Hadriaticum , & Euxinum conſpiciatur: mons ſylvoſus , & vallibus riguus: hinc Poëta 2 Ger.

O, qui me gelidis in vallibus Hæmi .

Rhodope, barbaris *Rulle*, & *Valiza* , Græcis *Baſiliſsa* nimirum mõtium regina, excelſus, & incultus adhuc mons eſt: mediam Thraciam ſecat. hic Martem natum, quem unum gens coluit, perhibent , inque aqua fluviorum, qui è Rhodope fluunt, lotum: hinc Claud.

Flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.

Iſmarus jam memoratus. Pangæus; Virg. Pangæa.

gæa, vulgò *Caſtagna*, cynnamis abundat, & roſis: fodinas item auri, & argenti habet.

Flumina Hæbrus *Mariza*, qui è Rhodope, ſive Æmo natus alluit Philippopolim, perque ulteriorem Thraciam ad ortum currit: ad Adrianopolim in Meridiem flexus, in Ægęum ſe exonerat. Neſtus, ſive Neſſus, ad cuius oſtium Tinda, Diomedis equorum ſtabulis infamis. Melas, Arzus, aliique. Biſtonis item lacus, in quem multi fluvioli cadunt: & Delcon fluvius, & lacus ad quem oppidum cognominis *Deron*.

Antiqua Thracum gens dura, & magnitudine cæteros homines antecedebat, cui punctos habere vultus, cæruleos oculos, trucem viſum, terrificum vocis ſonum, annoſam ætatem plulchrũ, ac decorum fuit. Deum colebat Martem, quem Zamolxim vocabat, illumque tonante cœlo, vibratis in altum ſagittis ſe unum agnoſcere profitebatur. Animas alii redituras putabant: alii ad Zamolxim, ac feliciora tranſire: alii emori quidem, id verò præſtantius eſſe, quamobrem puerperia lugebant; funera feſtis gaudis celebrabant. ex uxoribus, quas plures habebant, una cui contingerat è parentum ſententia, interfici, cumque viro ſepeliri, beatum ducebat. Thracibus vini uſus diu ignotus. poſtea, ut ait Athenæus, Brito uſi, quæ potio ex hordeo, & frugibus conficiebatur. Agricolæ contemnebantur, propter ſtoliditatem, ut ultra quatuor numerare, & numerata retinere non poſſent. Suis olim legibus uſi, regemque creabant virum inveteratæ clementiæ, & cui non eſſent liberi, ne regnum tranſiret ad hæredes. Cũ duo reguli diſcordes inter ſe eſſent, Philippum arbitrum elegerunt: qui hac occaſione nõ magnã Thraciæ partem Macedoniæ adiunxit. Alexander eius filius totam obtinuit.

Mox

Mox libertati gens reſtituta: at iterum duobus diſſidentibus, evocati Romani; primuſque *Sabinus* ſub Tiberio anno Chriſti XXVII. de Thracibus triumphavit. anno verò XLVIII. ſub Claudio, à C. Scribonio Curione Procons: perdomita inque provinciæ formam Thracia redacta eſt.

CAPUT XXIII.

De Urbe Byzantio, atque Imperio Conſtantinopolitano.

SEdet Bizantium in extremo Thraciæ angulo in Trianguli formam ædificatum, meridionale latus Propontide *Mar di Marmora* alluitur, *Septentrionale* ſinu, qui portum efficit toto orbe celeberrimum, Occidentem ſpectat baſis, & Thraciæ continentem, dupliciqúe muro antiquis turribus munita cingitur, cuſpis Orientem reſpicit, ubi Prætorium, & arx. urbs olim fundata à Pauſania Spartarum rege anno ab Orbe cõdito 3469. poſt Troiam captam 96, quando Tarentum, & Locri in Magna Græcia conditi. alii tradũt à Byſe primum Megarentium duce, ab oraculo monito, ut terram cæcorum, nimirum Caldenonenſium, terris adverſam, ad ædificandum eligeret. Conſtantinus Magnus cum Licinium circa Hadrianopolim primum, terreſtri prælio, mox ad Byzantium navali pugna, tertiùm ad Calcedonem viciſſet, anno Chriſti 324, & tandem ſequenti occiſo, tum Occidentis, tum Orientis imperio potitus, Byzantium inſtauravit, ut antiquæ Romæ par eſſet, ſedemque Imperii conſtituit: eamque dedicavit V. Idus Maias anno 330. legemque tulit lapideæ columnæ inciſam, ut nova Roma appellaretur: & Thracia Romania dicta, ut & nunc Turcis *Romeli* dicitur. illius ambitus nunc

ad 18. millia paſſuum extendunt aliqui, alii ad 15. partes præcipuæ ſunt Prætorium ſive regię ædes, ubi Turcarum rex habitat, vulgò *il Serraglio*: inſtar urbis opus eſt, ſed antiquis turribus vix munitur:ibi palatium, & horti & *Hanſa*, ut aiunt barbari, ſive Theſaurus. Prætorianorum ingens numerus: qui hic etiam educantur, & in ingenti campo ſe Martis operibus exercent. eſt etiam inſigne Gynecæum, ubi regis concubinæ. intra palatium intrare ſine Præfecti facultate capitali pęna vetitum: Non longe à Prætorio eſt Templum à Iuſtino cœptum, à Iuſtiniano complecum, ac Divinæ Sapientiæ dicatum, dictumque *S. Sophia*, à Turcis profanatum poſt captã urbem, inque Moſchæam verſum, ubi Othomani reges tumulantur. Cæterum opus ſuperbiſſimum ampliſſimum, & ditiſſimum fuit, nũc à Turcis neglectum, & magna ex parte deturpatum.

In angulo Occidentali ad Ptopontidem eſt caſtrum quadratum ſeptem turribus munitum; unde nomen accepit. hic aſſervatur ſacer theſaurus, qui non impenditur niſi in ſacrum bellum contra Chriſtianos, hac in arce anno 1648. Ibraimus Imperator ſtrangulatus. reliqua ædificia olim ſuperba pro maieſtate Imperii Romani, nunc humilia, & ut plurimum ex ligno. Cæterum Imperium Orientis à Conſtantino Magno fundatum duravit varia fortuna in Græcis, uſque ad annũ 1204. quo diſſidentibus duobus Imperii collegis Iſacio Angelo, & Alexio filio, Latini Principes fęderati capta Conſtantinopoli Balduinum Flandriæ Comitem Imperatorem crearunt. At à Græcis in Aſia Theodorus Laſcaris Imperator creatus, qui Nicææ in Bythinia ſedem fixit: proſpereque contra Turcas pugnavit occiſo propria manu illorum rege. hic autem mortuus eſt anno 1222. an-

no

no autem 1261. Capta à Græcis Conſtantinopolis. At barborum res in dies creſcebat: annoque 1453, ſub Conſtantino Palæologo, capta à Mahumete II. urbs eſt, deſiitq; Orientis Imperiũ, quod per MCXXIII. annos duraverat: & quemadmodum Occidentis cęptum in Auguſto, in Auguſtulo deſiit; ita Orientis in Magno Conſtantino inceptum, in parvo interiit.

CAPUT XXIV.

De Imperio Turcico, & Gentis origine, ac moribus.

TUrcarum gens Scythicæ originis, quæ olim ultra Caucaſum, & Volgam ad Septentrionalia Caſpii maris habitabat, ſic autem dicta, quod ſylvis abdita, ac ferina victitans, diu reliquis pòpulis obſcura latuit, ut ait Chalcondyles lib. 1. Innotuit primo Europæis anno 625, cum ab Heraclio Imperatore evocata, contra Choſroen, & Perſas pro Romanis militavit. mox per Caſpias portas, quà venerat, in patriam rediit. non multo poſt iterum erupit in Perſidem, cumque Saracenis, qui illam obtinebant, diù, atque acriter decertavit. tandem, Saracenis pulſis, Perſide potita eſt: hauſitque à victis populis Mahumeticam ſuperſtitionèm, cum antea ſimulacra coleret. Inde in Syriam, Cappadociam, & Ciliciam ſeſe effudit, inque ſeptem regna diviſæ gentes. quorum florentiſſimum Caramaniæ, cuius ſedes Iconii fuit. Anno autem MCCLVII. quidam *Zich* nomine, vel, ut alii ſcribunt, *Schac Othrogúlis*, viam Imperio ſtravit, occupatis aliquot locis in Cappadocia. huic ſucceſſit filius *Othoman*, ſive *Oſman*, qui regnum invaſit anno 1288. in cuius deinde poſteros reliqui Turcarum principatus confluxere, derivavit-

que Othomanorum nomen. Hic animi magnitudine præſtans totam Cappadociam primò occupavit, mox à Græcis regulis diſſidentibus vindex Numinis evocatus, ipſos ſumma vi adortus Galatiam, Phrygiam, Bithiniam, ipſamque regiam Pruſiam deditione cepit, ſedemq; regni ſui conſtituit, in qua obiit regni anno 29. ætatis 69. Chriſti 1327. alii hunc bello cæſum tradunt ſine liberis: alii Orchanem, ſive Urchanem illius filium faciunt, qui patri ſucceſſit: & certantibus inter ſe ſummis odiis Cantacuzenis, & Palæologis, Myſiam, Lycaoniam, Cariam, Helleſpontum, Phrygiam, omnemque fere Euxini oram occupaſſe. hoc anno 32. regni, Chriſti 1358. extincto, filius Amurathes ſucceſſit, qui primus copias in Europam tranſduxit Chriſtianis navibus uſus, ſtatimque Callipolim occupavit, mox Hadrianopolim, in quam ſolium tranſtulit: obiitque anno regni 32. Chriſti 1389. Patri ſucceſſit Baiazethes, omniũ ferociſſimus cognomento *Childerim*, nimirum fulgur. hic Mæſiam, Bulgariam, Macedoniam, Theſſaliam, Atticam Imperio adiecit: pluribus annis Conſtantinopolim obſedit. movente vero bellum Tamberlane Scytha, obſidionem ſoluit: inque hoſtem movit, à quo acie victus, ac captus eſt, 200. mill. Turcarum cæſis. ipſe cavea ferrea incluſus mærore interiit. uſque adeo verum magnas interdum fortunas magnis calamitatibus tumulari. regnavit annos 14. Illius filius quintus natu Iſazebeles ſe regem dixit. at hoc, quem etiam Calepinum dicunt, à fratre occiſo, Solimanus regnum invaſit. hoc rurſus à fratre Muſa ſublato, ipſe ſucceſſit. mox Mahumetes Muſa Fratre interempto. hic poſtquam regnaſſet annos 8. fato conceſſit anno Chriſti 1421. Patre defuncto, regnum cepit Amurathes II. qui copiis per Hel-

leſpontum traiectis Theſſalonicam Venetis eripuit, inque Hungaros, & Polonos movens, eos, & Ioannem Hunniadem Ducem fortiſſimum Varnenſi prælio profligavit. Croiam Scanderbegi regiam obſedit, ſæpiuſque à bellicoſiſſimo Duce deriſus, obiit ex mærore anno 1451. poſtquam 30. annos regnaſſet. Huius filius Mahumetes II. infauſtum Chriſtianis nomen in ſolium aſcendit, hic duo Imperia evertit, Conſtantinopolitanum anno. 1458. 29. Maii Feria 3. Et Trapezuntinum, capto Davide Comneno, atque interempto. præterea 13. regna, urbes 200 expugnavit. Taurunum Hunniade propugnante fruſtra obſedit. cepit mox Corinthum, Lemnon, Mytilenem, Eubœam, Venetis eiectis, & Theodoſiam, ac Peram, Genuenſibus pulſis. Rhodum tamen fruſtra obſedit. Hydruntum cepit, mox amiſit. obiit tandem innumeris palmis clarus anno 1481. ætatis ſuæ 58, poſtquam imperaſſet annos 31.

Baiazethes II. minor natu à prætorianis electus patri ſucceſſit: atque ob id Zoſimus maior natu in Italiam fugit, ubi dum fruſtra Chriſtianorum arma expectat, deceſſit. ille Venetis Dyrrachium, Naupactum, Methonem eripuit. tandem ſenex, Prætorianis inſtantibus, ſeſe regno abdicavit. Cui Selimus ſucceſſit anno 1517. qui triennio, quo regnum tenuit magnas res confecit: ſiquidem Syriam univerſam, atque Ægyptum, tribus præliis Mammalucis profligatis, eorumque rege Tommambaiſo ſuſpendio necato anno 1517. ipſe paulo poſt carbone peſtilenti ſublatus eſt, ſic vices rependente Numine. Solimanus filius in regnum ſuffectus anno 1520. qui ſequenti anno Taurunо expugnato, regnum feliciter auſpicatus eſt. Secuto item anno Rhodum deditione accepit. Budam anno 1526. quo Viennam obſedit; ſed properante

N 5 Ca-

Carolo V. re infecta diſceſſit: neuterque alterius fortunam tentare auſus eſt. Melitam item fruſtra per Pialim Ducem obſedit. Arabiam occupavit, miſſis etiam claſſibus per mare Rubrum, Indiam tentavit. Demũ anno 1566. octogenarius, cum Sigethũ obſideret, interiit, poſtquã regnaſſet annos 46. quod nulli Othomanorum contigit. Selimus II. Patri ſucceſſit. hic Cyprum, Muſtapho Duce, Venetis eripuit anno 1571., at anno 1573. ingenti clade ad Naupactum profligata eius claſſis. ſequenti anno apoplexia interẽptus eſt. Succeſſit Selimo filius Amurathes III. huic Mahumethes III. iners: & mox Achmetes, qui deceſſit relicto Oſmano impubere: quare Prætoriani Muſtapham Achmetis fratrem ſalutarunt, qui quoniam ſtolidus, & ſolitarius gradu deiectus, inque carcerem detruſus, ſalutatuſque Oſmanus ingentis animi adoleſcens. hic ingentibus copiis in Polonos movit: verum fuſus à Ladislao, à Prætorianis laqueo præfocatus, cum V. annos imperaſſet. eductuſque iterum Muſtapha, iterumque excluſus. illud documento ſuo comprobans: haud intrudi oportere, qui ſemel indignus imperio ſit habitus, quando naturæ vitium nequeat tempus corrigere. Subſtitutus Amurathes IV. Oſmani frater, qui obiit ex crapula, & nimio vini hauſtu. Hoc extincto Ibraimus regnum accepit, qui cum regnaſſet annos XV. à Prætorianis ſtrangulatus interiit. Cretam invaſit, ac primo Impetu Cydoniam cepit: eripuit etiam Coſaccis Tanam *Aſach* ad Tanais oſtia.

Patri ſucceſſit Mahumetes IV. annorum 14. anno verò Chriſti 1655. Cretam deditione cepit, pacta cum Venetis pace. Kaminecium cum Podolia occupavit, & Neoſolium in Hungaria. Viennam Cara Muſtapha Duce obſedit, ex qua non ſi-

ne ſtrage receſſit, verſaque,ut aſſolet, fortuna multis iteratis cladibus totam pene Hungariam amiſit,& Peloponneſum. ipſeque de gradu deiectus, ac Solimanus III. frater in ſolium à Prætorianis evectus anno 1689.

Cæterum Othomannorum Imperium, quod continua ſucceſſione in legitimos hæredes tranſit. eſt abſolutum, & deſpoticum: & non niſi penes reges poteſtas, & arbitrium eſt. unus ipſe dominus:reguli, ac principes nulli, nulli tituli,ac dominia,quo maxime ad Romanam,ac veram Rempublicam accedit. & quamvis Rex dominus unus ſit,habet privatus quiſque bona ſua,ſuas fortunas, quas in liberos liberè tranſmittat:quod ſecus evenire per ſummam calumniam aliqui tradiderunt. Sunt tamen quędam ruſtica dominia,Tamariatus appellant, certa nimirum agrorum portio ſingulis attributa tali onere, ut certum equitum numerum quiſque Tamariota in bellum conducat, ut à præfectis juſſum fuerit: horum tum in Aſia, tum in Europa ingens numerus.

Turcæ ita Mahumetem colunt, ut cenſeant poſſe etiam Chriſtianos ad ſalutem pervenire. Chriſtumque tamquam Prophetam venerantur. nullum Chriſtianorum Mahumeticam ſuperſtitionem amplecti cogunt, muneribus tamen afficiunt, ſi quis ſponte ſua ſuperſtitionem profiteatur. eſt tamen Turcis capitale ad Chriſtum tranſire. Iuſtitiæ tenaces; hinc furtum, homicidium, adulterium ſevere puniunt. attamen præpoſteræ libidini ita indulgent, ut ne fæminæ à fæminis abſtineãt. Licitum cuique tot concubinas habere, quot alere poteſt. id verò rarum:uxorem ipſi dotant: dotem non repetunt.hinc ingens litium ſeminarium funditus eradicant. Literarum rudes,& olim barbari,nunc Europæ cœlo non parum moli,

liti, atque exculti. hoc verò factum, ut de antiquo robore, ac virtute multum amiſerint; bellicoſi enim ſemper fuere, ac laborum patientiſſimi, inque tutandis arcibus conſtantiſſimi, quod vel hoc ævo præſtarunt. Prætoriani milites, quos *Iannizaros* vocant pedeſtris militiæ robur olim invictum. hi à Mahumete II. inſtituti: Suntque Græcorum liberi, quos tributi nomine à ſinu matrum abſtrahunt, ſummaque diſciplina educant. ab hoc tributo immunes Conſtantinopolitani, Rhodii, ac Chii.

Purpuratorum primus, qui ſecundus à Rege imperium moderatur Magnus *Vizir* dicitur. hic ſenatui præeſt, Divanum Turcæ vocant. in quo alii purpurati aſſident etiam Vizires dicti. Eſt etiã ſumma authoritas præfecti maris, quem Capitaneum Baſſam nominant. Præfectos Provinciarum Belierbegos vocitant, & Baſſas. inter hos præcipui, qui Romeliæ toti Græciæ, Thraciæ, Mœſiæque utrique imperat: Et Anatoliæ, qui magnæ minoris Aſiæ parti præeſt.

Turcæ ſunt robuſti, proceri, viriles, & ſinceri. apoſtatæ verò mendaces, ac infideles. utpote, qui apoſtaſia maximum infidelitatis documentum dederint. præterea etſi inter ſe urbaniſſime agant, Chriſtianis tamen obſtẽtant quamdam ferociam, gravemque ſeveritatem. Tellus fere inculta, & populorum infrequens ob continua bella, & in Chriſtianas oppreſſiones, qui malunt terram non colere, quam cultam aliorum utilitati cedere: eſt etiam frequens malum peſtilentia, qua ingens hominum multitudo perit.

* *
*

LIBER V.

CAPUT I.

De Aſia Nomine, ſitu, magnitudine, ac diviſione.

TRaiecto Helleſponto, ex Europa in Aſiam ingredimur: quam etiam ab Arctico latere, Tanai tranſmiſſo, petimus. Hæc prima humani generis parens, ac terrarum omnium nobiliſſima: hæc in cæteras Mundi partes ad inhabitandum gentes immiſit: ritus, ſacra, mores, rationemque vivendi reliquas docuit, hæc prima fundavit Imperia, & quas diviſerat rurſus in unius dominationis nexu copulavit: Hæc Deum ipſum humana ſpecie in terris vidit, atque educavit. Dictam Aſiam plures volunt ab Aſia Nympha, Oceani, & Tethyos filia, Iapeti coniuge: quod quidem minori Aſiæ attributum, mox toti commune factum: alii verò ab Aſio Manei Lydi filio nuncupatam ſtatuunt. Eius fines ab Arctico polo Oceanus Scythicus, ſeu Glacialis: ab Oriente Oceanus Eous, ſivè Sinenſis; à Meridie Indicus Oceanus: ab Occidente Arabicus ſinus, Iſthmus, quo Africæ iungitur: Mediterraneum mare, Ægæum Helleſpontus, Propontis, Boſphorus Tracius, Euxinum, Mæotis Palus, Tanais amnis, & Obys flu-

flumen, quibus ab Europa diſcluditur. Aſiæ fines ſic breviter complexus eſt Homerus:

Hunc latè triplici contingens litore vaſtus
Alluit Oceanus, Zephyris adverſa tenetur
Inclyta yrorum tellus Aſiaque minoris
Portio & antiquo notiſſima carmine Colchis.

Situs eius eſt inter Meridianum 55 qui per Helleſpontum tranſit, & 194 per eſtremum Orientalis Scythiæ promontorium ductum, inter parallelum Borealem 71, & ſeſquialterum ab Æquatore. Quare poſitu ſuo totam Zonam Temperatam Borealem, totam fere Torridam cis Æquatorem, & partem frigidæ occupat: maior illius longitudo ab Helleſponto ad Malaccam ſtatuitur à Cluverio Mill: Germ. 800. Italicorum ſcilicet terMCC. latitudo autem ab Arabici faucibus ad ultimum Scythiæ promontorium *Tabin* mill: Germ: DCCXX. Ital. bisMDCCCLXXX.

Aſia olim univerſa in Minorem, & Maiorem dividebatur: Minoris partes, Phrygia, Myſia, Lydia, Caria, Æolis, Ionia, Doris, Rhodus inſula, & Sporades. Maioris verò hæ ſunt: Sarmatia Aſiatica, Scythia Aſiatica, Serica, Sinæ, Indiæ, Inſulæ ad Indias pertinentes: Gedroſia, Carmania, Drangiana, Arachoſia, Sogdiana, Parapamiſis, Bactriana, Hyrcania, Margiana, Parthia, Perſis, Suſiana, Media, Albania, Colchis, Iberia, Armenia, Meſopotamia, Aſſyria, Babylonia, Arabia, Syria, Palæſtina, Phœnice, Cilicia, Cappadocia, Galatia, Pontus Bythinia, Pamphylia, Licia, & Cyprus inſula. Hac ætate in has partes Aſia diſtribui poteſt, Imperium Turcicum, Arabiam, Perſiam, Indiam, Sinarum Imperium, & Scythiam, ſeu Tartariam, Imperium Turcicum continet univerſam Aſiam minorem, uſque ad Euphratem extenſam. Syriam, Meſopotamiam, Caldæam, Armeniæ Maioris, & Aſſyriæ

par-

partem. Colchis, & Iberia vectigales illius ſunt. Inſulas verò Cyprum, Rhodum, & Sporades. De his ſingulis regionibus iam diſſerendum.

CAPUT II.

De Minore Aſia latiſſimè accepta.

TOta hæc regio inſtar peninſulæ protenditur, cuius fines ab Oriente Euphrates, & Maior Armenia, à Septentrione Colchis, Pontus Euxinus, à Meridie Amanus mons, quo à Syria diſterminatur, Virgineumque mare: ab Occidente Ægæum, & Propontis. Hic terrarum tractus minorum ætate Anatolia, & Natolia, ab una illius parte Anadole, vocata eſt, quia ad Orientem Thraciæ poſita ſit: regiones olim in ea inſigniores Cappadocia, Galatia, Paphlagonia, Pontus, & Bythinia, Cilicia, Pamphilia, Lycia, Aſia minor propriè dicta. Montes Taurus, & Antitaurus. Taurus omnium, quotquot in Aſia, nobiliſſimus: è Lycio mari ortus univerſam Aſiam ad extremos Indos uſque ſecat: variis dimiſſis hinc inde veluti ramis in diverſas gentes excurrit: totamque Aſiam in duas partes findit: quarum quæ ad Septentrionem ſpectat intra Taurum dicitur: quæ ad Meridiem extra Taurum: à Cilicibus *Caramàn* hodie vocitatur. Antiquis verò in Lycia Cragus *Monte di Gorante*, de quo Ovidius:

Iam Cragon, & Lymiren, Xanthique reliquerat undas.

Huius ſoboles eſt Chimæra ignivomus mons; unde fabula triformis monſtri:

Quoque Chimæra iugo mediis in partibus hircum,
Pectus, & ora Leo, caudam ſerpentis habebat.

ferunt enim in vertice Leones habitare: in mediis, ubi paſcuis dives, Capras: in radicibus Draco-

nes In Pamphilia Coraceſius ab urbe *Scandiloro*. in Minori Armenia Antitaurus incolis *Munzarrum* Fluvii celeberrimi Sangarius *Zagari* ex Phrigiæ montibus Dindymis, inque pontum fluens. de hoc Claudianus in Eutropium.

Dyndima fundant
Sangarium, vitrei puro qui gurgite Galli.

Halys barbaris *Caliſiomàr*, & *Aytoza* ex Tauro ortus in Amiſenum ſinum *Golfo di Sinòpe* delabitur. Iris *Caſalmàch*, qui auctus Varo, Ecrauro, & Lyco juxta Amaſiam in eundem ſinum irrumpit, de utroque Flaccus.

Tranſit Halys, longiſque fluens anfractibus Iris.

Cydnus *Caraſu* ex Tauro item oritur: inque Cilicium mare ruit juxta Tarſum: in hoc lavit Alexander: deque illo Tibullus:

At te, Cydne, canam, tacitis qui leniter undis
Caruleus placidis per uada ſerpis aquis.

Mæandrus *Madre* ex Aulocrene fonte in majori Phrygia natus adeò obliquè fluit, ut in ſe ipſum recurrere videatur: flexioneſque faciens DC, ſi Dioni Pruſæo credimus, in Ægæum cadit: hinc non ſolū gyri Mæandri appellati, ſed ſubdola conſilia, & obliqua: ſic Cicero in Piſonem, & Prudentius in hymno ante ſomnum.

O Fortunate ſerpens
Qui mille per Maandros
Fraudeſque ſilexuoſas
Agitas quieta corda.

Hermus *Sarabàt* ex Phrygia item ortus, Pactolum excipit aureum aureus, inque Ægæum juxta Smirnam fluit: hinc qui magnas oſtentant opes Pactolos polliceri dicuntur: de Primo Virg:

Nec pulcher Ganges, aut auro turbidus Hermus

De Secundo Ovid:

Pactolumque petit, quamvis non aureus ille
Tempore.

Cay:

Cayſtrus Ioniæ fluvius, ex Phrygia exoriens juxta Epheſum ruit, vulgo *Chiày*, cycnis nobiliſſimus, ut ait Poëta:

Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.

Melas ex Argæo monte ortus per Armeniam minorem ſerpens in Euphatem ſe exonerat: *Genſui* barbaris dici tradunt. Euphrates ipſe, qui terram diſterminat à maiore Armenia, de quo alibi.

Aſia minor propriè dicta, habet à Septentrione Pontum, & Bythiniam, ab ortu Galatiam, à Meridie Lyciam; ab Occaſu Ægæum. illius Provinciæ Phrygia minor, & maior, Myſia, Lydia, Caria: & quæ in litora Græci inhabitarunt, Æolis, Ionia, Doris. Phrygiæ minoris, quæ & Troas, urbes Iliũ, ſive Troia, non tam decenni Græcorum obſidione, & excidio, quam Homeri carminibus Inclyta, Troas Alexandri. *Elki Stambol.* Maioris Phrygiæ populi Olympeni, Moccadelii, Cydiſſes, Gipetini, Moriani: urbes vero Synnada *Sinada* urbs olim Archiepiſc: cui XX. urbes Epiſcop: ſubérant huius meminit Claudianus:

Marmore, purpureis cædit cui Synnada venis.

Apamea, quæ & Cibotos, & Celænæ à Seleuco condita ad Marſyæ & Mæandri confluentes *Apamiz*, Maioris Myſiæ, quæ inter utramque Phrygiam iacet: populi Olympeni, Trimenothuritæ, & Myſomacedones, mons nobilis Olympus, urbes Antandros, Adramitium *Landramiti*, Pergamus, *Pergamo*. Minoris verò, quæ Helleſponto, & Propontide alluitur urbes Cyzicus, Lampſacus barbaris *Lepſeke* ad Granicum amnem ſita, ubi Priapus colebatur: hinc Ovidius:

Et te ruricola, Lampſace, tuta Deo.

Granicus *Laczára* ab Ida Myſiæ mõte ortus in Prontidem fluit, hic primum non procul à Cyzico Alexander 32. peditum millibus equitibus

400.

400. Perſas profligavit: cæſaque in pugna 600. millia Perſarum. da Paridis iudicio, & amoribus ipſius, & Oenones celebris. Sunt etiam oppida Abydus, & Dardanum.

Lydiæ, cuius altera pars Mœonia, urbes clariſſimæ Thyatira ad lycum amnem *Tyre*, Sardis ad Tmolum montem, Crœſi regia: Archiep: *Sardia* tota pœne diruta. Dicitur etiam in plur: Sardes, quarum meminit Ovid:

Vade, ait, ad magnis vicinum Sardibus amnem.

Philadelphia, Epiſ: ſub Sardiano: nunc ipſa metropolis, antiquum nomen retinens.

Cariæ urbes Trifolis, Laodicea, Archiep. ſub qua 12. Urbes Epiſc: *Laudichia*, barbaris *Nove Lesche*, Authiochia, Magneſia ad Mæandrum, in litore Miletus dives olim, ac potens Græcorum urbs, & Myndus.

In Æolide urbes olim Cuma, Phocæa *Focchie* Elea. In Ionia Smyrna, Clazomenæ, Iebedus, Colophon, *Belvedere*, aliis *Altobaſſo* & Clarii Apollinis, & Homeri natalibus inſignis. Colophonium aurum: nimirum probatiſſimum: Colophonium ſuffragium, pro plurimum valente, quod penes illos victoria, quibus Colophonii opem tuliſſent: hinc & Colophonem addere derivatum: hoc eſt ſummam rei manum imponere. Epheſus omnium clariſſima, in qua Dianæ templum, Amazonum opus adeo magnificum, ut Xerſes cum omnia Aſiæ Fana igni dediſſet, uni huic pepercerit: at Heroſtratus, ut memoria ſceleris nomen extenderet, incendio deſtruxit, Archiep: item & Oecumenico Concilio nobilis nunc tota pene cum inſtaurato ab Epheſiis templo in ruinis iacet. In Doride Halicarnaſsus *Meſi*, & Gnidus Archiep: *Stadia* huius meminit Ovid:

Piſcoſamq; Gnidon, gravidamq; Amathunta metallis.

cæte-

Cæterum Aſiam minorem hoc ævo Barbari in tres partes ſecant *Chintaie, Sarchàn, Germian*. Myſia eſt Anatolia preſſe accepta.

Sequitur ad Meridiem, & Orientem Lycia, *Aldinelle*, cuius urbes Patara, Andriace, Telmeſſus: & Myra plurali numero Metropolis, *Strumita*: urbs Archiep: ſub qua 36. urbes Epiſcop: in hac Chimæra mons, de quo dictum. Ulterius ad Orientem Pamphylia *Menteseli*: quæ à Septentrione Galatiam, & Taurum habet, à Meridie Pamphylicum mare, ab Ortu Ciliciam: regiones in ea Carbalia, & Pyſidiæ pars: altera eſt in Galatia. Pyſidæ antea Solymi appellati, urbes inſignes Seleucia *Celeſtria* barbaris *Carazasàr*, Side, Antiochia Pyſidiæ Archiep: Pyſidia Barbaris *Verſacili*. urbs *Verſacgeli*. Termeſſus, & Perga. *Pergi*, huius meminit Dionyſius Afer:

Corycus, Pergeque calens, & celſa Phaſelis.

Cilicia inter Taurum montem, & mare Ciliciū longo tractu extenditur ad Amanum uſque *Caramania*: urbs princeps Tarſus D. Pauli Apoſtoli natalibus clara, dictam ab audacia Dionyſius vult.

Flexilis, & Cydnus dirimit qui flumine Tarſon,
Cui nomen poſuit audacia Bellorophontis.

Sed ſi ita per h. ſcribi debet. condita eſt à Sardanapalo LX. annis poſt Romam, ut ait D. Iſidorus, at ut affirmat Trogus à Perſeo, ad Cydnum ſita eſt Archiepiſc: Turcis *Terſis*; incolis *Teraſſo*. reliqua oppida Selenus, Pompeiopolis, ante Solæ, Mallus, & Iſſus *Laiazzo* ex qua ſinus Iſſicus, *Golfo di Laiazzo*.

Sed tempus, ut tranſmiſſo Tauro in Minorem Armeniam intremus: quæ ab Oriente Euphratem, ab Occidente, & Septentrione Scordiſcum montem, à Meridie Amanum habet: mediam vero ſecat Antitaurus, barbaris *Pegian*, & *Bezoch*

nunc

nunc dicitur: in qua olim regiones Orbaliſſene, Ætulane, Ærethica,Horſene,Orbiſene, item præfecturæ Cataonia, Morimene, Laviana, Aravene, Urbium principes Satala,*Palli*,Nicopolis,Melitene,Archiep: *Melatia*. Comana, Arminacha,ubi Bellona colebatur.

Cappadocia,quæ nunc quatuor regiones complectitur *Genech*,*Suas*, *Anadole*, *Amaſiam*, terminatur ab ortu minori Armenia, à Meridie Cilicia, ab Occaſu Pamphylia, & Galatia, à Septentrione Euxino, & Colchide. regiones in ea Lycaonia, Themiſcyrene,ZeliticaCarmarene,Gargarauſene, Gargauritis, AnthiocheneTyranis. Gens Heniochorum magna, & multis nominibus diſtincta. Urbes inſignes Comana cognomento Pontica,ad Irim fluvium *Tabacbzan*. Neocæſarea *Tocàto* concilio nobilis. Sebaſtia *Sauſtin* Archiep: ad Argæū montem, Sebaſtopolis *Suas* Cæſarea,quæ & Mazaca,*Tiſariah*,Iconium *Cogni*,& *Cogniah*, Amaſia,*Amnaſan* Strabonis Geographi nobiliſſimi natalibus, & Archiep: inſignis,Tyana, Laranda, Trapezus *Trebiſonda*, Themiſcyra *Temir*, Amazonum regia ad Termodoontem.

Galatia inter Cappadociam, & Phrygiam maiorem iacet, à Meridie Pamphylia eſt, ab Arctico litore Pontus Euxinus, nunc duæ partes *Roni*, & *Chiancare*. à Gallis appellata, qui, Roma incenſa, in hæc loca devenere Græcis immixti incoluere: hinc & Gallogræcia dicta veteribus fuit. Antea Phryges, & Paphlagones habitabant;quorum nomen in Superiori parte manſit ubi Paphlagonia: in qua Heneti populi; unde in Italia Veneti orti erant:ad Meridiem Iſauria cuius Iſaura urbs & Pyſidiæ pars,populi nobiliſſimi Chalybes, Trami, Proſerliminitæ, Byceni, Orondiei: & Gallorum gentes Tectoſagæ : quorum Ancyra *Angùri* Archiep:

chiep: & Concilio inſignis. Toliſtobogii, Vaturi, & Ambiani: urbes inclytæ Teuthrania, Sinope Mitridatis cunis, & Sepulchro nobilis: qui rex Ponti appellatus, namque hæc regio circa Pontum, Pontus etiam dicta eſt. Amitus, *Amid*: Archiep: Peſſinus, quæ & Cybele, ex qua Romani Deorum matrem advexere. *Poſſene*, Therma, aliæque.

Pontus, & Bythinia hæc ad Occaſum, illa ad ortum in unam provinciam coaluere: quæ à Septentrione Pontico mari, ab Occaſu Propontide abluitur. populi in ea clari Chalcedonii, Mariandini, Caucones, Sygiani. urbes Calcedon *Kaducùr*, aliis, *Scutari* Byzantio adverſa, Nicomedia *Comedia* barbaris *Iſnigìmid* olim nobiliſſima, & Archiep: nunc pene deſerta. Heraclea ab Hercule condita *Penderach* ad Sangarium amnem. Nicæa *Iſnich* in qua anno 324. primum Concilium univerſale contra Arium habitum: ad Aſcaniam paludem ſita: hinc Exercitus Turcarum in Perſas movens LIV. caſtris ad Artaxata Armeniæ *Teflis* perveniſſe perhibetur. Pruſias, *Burſia*, Othomannorum ſedes antequam in Europam tranſirent. & tandem Libyſſa Annibalis interitu, & tumulo nobilitata.

CAPUT III.

De Anatoliæ nova diviſione, & ſtatu.

Nobiliſſima hæc totius Aſiæ terra, in qua tot olim gentes, tot regna, tot florentiſſimæ urbes immenſis opibus, atque armis viguere: quæ & Martis paleſtra, in qua Persæ primum, mox Græci, deinde Romani ſe exercuere, tota noſtro ævo à barbaris devaſtata, deſerta penè iacet: nec niſi raræ urbes, infrequentes populis rariſſimæ viſuntur opes:

opes: literæ,diſciplinę, inſignia veteris gloriæ monumenta barbarie obruta, & contumulata iacent. In VI. Provincias ſeu Belierbeyatus Turcæ partiti ſunt, Anatoliæ, Caramaniæ, Sebaſtopolitanæ, *Suuas*, Armeniæ, *Maraſch*, Trapezuntinæ, & Ciliciæ: quæ Satrapia Cypro adnexa eſt. Anatoliæ Satrapia continet Minorem Aſiam, Bithyniam, Galatiam, Lyciam, Pamphyliam, Pyſidiam, Paphlagoniam Belierbeyus reſidet in urbe Cotyæo, *Chiutaie*. huic ſubſunt 45. minores Præfecti, *Sangiaci* barbaris dicti. Caramaniæ Satrapia continet partem Cappadociæ, & Licaoniam caput Iconiũ *Cuniàh*: urbs in campeſtri ſita, ampla & olim Archiep: inſignis: mox regia unius ex Turcarum regibus: qui ab Othomanis victo ac deleto, illis ceſſit. Satrapę, qui hic ius dicit 7. Præfecti ſubſunt. Eſt in hac Cœnobium inſigne Turcarum, ubi Derviſcorum Abbas reſidet cui 400. huiuſmodi religioſorum parent: Cæterum genus hoc hominum, infame, liberum, quod ſub prætextu ſimulatæ ſanctimoniæ in vitium omne prolabitur. Sebaſtopolitana continet aliam partem Cappadociæ ad mare Euxinum *Suuas* caput: cui ſex Præfecti parent. Armeniæ caput *Maraſch* Turcis *Zulkadria*: huius Satrapiæ quatuor minores Præfecturæ. Trapezuntinæ caput Trapezus, Turcis *Taraboſſan*. huic nullus ſubeſt: reliquam continet Cappadociæ partem. Urbs Trapezus Sinopenſium colonia ſita ad mare in confinio Maioris Armeniæ, & Colchidis portu inſignis: olim munitiſſima, nunc arx extat in colle ædificata. hanc Laſcara gens Imperii caput conſtituit anno 1261. cui Imperio Cappadocia, & Colchis paruerunt. manſit per annos 200. cum ſub Davide capta eſt à Mahumete II, & miſere devaſtata: anno 1460. De hac urbe Homerus:

Ver-

Vertice montano Trapezus incluſa receſſit.

Præter has urbes celebres etiam ſunt ad Euxinum *Amasia, Sinòpe, Iſaich*, ad Euphratem *Malatia*, & ad Mediterraneum *Tarſo* ſedes Sangiaci Ciliciæ. *Scalamura*, & *Satalia:* olim Attalia tapetibus nobilis: hinc Attalici textus. ad Ægæum *Smirna* Emporium totius Aſiæ celeberrimum, in buod ob inſignem portum omnes fere Europæi è mari conveniunt: è mediterraneis Armeni penes quos negotiatio. hæc à Tauſalo ædificata dicta Naulochos: mox ab Amazone *Smyrne*, Smyrna: Homeri patriam multi volunt. hinc Luc.

Quantum Smyrnæi durabunt vatis honores.

Quo ad cęlum. ſolumque attinet: aër temperie placidus: ſolum fœcunditate nobile: præcipue circa ripas fluviorum: quibus paſſim irrigatur: & in vallibus, ubi paſcua: & greges innumeri: Cilicia olim adeo ferax, ut nulli cederet: paſſim arbores fructiferæ; & amœniſſimæ ſylvæ viſuntur. Merces: Pelles, quas Neoceſaræ laudatiſſimas conficiunt, Goſſypium, Lana, Tapetes, & Textilia caprina laudatiſſima, quæ per varias provincias aſportantur. Indigenæ, & ſi ingenio polleant, rudes tamen ob neglectum literarum: & moribus corruptiſſimis, exemplum præbentibus Urbium præfectis: qui, ut plurimum apoſtatæ. cultus veſtium talis, talaris tunica, & curtus pileus. Quoniam verò tria hic hominum genera tres religiones, Turcæ Mahumetani, rerum domini, Indigenæ Chriſtiani Schiſmatici Græci ritus, præter Armenos. hi Agriculturæ, & paſcendis gregibus vacant. Iudaicam Hæbræi religionem profitentur: penes quos mercatura. Arces in tam longo tractu fere nullæ: nulla præſidia: non tamen gentem ſtimulus libertatis aſſerendæ, vel levis tangit:

git: nimirum longe ſervituti aſſuetos animos conſuetudo ipſa vincit.

Antiqui Aſiæ minoris populi ex Iapetho orti: qui pluribus regnis diviſi diū floruere. poſt hos Perſæ Aſiæ Imperium obtinuere: his ab Alexandro victis ad Granicum primum, mox ad Pylas Amani, tota ad Græcos acceſſit. primus Romanorū Scipio Aſiaticus Aſiā ingreſſus, victoque Anthioco ad Phrygium amnem, illam Romani iuris fecit: deinde ſuperato à Lucullo primum, mox deleto ad Nicopolim Armeniæ Mitridate Ponti rege à Pompeo, totus Aſiæ tractus ad Euphratem uſq; Romanis ceſſit. Hic Mitridates Ponti rex Eupator dictus ſextus fuit à Mitridate I. qui fūdator nuncupatus, quiq; primū à Macedonibus defecit, Pontique regnum inſtituit: fuit autem à Dario, quem Alexander vicit, ſextus decimus.

CAPUT IV.

De Cypro, Rhodo, & Sporadibus Inſulis.

EX inſulis, quæ circa Minorem Aſiam ſunt, principem locum obtinet Cyprus Ciliciæ obiecta in extremo Mediterranei receſſu, inque Syriam ſpectans, à qua Iſſico ſinu dirimitur. inter quatuor præcipuas incluſi maris accenſetur. olim novem regnis inclyta: omnique ævo cœli clementia, terræque feracitate beatiſſima; ut non immerito à Græcis prius Macaria fuerit appellata: dicta pariter Ceraſtis, & Acamantis. Veneri Sacra, ob inſignem incolarum mollitiem. Longitudo inter Dinaretum promontorium, *Capo S. Andrea*, dictum etiam Clides, & Acamanta. *Capo S. Epifanio*, continet millia paſſuum 170. latitudo à promontorio Curias dicto, *Capo della Gatte* ad Acamanta

manta millia paſſuum 70. Veteres in quatuor regiones diviſere: Salaminiam, Paphiam, Amathuſiam, & Lapithiam. Mons celeberrimus Olympus *Monte della Croce*. Fluvii Lycus, & Pediæus, *Pedèo*. Urbes Salamis, ex cuius ruinis crevit Fama Aguſta. Amathus, *Saline*. Paphos *Baffo*, Veneris Paphiæ templo nobilis. Lepithos, quæ & Ceraunia *Cerine*. Hoc ævo totius regni caput Nicoſia, olim ampla, & frequens, ſed poſtquam à Turcis capta anno 1570. penè diruta: cæterum ſolo fertili, & irriguo ſità, olim regum, nunc Satraparum ſede conſpicua, templum maximum *S.* Sophiæ ſacrum, olim Archiepiſcopo, & Sacrorum ritu inſigne, nunc verò Mahumethana ſuperſtitione pollutum. Secunda eſt, Fama Auguſta *Famagoſta*. ad mare iuxta Pediçum ſita, mœnibus, & arce munita, capta anno 1571. Ceraunia, arce, & præſidio clara: Salamis, dicta à noſtris *Saline* à lacu proximo, in quo ſal coquitur. *Larneca* pariter appellatur.

Cœlum etſi indigenis clementiſſimum, Europæis tamen noxium: ſolum aquarum inopia interdum ſquallet. Conſtantini ævo per totos 17. annos non pluit: hinc pene deſerta ab incolis inſula: cum verò S. Helena Hieroſolymis rediens in Olympi vertice templum extruxiſſet, ibique particulam *S.* Crucis locaſſet, adeò uberes ſæcutæ ſunt pluviæ, ut iterum mirificè coli cępta: ac gentibus habitari Abundat tellus frumento, oleo, vino, Sericis, Goſſypio, & æris mira copia, à quo Cypros dicta. Terram Chriſtiani, ſed utplurimum Schiſmatici, & Mahumetani inhabitant. Chriſtiani Italico more veſtiunt. *Cerine*, Baffo, *Saline* urbes Epiſcopales. Primo ævo Tyranni inſulam tenuere: mox Perſæ: quibus ab Alexandro adempta: Poſt cuius obitum Ægypti regibus paruit: ab his

ad Romanos tranſit M: Catone Duce. tranſlato in Orientem Imperio à Græcis recta uſque ad annum 1181, quo, cum in inſulam Richardus Angliæ rex, in Saracenos claſſem ducens, tempeſtate impulſus, & ab ducibus Græcis cum admitteretur, illā vi cepit, & Templariis primum, mox Guidoni Luſignano Gallo Hieroſolymorum regi tradidit: huius poſteri à Genuenſibus eiecti, ab Ægypti Rege barbaro reſtituti. anno 1476. Cornara Veneta regina, tranſit ad Venetos, quos Turcæ depulere anno 1571. De Cypro Poëta.

Tum Belus opimam
Vaſtabat Cyprum, & victor ditione tenebat.

Rhodus etſi amplitudine minor, par tamen claritate nominis, & potentiæ fuit. olim ophiuſa, & Macaria appellata, poſtea à roſarum copia Rhodos vocitata: re maritima celeberrima: ambitu millia paſſuum 120 complectitur: urbes in ea quondam claræ Lindus, Camirus, & Lalyſus, quæ Rhodos nuncupata. urbs vel hoc ætate totius Aſię nobiliſſima: ſita ad mare in plano, ſenſimque in clivum ſurgit, triplici murorum ambitu, geminaque arce munita: duplici portu nobilis, quorum interior in arcum curvatur: in cuius aditu duobus baſibus nixa ſolis ſtatua, Coloſſus dicta, ſurgebat, dextra ſceptrum, ſiniſtra ingenti Pharo noctu navibus prælucebat. Opus adeo inſigne, ut inter ſeptem orbis miracula iure collocatum: author Chares Lindenſis Lyſippi diſcipulus, qui 12. ſolidos annos in tam egregiò opere elaborando conſumpſit: impenſaque 300 talenta, quæ ex apparatu Demetrii regis contulerant: Coloſſi altitudo cubitorum 70. ut tradit Plinius lib. 37. cap. 7. ſecundum verò Marmolium pedum 127. Pollex tam vaſtus, ut pauci illum complecterentur: digiti quavis ſtatua maiores: intus in membris in-

gen-

gentes hiabant ſpecus, perque crura climax, quà ad Pharum accendendam ſcandebatur. naves plenis velis per eius crura intrabant: poſt 56. annum ingenti terræ motu proſtratus, iacens quoque miraculo fuit. ne vero illum reficerent oraculo prohibiti. anno 654. poſt quam annos 1394. iacuiſſet, capta à Saracenis Rhodo, diſtractum, inque Ægyptum translatum, feruntque nongentos Camelos congeſto ære oneratos.

Principio in Reipublicæ formam Rhodiorum res diu ſtetit: & interdum regibus paruit: mox una cum Aſia in Romanorum poteſtatem venit: ſciſſoque Imperio Græcis diu ſubdita: pulſis e Palæſtina Equitibus Hieroſolymitanis hæc illis à Manuele ſedes data: quam ſtatim anno 1444. ab Ægyptii regis ingentibus copiis ægregiè tutati ſunt: & iterum à Mahumete II. Turcarum rege anno 1480: at anno 1522. perfidia cuiuſdam Equitis *Amarát* dicti, poſt edita ab Equitibus rara miræ fortitudinis exempla, Solimano II. ceſſit. Cæterum inſula Cœlo amœniſſimo eſt, ut Soli à veteribus ſacra putaretur: ſolo fertili, & aprico, melle, cera, & fructibus omnis generis abundante. illam nunc Græci, Iudæi, & Turcæ colunt: & quæ optimis literis, & artibus quondam calluit; modo barbarie ſquallet. circa Rhodum inſulæ Syme, *Simia* Chalce, *Carchi*, Limonia.

Sporades, quaſi ſparſæ vocitatæ, ſunt omnes illæ Ægæi maris inſulę, quæ circa Aſiam veluti ſparſim iacẽt: Sunt penè innumeræ: quarum nobiliores recenſebimus. Prima in ipſo aditu Helleſponti Tenedos eſt à Troiano bello celeberrima: de qua Poëta.

Eſt in conſpectu Tenedos notiſſima fama
Inſula dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio maleſida carinis.

Non tamen adeò neglecta; cum propter illius poſſeſſionem, non ſecus ac pro Helena, diù Genuenſes, & Veneti accerrimè decertarint. olim Neptuni templo, & portu, hoc noſtra ætate tantum celebris. Sequitur ad Meridiem Lesbos omnium celeberrima; in qua Pittacus unus ex ſeptẽ Græciæ ſapientibus, Sappho, & Arion Muſicus nati, & ſuperiore ætate Ariandenus Barbaroſſa. urbes in ea olim celebres Methymna *Metelino* ex qua nomen nunc Inſulæ factum. etſi alii à Mitylene altera urbium, quæ vel nunc extat, derivent. urbs hæc in monte exporrecto ad Septentrionem ſita duplici portu, & Archiepiſcopatu inſignis. tellus montibus aſpera, licet ſit fertilis tamen armentorum, & vini: capta à Mahumete II. anno 1464.

Infra Lesbon Chios eſt, non longe ab Aſiæ continente ſita, olim Ætalia, poſtea à Nympha Chios nunc *Scio* dicta. noſtra ætate inter reliquas Ægei maris poſt Eubœam nobiliſſima. à Maſtyce cuius mirè ferax *Sakizadael* à Turcis nuncupatur. Eſt autem Maſtyce Gummi genus albi, quod ex arboribus, quæ Auguſto, & Septembri iciduntur, guttatim erumpit. Inſulã in duas partes partiuntur, ſuperiorem *Aponomoia*, inferiorem verò ad Meridiem *Catamàra* nominant. urbs præcipua inſulæ nomen retinet, elegans, & frequens Græcis utriuſque ritus, qui duobus Epiſcopis ſubſunt, habitatur; Turcæ in caſtro amplo, & munito: portu etiam inſignis: ſolum aridum, rari imbres, aër temperatus: incolæ urbani, & ingenioſi, Homero, ut ferunt, cive nobiles. Perdicibus adeo abundat, ut gregatim alantur à ruſticis, qui eas mane educunt in paſcua, veſpere calami ſono revocant. diù Iuſtinianis à Iuſtiniano Cæſare oriundis, & Genuenſibus paruit; Turcis ceſſit anno 1566. Ad

Oe-

Occidentem eſt Cea inſula, Pſara olim nobilis nunc ob piratas deſerta.

Contra Ioniam eſt Samos, olim Cypariſſia, & Parthenia, Iunoni Sacra, cuius inſigne ſimulacrũ ex marmore fuit. Pythagoræ, Sybillæ Samiæ, & Polycratis patria. urbs Samos frequens, & Archiepiſcopatu nobilis. celeberrima Samia vaſa; unde factum, Vaſa ad Samum. à Iuſtinianis relicta, Turcis ceſſit. Ad Occidentem eſt Icaria *Nicaria*: à qua Icarium mare, in quod Icarus decidit: olim Olyche appellata. montibus frequens, & melle abundat: ad Meridiem huius inſulæ eſt Patmos *Palmòſa* D. Ioannis exilio nobilis: in qua Apocalypſim ſcripſiſſe tradunt, viſiturque antrum ubi illi arcana divinitus revelata.

Cos *Lango* Apellis, Hippocratis, & Eſculapii templo celebetrima, contra Gnidum ſita eſt, oppidum habet *Stanxio* ad mare in collis declivio poſitum, & arce munitum: vino olim abundavit, nunc tota pene inculta. Ad Occidentem ſunt *Calamo* olim Claros, & *Lero*, quondam Leria. prima Clarii Apollinis templo nobilis fuit: utraque Aloès ditiſſima. Ad Meridiem verò eſt Niſyros *Naſſaro* quam à Coo Neptunus tridente abſcidit, cum Polybotem Gigantem viciſſet. in ea mons eſt ignivomus, & lacus ex quo ſal conficitur: Non longe iacet Agathuſa *Piſcopia*.

Amorgus ex ſporadibus Occidentalior *Morgo*, portu inſignis, & Cœnobio D. Baſilii, quod toto Ægæo religioſiſſime colitur. ad Orientem *Zinara*, & *Levita*, olim Lebinthus. Aſtipalæa inter Amorgum, & Carpathum LX. millia paſſuum à Creta diſtans iacet, *Stampalia* Apollinis olim templo tota Græcia celebris: oppidum, ut olim, ita & nunc ab inſula appellatur, infrequens, & arce muni-...: ſolum ſterile, & aquæ pauper. Tandem intem

Cretam, & Rhodum in Carpathio mari eſt Carpathos *Scarpanto*, quatuor olim urbibus nobilis,& à Rhodiis valide munita; media eſt navigantibus Conſtantinopolim Alexandria. Solum fertile: vino, & perdicibus abundat. ab hac mare inter Cretam, & Rhodum Carpathium dictum. cum nulli in Carpatho Lepores, aliunde importati, adeo crevere, ut fruges depopularentur: hinc adagium Carpathius leporem: in eos dictum, qui ſibi noxia accerſunt. circa Caſus *Caſſio*, aliæque ſunt minores inſulæ.

CAPUT V.

De Maiori Armenia, Colchide, Iberia, & Albania, novaque Turcomania, & Georgia.

TRanſmiſſo Euphrate in Maiorem Armeniam tranſimus, tota quondam Aſia nobiliſſimam, cuius termini ad Occidentem Euphrates, à Septentrione Moſchici montes, & Cyrus amnis, quibus à Colchide Iberia, & Albania ſeparatur: ab Oriente Caſpium Mare, & Mons item Caſpius, à Meridie Antitaurus, & Niphates, quibus diſcluditur à Meſopotamia, & Aſſyria. Mediam Armeniam Antitaurus mons ſecat. in ea fontes duorum toto orbe nobiliſſimorum amnium Euphratis, & Tigris ſunt, & nobiles etiam montes Gordyæus, & Pariedrus. Euphrates non longe ab Arziri ex montibus Armenicis ortus urbem ipſam rigat; recipitque Harpagum, & Arſametem amnes in Occidentem currens: mox curſu in Meridiem flexo Armeniam Minorem à Maiori dividit, urbes alluens Zimaram, & Melitenem, juxta quas Arſaniam, & Melam accipit. Deinde à Samoſatha quam alluit Syriam, & Metopotaniam diſtermi-

nat,

nat,mox Arabiam ad Annam:augeturque Marſia, Chabora, aliiſque: tandem infra Seleuciam, & juxta Cteſiphontem Tigri immiſcetur, cum quo in ſinum Perſicum ſe exonerat: *Frat* barbaris dictus. Tigris verò, quem *Tegil*, & *Sir* incolæ, velociſſimus omnium eſt: quare & Tigris appellatus: Tigris enim Medis ſagitta dicitur, ex Armenicis itē montibus in planitie ortus cōſpicuo fonte ab Euphratis ortu ſtadiis 1500. teſte Strabone, diſſito per Gordyæos montes fluit, Meſopotamiam ab Aſſyria dividit, Caldæamque interſecans iuxta Teredontem gemino oſtio in mare devolvitur. ubi totus fluit (nam in Caldæa in plures alveos ſecatur) Paſitigris nuncupatur. principio Arethuſam lacum tranſvectus, occurrente Tauro monte in terram conditur: mox ſumma pernicitate erūpit: rurſuſque Thoſpite lacu emenſo in cuniculos merſus poſt XXV M. paſſuum emergit: hinc Lucanus:

At Tigrim ſubito Tellus abſorbet hiatu.

De utroque fluvio Ovidius ſic habet primo de arte amandi:

Hic eſt Euphrates præcinctus arundine frontem:
Cui coma dependet cærula, Tigris erit.

Eſt etiam nobilis Araxes *Achlar* cuius fons ab Euphratis fonte VI.M.P. diſtat à Media Antropatia Armeniam dividit: Araxes verò à violentia dictus, ut merito Poëta:

Indomitique Daca, & pontem indignatus Araxes.

Armeniæ Maioris hæ regiones fuere Catacene, Bocche, Toraſene, Totene, Colthene, Sodueene, Syracene, Sacatene, Baſiliſſene, Hobordene, Arſea, Acilifene, Aſtaurites, Sophene, Anzitene Thoſpites, Corinea, Gordiene, Cortæa: populi Mardi, & Gordyæ, urbium nobiliſsimæ Armauria, Artaxa-

ta, *Teflis*: urbs vel nunc celebris, ut olim apud Romanos, de qua Lucan:

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Sita eſt ad Araxem amnem; qua Perſico bello Turcæ potiti: mox eiecti. Thoſpia *Tolgic*, à qua Thoſpites lacus, *Gabacu*: Artemita, *Van* ad Ariſſam lacum Turcici iuris munita, & frequens. Tigianocerta *Bithis* nonnullis, aliis perperam *Soltania*, à Turcis arce, & præſidio munita. Colchis eſt ad Septentrionem Armeniç, à qua Moſchicis montibus diſcluditur: ab Occidente Euxinum habet, ab Oriente Iberiam, & Coracem montem Caucaſi ſobolem, à quo Coraxici populi *Cori*: à Septentrione Caucaſum ipſum, *Monte di Circaſſia*, & Armenis *Albſor Nig.* Eſt autem Caucaſus adeo extenſus ut per omnem Aſiam pervagetur. tantis verò rigens ſcopulis, ut proverbium: Caucaſi ſcopuli. horridus, & inhoſpitalis: unde Horatius:

Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
lambit Hydaſpes,

Amnes præcipui Phaſis *Faſſo*, & Dioſcurias, quæ poſtea Sebaſtopolis: Populi Marrali, & Laxæ. Iberia Iberorum clariſſimum ſolum media eſt inter Colchidem, Armeniam, Albaniam, & Caucaſum, quo à Sarmatis ſeparatur: regio Alpeſtris, & horrida: populos habuit Erreticas, urbes Artaniſſam, & Armacticam.

Albania ad Orientem iuxta Caſpium mare eſt, ab Albano flumine, *Terra*, appellata: Nobiliſſimus tamen Cyrus *Kotr* eſt, qui Moſchicis iugis ortus in Caſpium devolvitur, rigatis primum Iberis, Iberoque amne, & Arago accepto. urbium celeberrimæ Albana, *Bachù*, à qua Caſpium mare, dicitur *del Bachù* Alexandria *Drebrent*, ubi Portæ Albanæ, ſive Caucaſiæ Pylæ, anguſtiæ inter Cau-

ca-

caſum, & Caſpium mare Turcis *Demircapi* Ferreæ ſcilicet Portæ à munitione vocitatę. Getara, Ptolemæo Gazara *Zitracu*,& Chabala.

Quod ad Hiſtoriam attinet, Armeniæ regnum, ut & nomen ab Armenio Iaſonis ſocio exordium habuit: crevitque ſenſim Armenorum potentia uſque ad Pompei tempora: quum victus memorabili clade Mitridates rex Ponti ad Tigranem Armeniæ regem confugit. hic profugo in ſocietatem aſcito, in Romanos movit: victuſque pari fortuna à Magno eſt. Qui Tigranem in deditionem acceptum regno reſtituit ademptis belli iure Syria, Phœnicia, Ciliciaque. ex eo tempore in fide, & fortuna Populi Romani Armeni manſere; atque ob id non ſemel à Parthis vexati. Eo etiam tempore Pompeius Mitridatem ultra Caucaſum fugientem perſecutus Colchos, Iberos, Albanos, & Heniochos eodem Fortunæ impetu vicit: primuſque Romanorum in Caucaſum, & Caſpium mare penetravit: Pontumque in Provinciæ formam redegit. Armenii ſub Iuſtino Minore Chriſti Fidem amplexati conſtantiſſimè, atque incorruptè uſque ad annum 1300. tenuere, quum Græcorum erroribus impliciti à Saracenis vexari cœpti: mox à Perſis, in quorum tandem poteſtatem venerunt: ab his ad Turcas inclinante ad hos Fortuna, magna ex parte tranſierunt.

Maior Armenia in *Turcomaniam*, *Curdiſtanam*, *Carasbaganam & Sciruanam*, nunc dividitur. *Turcomania* à Turcis vocata, eſt ad Occidentem juxta Euphratem. illius Metropolis *Erzeràm* urbs ampla, & frequens, arce valida, duplicique murorum ambitu munita ſedeſque barbari Prætoris: domus ligneæ: nec niſi una contignatione aſſurgunt. Reliquæ urbes *Van* ad lacum eiuſdem nominis poſita juxta Montis clivum, arce item ubi Prætor jus-

dicis,probe munita *Aclat* ad Septentrionem eiuſdem lacus, & *Maſcatè*. Curdiſtana ad Orientem iacet, regio montana, & aſpera à Curdis populis nuncupata Hi Heluetiorum inſtar Taurum, Niphatem,Caſpium,finitimoſque montes habitant, ſui iuris: niſi quod variante belli fortuna modò Turcis,modo Perſis favent: modo utriſque infeſti, omnia cæde, & rapinis Scytharum more curſantes replent. *Karasbagana* ad Septentrionem extenditur: illius urbes *Karasbag* ad Araxem *Cars* Carſe olim, ſedes Præfecti Turcici,urbs ſive muris arce tantum munita. *Erivàn* ad radicem Montis *Ararat* poſita. Hic autem altiſſimus omnium creditur: quippe in cuius vertice poſt diluvium Arca Nohêmi conquieverit: quam integram in vertice aſſervari Monachi, qui paſſim in tuguriis per montem degunt, conſtantiſſimè credunt. idque ex puriſſimo aëre nulli mutationi obnoxio, eveniſſe putant.

Stirvana, quæ partem etiam Albaniæ complectitur,ad Caſpium mare iacet;urbs caput *Dermènt*. Perſis paret, cum parte Karasbaganæ, quæ cum Media poſt bellum Perſicum à Turcis ad Perſas cediit.

Georgia complectitur Colchidem, Iberiam,& Albaniam, nec non Eniochos populos, Caucaſo Monte,Euxino, & Armenia concluditur: inque plures principatus diſtribuitur præcipui ſunt *Mingrelia*,ubi olim Colchis,*Avagoſia*,ſive Abaſſa. ubi Eniochi cuius caput *S Sophia*, quæ & *Eſchiſumùni Gurgiſtan*, ubi Iberia, & pars Albaniæ,metropolis Teflis ampla,& frequens,mercatùque nobilis, bini in hoc tractu reguli duobus in regnis *Garduel*,& *Kacheti*: horum unus Turcis, alter Perſis favere cogitur.cæterum regio montana,& ſterilis, ſylviſque paſſim obſita, Mingrelia in tres

Prin-

Principatus dividitur Mingreliam propriè dictam cuius *Savaſtopolis*, *Czuriel* cuius *Cotàtis*, *Baſſachiare*, cuius *Varthùi*. tribus regibus gubernantur, qui, etſi liberi, Turcis tamen ferrum ingens pendent, quo Tellus mirum in modum abundat.

Armeniæ Aër purus, ſalubris, & mira temperie gaudens: ſolum fertile, pecorumque cultui aptiſſimum. verum ob Turcarum, Perſarumque bella miſerum in modum deformatum, & horridum. gens mercaturam exercet, inque alias terras longiſſimè peregrinatur, quondam urbana, honeſta, & literis exculta: nunc ignava, perfida, & mollis: & ſicut olim Catholici ritus tenax, ita nunc Græcorum Schiſmati, atque Hereſi tenaciſſimè addicta. Sunt præterea Mahumetani plurimi, & Hebræi non pauci, qui mixtim incolentes ſenſim Chriſtianam religionem exterminant.

Giorgiæ verò Cœlum humidum, & non ſanum. tellus montibus aſpera; interdum aprica collibus qui vino, tritico que gaudent. in montibus feræ innumeræ. ferrifodinis dives, Helleboro, Scamonea, & Sena. In Mingrelia bini mercatus celebres, unus ad Eccleſiam, quam *Cipurias* vocant, alter ad ædem S. Georgii. merces melle, cera, fila, bovinæ pelles, & Caſtoreæ.

Gens bellicoſa, arcu utitur, & ſclopis: Perſas amat, Turcas odit: literarum rudis, atque ob id inculta, brevi pileo utitur, & tunica uſque ad genua demiſſa. Domos habitat quibus janua loco feneſtræ, & camini eſt: muri ex ligno, è pelle tectum, religio Chriſtiana, ſed erroribus, & Græcorum ſchiſmate deturpata. Sunt & Mahumetani, & Iudæi quamplurimi. Cum in Palæſtinam ad Domini ſepulchrum voti cauſſa proficiſcuntur militari more armati incedunt.

CAPUT VI.

De [illegible] partibus.

[illegible] ex Armenia in Syriam ingre-
[illegible] olim latiſſima, nam-
[illegible], & Galilæam com-
[illegible] vero avulſis, iuxta à Septentrione
[illegible] Tauro [illegible] eſt, barbaris
[illegible] à Cilicio ma-
[illegible] hoc à Cappado-
[illegible] Syria includitur:
[illegible] Thapſacum oppi-
[illegible] Meridie Arabia
[illegible] ad Libanum, &
[illegible] Longitudo à Sir-
[illegible] qua Euphrates per-
[illegible] a mare ad Eu-
[illegible] in Coma-
[illegible] Palæſtinam, Idu-
[illegible] & Palmyrenen.

[illegible], urbs olim
[illegible] Samoſa-
[illegible] ad Euphratem ſita
[illegible] Alia hæc eſt
[illegible] *Alexandret-*
ta. [illegible] Antiochia cogno-
[illegible] regum
[illegible], eque pa-
[illegible]:

[illegible] Antiochia.

[illegible] Daphnen lauri nemus
[illegible] amœniſſimus
[illegible] verſa, cum
[illegible]: de qua Ovid.
[illegible]

Tri-

Primus amor Phœbi Daphne Peneia; quem non
Sors ignara dedit, ſed ſæua cupidinis ira.

Urbs,& nemus ad Orontem poſita. cæterum mirandas vices ſortita in cineres tandem abiit; nec niſi exiguæ ruſticorum caſæ ex tanta urbe, quæ olim Patriarchatu, & Academia maxime floruit. ex templo Apollinis toto orbe clariſſimo una tantum columna extabat Chryſoſtomi ęvo, quaſi poſtremus terminus, ſeù teſtis viciſſitudinis rerum humanarum. Reliquæ urbes,& ipſę percelebres, Apamia *Hama*, & *Aman* ad Orontem à Seleuco condita,& à Sorore dicta, Archiepiſcopalis quondam de qua Dionyſius Afer:

Terrarum mediis Apamea Mœnia clara.

Laodicea, *Lyche*, ab eodem Seleuco condita, de qua idem Dion:

Laodicen pariter poſitam prope litus amœnum.

Fuit etiam Archiep: Seleucia cognominine Pieria *Seleuche Ielber*, ab eodem Seleuco ædificata. ab ipſa regio Pieria dicta, & ob prædictas quatuor urbes Tetrapolis, in hac Caſius mons, *Liſon*, & *Liza* altiſſimus, à Cilicia in Phœnicen excurrens, à quo regio Caſſiotis. fluvii celebres Belus, Lycus, & Adonis.

Phœnice, & Phœnicia olim inter Eleutherum amnem, & Peluſium continebatur: mox termini Eleutherus à Septentrione, à Meridie verò Chorſeus *Chiſon*, Hæbr: *Ciſſon* conſtituti ſunt. quæ quidem à Sacris Scriptoribus in duas diviſa fuit, Galilæam Superiorem, ſive Gentium, ſitam inter oſtia Chorſei,& Antilibanum montem: & Syrophœnicem poſitam inter Antilibanum, & Libanum. Urbes nobiles Ptolemais, ante Ace, ſacris literis Acon. *S. Gio: d'Acri*, ultima urbium Syriæ, anno 1291. à Saracenis capta. Tyrus, quę Zor in Sacris literis, incolis *Sur* nunc dicitur: olim inſula

po-

Non tamen adeò neglecta; cum propter illius poſſeſſionem, non ſecus ac pro Helena, diù Genuenſes, & Veneti accerrimè decertarint. olim Neptuni templo, & portu, hoc noſtra ætate tantum celebris. Sequitur ad Meridiem Lesbos omnium celeberrima; in qua Pittacus unus ex ſepté Græciæ ſapientibus, Sappho, & Arion Muſicus nati, & ſuperiore ætate Ariandenus Barbaroſſa. urbes in ea olim celebres Methymna *Metelino* ex qua nomen nunc Inſulæ factum. etſi alii à Mitylene altera urbium, quæ vel nunc extat, derivent. urbs hæc in monte exporrecto ad Septentrionem ſita duplici portu, & Archiepiſcopatu inſignis. tellus montibus aſpera, licet ſit fertilis tamen armentorum, & vini: capta à Mahumete II. anno 1464.

Infra Lesbon Chios eſt, non longe ab Aſiæ continente ſita, olim Ætalia, poſtea à Nympha Chios nunc *Scio* dicta. noſtra ætate inter reliquas Ægei maris poſt Eubœam nobiliſſima. à Maſtyce cuius mirè ferax *Sakizadael* à Turcis nuncupatur. Eſt autem Maſtyce Gummi genus albi, quod ex arboribus, quæ Auguſto, & Septembri inciduntur, guttatim erumpit. Inſulã in duas partes partiuntur, ſuperiorem *Aponſmoia*, inferiorem verò ad Meridiem *Catamàra* nominant. urbs præcipua inſulæ nomen retinet, elegans, & frequens Græcis utriuſque ritus, qui duobus Epiſcopis ſubſunt, habitatur; Turcæ in caſtro amplo, & munito: portu etiam inſignis: ſolum aridum, rari imbres, aër temperatus: incolæ urbani, & ingenioſi, Homero, ut ferunt, cive nobiles. Perdicibus adeo abundat, ut gregatim alantur à ruſticis, qui eas mane educunt in paſcua, veſpere calami ſono revocant. diù Iuſtinianis à Iuſtiniano Cæſare oriundis, & Genuenſibus paruit; Turcis ceſſit anno 1566. Ad

Oc-

Occidentem eſt Cea inſula, Pſara olim nobilis nunc ob piratas deſerta.

Contra Ioniam eſt *S*amos, olim Cypariſſia, & Parthenia, Iunoni Sacra, cuius inſigne ſimulacrũ ex marmore fuit. Pythagoræ, Sybillæ Samiæ, & Polycratis patria. urbs Samos frequens, & Archiepiſcopatu nobilis. celeberrima Samia vaſa; unde factum, Vaſa ad Samum. à Iuſtinianis relicta, Turcis ceſſit. Ad Occidentem eſt Icaria *Nicaria*: à qua Icarium mare, in quod Icarus decidit: olim Olyche appellata. montibus frequens, & melle abundat: ad Meridiem huius inſulæ eſt Patmos *Palmòſa* D. Ioannis exilio nobilis: in qua Apocalypſim ſcripſiſſe tradunt, viſiturque antrum ubi illi arcana divinitus revelata.

Cos *Lango* Apellis, Hippocratis, & Eſculapii templo celeberrima, contra Gnidum ſita eſt, oppidum habet *Stanxio* ad mare in collis declivio poſitum, & arce munitum: vino olim abundavit, nunc tota pene inculta. Ad Occidentem ſunt *Calamo* olim Claros, & *Lero*, quondam Leria. prima Clarii Apollinis templo nobilis fuit: utraque Aloès ditiſſima. Ad Meridiem verò eſt Niſyros *Naſſaro* quam à Coo Neptunus tridente abſcidit, cum Polybotem Gigantem viciſſet. in ea mons eſt ignivomus, & lacus ex quo ſal conficitur: Non longe iacet Agathuſa *Piſcopia*.

Amorgus ex ſporadibus Occidentalior *Morgo*, portu inſignis, & Cœnobio D. Baſilii, quod toto Ægæo religioſiſſime colitur. ad Orientem *Zinara*, & *Levita*, olim Lebinthus. Aſtipalæa inter Amorgum, & Carpathum LX, millia paſſuum à Creta diſtans iacet, *Stampalia* Apollinis olim templo tota Gręcia celebris: oppidum, ut olim, ita & nunc ab inſula appellatur, infrequens, & arce muni-
-: ſolum ſterile, & aquæ pauper. Tandem inter

Cretam, & Rhodum in Carpathio mari eſt Carpathos *Scarpanto*, quatuor olim urbibus nobilis,& à Rhodiis valide munita; media eſt navigantibus Conſtantinopolim Alexandria.Solum fertile: vino, & perdicibus abundat. ab hac mare inter Cretam, & Rhodum Carpathium dictum. cum nulli in Carpatho Lepores, aliunde importati, adeo crevere,ut fruges depopularentur: hinc adagium Carpathius leporem:in eos dictum, qui ſibi noxia accerſunt. circa Caſus *Caſſio*,aliæque ſunt minores inſulæ.

CAPUT V.

De Maiori Armenia, Colchide, Iberia, & Albania, novaque Turcomania, & Georgia.

TRanſmiſſo Euphrate in Maiorem Armeniam tranſimus,tota quondam Aſia nobiliſſimam, cuius termini ad Occidentem Euphrates, à Septentrione Moſchici montes,& Cyrus amnis,quibus à Colchide Iberia, & Albania ſeparatur: ab Oriente Caſpium Mare, & Mons item Caſpius, à Meridie Antitaurus, & Niphates,quibus diſcluditur à Meſopotamia,& Aſſyria. Mediam Armeniam Antitaurus mons ſecat. in ea fontes duorum toto orbe nobiliſſimorum amnium Euphratis,& Tigris ſunt, & nobiles etiam montes Gordyæus,& Pariedrus. Euphrates non longe ab Arziri ex montibus Armenicis ortus urbem ipſam rigat;recipitque Harpagum,& Arſametem amnes in Occidentem currens: mox curſu in Meridiem flexo Armeniam Minorem à Maiori dividit, urbes alluens Zimaram, & Melitenem, juxta quas Arſaniam,& Melam accipit. Deinde à Samoſatha quam alluit Syriam, & Metopotaniam diſtermi-

nat,

nat,mox Arabiam ad Annam:augeturque Marſia, Chabora, aliiſque: tandem infra Seleuciam, & juxta Cteſiphontem Tigri immiſcetur, cum quo in ſinum Perſicum ſe exonerat: *Frat* barbaris dictus. Tigris verò, quem *Tegil*, & *Sir* incolæ, velociſſimus omnium eſt: quare & Tigris appellatus; Tigris enim Medis ſagitta dicitur, ex Armeniis itē montibus in planitie ortus cōſpicuo fonte ab Euphratis ortu ſtadiis 1500. teſte Strabone, diſſito per Gordyæos montes fluit, Meſopotamiam ab Aſſyria dividit, Caldæamque interſecans iuxta Teredontem gemino oſtio in mare devolvitur. ubi totus fluit (nam in Caldæa in plures alveos ſecatur) Paſitigris nuncupatur. principio Arethuſam lacum tranſvectus, occurrente Tauro monte in terram conditur: mox ſumma pernicitate erūpit, rurſuſque Thoſpite lacu emenſo in cuniculos merſus poſt XXV M. paſſuum emergit: hinc Lucanus:

At Tigrim ſubito Tellus abſorbet hiatu.

De utroque fluvio Ovidius ſic habet primo de arte amandi:

Hic eſt Euphrates præcinctus arundine frontem:
Cui coma dependet cærula, Tigris erit.

Eſt etiam nobilis Araxes *Achlar* cuius fons ab Euphratis fonte VI.M.P. diſtat à Media Antropatia Armeniam dividit: Araxes verò à violentia dictus, ut merito Poëta:

Indomitique Dacæ, & pontem indignatus Araxes.

Armeniæ Maioris hæ regiones fuere Catacene, Bocche, Toraſene, Totene, Colthene, Soducene, Sytacene, Sacatene, Baſiliſſene, Hobordene, Arſea, Aciliſene, Aſtaurites, Sophene, Anzitene Thoſpites, Corinea, Gordiene, Cortæa: populi Mardi, & Gordyæ, urbium nobiliſsimæ Armauria, Artaxa-

ta, *Teſlis*: urbs vel nunc celebris, ut olim apud Romanos, de qua Lucan:

Sic prætextatos referunt Artaxata mores.

Sita eſt ad Araxem amnem; qua Perſico bello Turcæ potiti: mox eiecti. Thoſpia *Tolgic*, à qua Thoſpites lacus, *Gabach*: Artemita, *Van* ad Ariſſam lacum Turcici juris munita, & frequens. Tigranocerta *Bithis* nonnullis, aliis perperam *Soltania*, à Turcis arce, & præſidio munita. Colchis eſt ad Septentrionem Armeniæ, à qua Moſchicis montibus diſcluditur: ab Occidente Euxinum habet, ab Oriente Iberiam, & Coracem montem Caucaſi ſobolem, à quo Coraxici populi *Cori*: à Septentrione Caucaſum ipſum, *Monte di Circaſſia*, & Armenis *Albſor Nig.* Eſt autem Caucaſus adeo extenſus ut per omnem Aſiam pervagetur. tantis verò rigens ſcopulis, ut proverbium: Caucaſi ſcopuli. horridus, & inhoſpitalis: unde Horatius:

Sive facturus per inhoſpitalem
Caucaſum, vel quæ loca fabuloſus
lambit Hydaſpes,

Amnes præcipui Phaſis *Faſſo*, & Dioſcurias, quæ poſtea Sebaſtopolis: Populi Marrali, & Laxæ. Iberia Iberorum clariſſimum ſolum media eſt inter Colchidem, Armeniam, Albaniam, & Caucaſum, quo à Sarmatis ſeparatur: regio Alpeſtris, & horrida: populos habuit Erreticas, urbes Artaniſſam, & Armacticam.

Albania ad Orientem iuxta Caſpium mare eſt, ab Albano flumine, *Terra*, appellata: Nobiliſſimus tamen Cyrus *Kotr* eſt, qui Moſchicis iugis ortus in Caſpium devolvitur, rigatis primum Iberis, Iberoque amne, & Arago accepto. urbium celeberrimæ Albana, *Bachù*, à qua Caſpium mare, dicitur *del Bachù* Alexandria *Drebrent*, ubi Portæ Albanæ, ſive Caucaſiæ Pylæ, anguſtiæ inter Cauca-

caſum, & Caſpium mare Turcis *Demircapi* Ferreæ ſcilicet Portæ à munitione vocitatę. Getara, Ptolemæo Gazara *Zitracu*, & Chabala.

Quod ad Hiſtoriam attinet, Armeniæ regnum, ut & nomen ab Armenio Iaſonis ſocio exordium habuit: crevitque ſenſim Armenorum potentia uſque ad Pompei tempora: quum victus memorabili clade Mitridates rex Ponti ad Tigranem Armeniæ regem confugit. hic profugo in ſocietatem aſcito, in Romanos movit: victuſque pari fortuna à Magno eſt. Qui Tigranem in deditionem acceptum regno reſtituit ademptis belli iure Syria, Phœnicia, Ciliciaque. ex eo tempore in fide, & fortuna Populi Romani Armeni manſere; atque ob id non ſemel à Parthis vexati. Eo etiam tempore Pompeius Mitridatem ultra Caucaſum fugientem perſecutus Colchos, Iberos, Albanos, & Heniochos eodem Fortunæ impetu vicit: primuſque Romanorum in Caucaſum, & Caſpium mare penetravit: Pontumque in Provinciæ formam redegit. Armenii ſub Iuſtino Minore Chriſti Fidem amplexati conſtantiſſimè, atque incorruptè uſque ad annum 1300. tenuere, quum Græcorum erroribus impliciti à Saracenis vexari cœpti: mox à Perſis, in quorum tandem poteſtatem venerunt: ab his ad Turcas inclinante ad hos Fortuna, magna ex parte tranſierunt.

Maior Armenia in *Turcomaniam*, *Curdiſtanam*, *Carasbaganam & Scirvanam*, nunc dividitur. *Turcomania* à Turcis vocata, eſt ad Occidentem juxta Euphratem. illius Metropolis *Erzerùm* urbs ampla, & frequens, arce valida, duplicique murorum ambitu munita ſedeſque barbari Prætoris: domus ligneæ: nec niſi una contignatione aſſurgunt. Reliquæ urbes *Van* ad lacum eiuſdem nominis poſita juxta Montis clivum, arce item ubi Prætor juſ-

dicit, probe munita *Aclat* ad Septentrionem eiuſdem lacus, & *Mafcatè*. Curdiſtana ad Orientem jacet, regio montana, & aſpera à Curdis populis nuncupata. Hi Heluetiorum inſtar Taurum, Niphatem, Caſpium, finitimoſquè montes habitant, ſui iuris: niſi quod variante belli fortuna modò Turcis, modo Perſis favent: modo utriſque infeſti, omnia cæde, & rapinis Scytharum more curſantes replent. *Karasbagana* ad Septentrionem extenditur: illius urbes *Karasbag* ad Araxem *Cars* Carſe olim, ſedes Præfecti Turcici, urbs ſive muris arce tantum munita. *Erivàn* ad radicem Montis *Ararat* poſita. Hic autem altiſſimus omnium creditur: quippe in cuius vertice poſt diluvium Arca Nohêmi conquieverit: quam integram in vertice aſſervari Monachi, qui paſſim in tuguriis per montem degunt, conſtantiſſimè credunt. idque ex puriſſimo aëre nulli mutationi obnoxio, eveniſſe putant.

Scirvana, quæ partem etiam Albaniæ complectitur, ad Caſpium mare iacet: urbs caput *Dermènt*. Perſis patet, cum parte Karasbaganæ, quæ cum Media poſt bellum Perſicum à Turcis ad Perſas rediit.

Georgia complectitur Colchidem, Iberiam, & Albaniam, nec non Eniochos populos, Caucaſo Monte, Euxino, & Armenia concluditur: inque plures principatus diſtribuitur præcipui ſunt *Mingrelia*, ubi olim Colchis, *Avagoſia*, ſive Abaſſa, ubi Eniochi cuius caput *S. Sophia*, quæ & *Eſchiſumuni*. *Gurgiſtan*, ubi Iberia, & pars Albaniæ, metropolis Teflis ampla, & frequens, mercatùque nobilis, bini in hoc tractu reguli duobus in regnis *Garduel*, & *Kacheti*: horum unus Turcis, alter Perſis favere cogitur. cæterum regio montana, & ſterilis, ſylviſque paſſim obſita, Mingrelia in tres

Prin-

Principatus dividitur Mingreliam propriè dictam cuius *Savaſtopolis*, *Czuriel* cuius *Cotàtis*, *Baſſachiare*, cuius *Varthùi*. tribus regibus gubernantur, qui, etſi liberi, Turcis tamen ferrum ingens pendent, quo Tellus mirum in modum abundat.

Armeniæ Aër purus, ſalubris, & mira temperie gaudens: ſolum fertile, pecorumque cultui aptiſſimum. verum ob Turcarum, Perſarumque bella miſerum in modum deformatum, & horridum. gens mercaturam exercet, inque alias terras longiſſimè peregrinatur, quondam urbana, honeſta, & literis exculta: nunc ignava, perfida, & mollis: & ſicut olim Catholici ritus tenax, ita nunc Græcorum Schiſmati, atque Hereſi tenaciſſimè addicta. Sunt prætereà Mahumetani plurimi, & Hebræi non pauci, qui mixtim incolentes ſenſim Chriſtianam religionem exterminant.

Giorgiæ verò Cœlum humidum, & non ſanum. tellus montibus aſpera, interdum aprica collibus qui vino, triticoque gaudent. in montibus feræ innumeræ. ferrifodinis dives, Helleboro, Scamonea, & Sena. In Mingrelia bini mercatus celebres, unus ad Eccleſiam, quam *Cipurias* vocant, alter ad ædem S. Georgii. merces melle, cera, fila, bovinæ pelles, & Caſtoreæ.

Gens bellicoſa, arcu utitur, & ſclopis: Perſas amat, Turcas odit: literarum rudis, atque ob id inculta, brevi pileo utitur, & tunica uſque ad genua demiſſa. Domos habitat quibus janua loco feneſtræ, & camini eſt: muri ex ligno, è pelle tectum, religio Chriſtiana, ſed erroribus, & Græcorum ſchiſmate deturpata. Sunt & Mahumetani, & Iudæi quamplurimi. Cum in Palæſtinam ad Domini ſepulchrum voti cauſſa proficiſcuntur militari more armati incedunt.

CAPUT VI.

De veteri Syria, & eius partibus.

PEr Amani pylas ex Armenia in Syriam ingredimur.illius autem fines olim latiſſimi; namque Aſſyriam, Meſopotamiam, & Caldæam complectebatur.his verò avulſis,fuere à Septentrione Amanus mons, qui Tauri ſoboles eſt, barbaris *Monte di Scanderona*,& *Monte negro*,à Cilicio mari ad Euphratem uſque procurrit.hoc à Cappadocia,Cilicia, & Armenia minore Syria diſcluditur: ab Ortu Euphrates, uſque ad Thapſacum oppidum *Bèbech*,inde Arabiæ deſerta:à Meridie Arabia Petræa: ab Occaſu eadem Arabia ad Iſthmum,& Syriacum,ſeu Phœnicium mare. Longitudo à Sirbonis palude ad Amanum, quà Euphrates perrumpit, mill. 650, latitudo maior à mare ad Euphratem 300. Syria diviſa ab antiquis in Comagenen,Antiochenen, Phœnicen,Palæſtinam, Idumæam, Cœleſyriam, & Palmyrenen.

Comagene prima eſt ad Amanum, urbs olim regni caput, & mox provinciæ Romanæ Samoſata Luciano alumno nobilis, ad Euphratem ſita barbaris *Sumpsàt* Calybon, *Aleppo*: aliis hæc eſt Hierapolis. Alexandria ad Amanum *Alexandretta*. Antiochene ad mare cuius Antiochia cognomento Epidaphnes,urbs olim celeberrima,regum ſedes,à Seleuco Antiochi filio condita, eque patris nomine appellata, de qua Auſonius:

Tertia Phœbea lauri domus Antiochia.

Erat enim extra portã Daphniticam lauri nemus Apollini Sacrum.ubi Fons Daphne amœniſſimus à Daphne Ladonis filia,quæ in laurum verſa,cum nimium ab Apolline amaretur: de qua Ovid. Met. 1.

Tri-

Primus amor Phœbi Daphne Peneia; quem non
Sors ignara dedit, ſed ſæva cupidinis ira.

Urbs,& nemus ad Orontem poſita. cæterum mirandas vices ſortita in cineres tandem abiit; nec niſi exiguæ ruſticorum caſæ ex tanta urbe, quæ olim Patriarchatu, & Academia maxime floruit.ex templo Apollinis toto orbe clariſſimo una tantum columna extabat Chryſoſtomi ęvo, quaſi poſtremus terminus,ſeù teſtis viciſſitudinis rerum humanarum.Reliquæ urbes,& ipſę percelebres, Apamia *Hama*, & *Aman* ad Orontem à Seleuco condita,& à Sorore dicta, Archiepiſcopalis quondam de qua Dionyſius Afer:

Terrarum mediis Apamea Mœnia clara.

Laodicea, *Lyche*, ab eodem Seleuco condita, de qua idem Dion:

Laodicen pariter poſitam prope litus amœnum.

Fuit etiam Archiep: Seleucia cognominine Pieria *Seleuche Ielber*,ab eodem Seleuco ædificata. ab ipſa regio Pieria dicta, & ob prædictas quatuor urbes Tetrapolis,in hac Caſius mons, *Liſon*, & *Liza* altiſſimus,à Cilicia in Phœnicen excurrens, à quo regio Caſſiotis.fluvii celebres Belus,Lycus,& Adonis.

Phœnice, & Phœnicia olim inter Eleutherum amnem, & Peluſium continebatur:mox termini Eleutherus à Septentrione,à Meridie verò Chorſeus *Chiſon*, Hæbr: *Ciſſon* conſtituti ſunt.quæ quidem à Sacris Scriptoribus in duas diviſa fuit,Galilæam Superiorem, ſive Gentium, ſitam inter oſtia Chorſei,& Antilibanum montem: & Syrophœnicem poſitam inter Antilibanum, & Libanum.Urbes nobiles Ptolemais, ante Ace,ſacris literis Acon. *S.Gio: d'Acri.* ultima urbium Syriæ, anno 1291.à Saracenis capta.Tyrus,quę Zor in Sacris literis,incolis *Sur* nunc dicitur: olim inſula

po-

poſtea operibus Alexandri oppugnata continens facta,totoque orbe, & portu, & mercatu, atque urbibus in Africa genitis Lepti, Utica, & Romæ æmula Carthagine; nec non & Gadibus extra Orbem conditis celeberrima. hic primum Conchylii,& Purpuræ uſus,ut nos IX.Halieuticorum, ubi:

Vos mihi Parthenias,diva,quæ curritis undas
Ditia Phœnices per litora,quis Deus ille
Dicite, purpuream primus qui gurgite gazam
Eduxit,roſeoque infecit ſanguine lanam?

Sequitur Sarepta Eliæ hoſpitio nota *Saphet* urbs Epiſcop: ſub Archiep:Tyri. Sidon, *Said* maritimarum Phœniciæ urbium maxima, & pulchra,ut ait Dio: Afer:

Hi muros lopes, Gazan,& Elaida complent
Antiquamque Tyrum,Beryti,& mœnia grata,
Vicinamque mari Byblum, Sidonaque pulchram.

at primum à Perſis vaſtata, mox anno 1192. ab Ægypti rege capta penè diruta fuit: hic primum vitri ars inventa,& navigatio longe propagata;unde Virg:1 Æne:

Atque equidem Teucrum memini Sidona venire
Finibus expulſum patriis.

Sidone Antipater quo die natus eſt, ſemper quoad vixit febri correptus, eodem die fato conceſſiſſe perhibetur.hic verſus faciebat ex tempore, Caſſio oratori coævus. fuit & Sidon Thebarum Bœotiarum parens, & Epiſc: Berytus *Baruto*, vel nunc clara,Byblis, Botrys,& Aradus,*Tortoſa* hanc inter,& Botryn Tripolis, dicta ex numero trium oppidorum ſingulis ſtadiis diſtantium *Tripoli di Soria*. In mediterraneis Antaradus Palæobyblus, Marathus.Cæterum Phœnices omnium ſolertiſſimi,& belli,paciſque muneribus inſignes: literas operaſque literarum, artes multas, Mercaturam,

Arithme-

Arithmeticam primi adinvenere. maria navigare, claſſe confligere reliquos docuerunt. colonias per varias Mundi partes miſere, opulentiſſimi omnium, ac potentiſſimi.

Phœniciæ mõs celeberimus Libanus *Liban:* imo totius Syriæ, qui à tergo Sidonis ortus in Cæleſyriam ad Orientem porrigitur mill: paſſum 125. Libano par, interiacente valle lata paſſ. 1187. Antilibanus aſſurgit, illi quondam muro iunctus: Eſt autem Libanus Altiſſimus, & nihilominus fertiliſſimus, & amœnus in valles & campos hinc, inde effuſus: ex ipſo Iordanus profluit, aliique Phœniciæ fluvii. in uno hoc monte cedrus arbos laudatiſſima, & æterna provenit In ea Phœniciæ parte, quæ Galilæa Gentium dicitur Carmelus mons, & oppidum eiuſdem nominis, olim Ecatana: mons nunc *Carmolo*, & promontorium, quo in mare irrumpit *Capobianco*, Eliſei hoſpitio, & Carmelitarum origine nobiliſſimum.

Palæſtina ad Meridiem ſubſequitur, cuius termini à Septentrione Libanus, quo à Phœnice dividitur; ab Ortu Cœleſyria, à Meridie Arabia Petræa, ab Occaſu eadem, & Syriacum mare, dicta Palæſtina à Græcis, Romaniſque ab veteri Palæſtinorum gente, quos Philiſtim Sacri Scriptores vocant. antiquitus appellata fuit Terra Chanaan, à Chanaan Chami filio, qui primus illam incoluit. his verò pulſis ab Iſraelitis Dei monutu, Iudæa vocari cœpit. illam autem in Idumæam, Iudæam, Samariam, & Galilæam diviſam reperimus. Idumæa, quæ in Sacris literis Edom, nobis etiam Idume. hinc Poëta Veronenſis in Siphilide 1.

Qui latam Ægyptum metitis, fœcundaque Nilo
Arva, & palmiferæ ſylvas tondetis Idumes.

Inter Iudæam proprie dictam, & Arabiam ad incluſum mare poſita eſt caput olim urbs ingens, &

ſatis munita Gaza, *Gazàra* à Gazis Perſico vocabulo dicta, quia nimirum ibi Cambyſes in Ægyptum movens belli opes, & pecuniam repoſuit. Alexander expugnavit, ac diruit. huius vina celebrat Sidon:

Vina mihi non ſunt Gazetia, Chia, Falerna.

Iudæa ſupra ſequitur, cuius caput Hieroſolyma regni Iudaici ſedes toto Terrarum Orbe nobiliſſima æque, ac potentiſſima eam Titus Veſpaſianus captam diruit. at Ælius Adrianus mutata nonnihil loci regione reſtituit, Æliam Capitolinam vocari iuſſit. nunc barbaris *Chutz*. Reliquæ urbes Aſcalon, Azotus, Lamnia, Ioppe, *Iaffa*, Phœnicum antiquiſſima, quam inundatione terrarum antiquiorem Mela, & Plinius credunt. hic Adromedam belluæ marinæ expoſitam Poëtæ commenti ſunt. in mediterraneis Emmaus, Lidda, Hiericûs, *Iericho* in Sacris literis: & iuxta Hieroſolymam Bethlehem Servatoris noſtri natalibus nobiliſſima.

Peræa pars Iudææ fuit, nempe ulterior, & trans Iordanem ſita: in qua Macherûs, celebris quondam Iudææ arx, & altera ab Hieroſolymis.

Eſt autem Iordanis nobilis Palæſtinæ fluvius Servatoris baptiſmate nobilior. hic ut refert D. Hieron: duobus fontibus è Libano oritur, quorũ unus *Ior*, alter non longe diſſitus *Dan*: ex quibus non aqua tantum, ſed & nomen amni derivat, qui, & vallium ſitu, & aquarum nitore amœnus labitur: ut ſtadia 384. emenſus in lacum *Samochoniten*, qui in Sacris literis Aquæ Meron appellatur, ſubit: hinc in maiorem labitur, quem Græci Tiberiadem, & Geneſaritin, Iudæi, mare Galilææ vocant. mox Samaria, & Iudæa irrigata invitus in Aſphaltitem, dirum natura lacum, ac peſtilentem immergitur. Aſphaltites à bitumine, præter quod, nihil

nihil gignit,nomen habuit:non enim piſces, nec fluuiatiles volucres peſtifer aqua ſapore corrupto, & gravitate odoris patitur. ob aquæ magnitudinem, & immobilitatem, altiſſimis enim cinctus rupibus,ventis impervius eſt, mare mortuum appellatur. Navigationis minime patiens; quippe cuncta vita carentia in profundum trahuntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi alumine illitam,animatum verò corpus nullum accipit; quapropter periti,imperitique nandi,enatant; & tauri,cameliquc fluitant.hic olim planities ab agrorum ubertate,& amœnitate Paradiſus dicta, urbs in ea Sodoma,Gomorra,Segoris,quæ ob præpoſteram libidinem igne vindice conflagarunt. Hinc Hieronym.Vida.

Scit Segoris,ſcitque infelix Aſphaltitidos unda Accola.

Suprà Iudæam inter Iordanem, & mare Samaria eſt, cuius caput Samaria, quæ & Sebaſte *Napluſa* ab Aſſyriis anno Mundi 3247. condita ad regionis cuſtodiam,ut vox ſonat Hæbreis *Sychen*, reliquæ urbes Neapolis *Napoliza*,Gamala, & in litore Apollonia.

Galilæa poſtrema Palæſtinæ pars, cuius caput in litore Turris Stratonis,quæ poſtea Ceſarea, ab Herode inſtaurata.Intus Caparnaum,Iulias, Bethſaida,Tiberias, ex qua lacus dictus, *Tabaria* Epiſc: Nazareth Servatoris nobile domicilium in monte exciſa,iuxta quam Thabor,Gelboë, & Hermon, olim Archiep: cuius titulus habet Epiſcopus in Regno Neap. qui Baruli reſidet. hoc titulo olim inſignitus Urbanus VIII. Cana Galilææ, ſive minor,aliæque Supereſt Cœleſyria, quæ à tergo prædictarum regionum,& Arabię Petrææ ad Euphratem uſque protenditur. Sic dicta à Græcis quaſi Cava Syria: cuius partes nobiliores ſunt Decapolis,

lis, Tetrarchiæ, & Palmyrene. Decapolis à decem urbibus dicta, quę fuere Damaſcus caput, Otopon, Philadelphia, Raphana, Scythopolis à Scythis deductis, prius Nyſa à Liberi nutrice ibi ſepulta nuncupata. Gadora, Hippos, Dios, Pella, Geraſa, Canatha. Supra Decapolim ſitæ Tetrarchiæ numero 17, quæ & regiones, & regna appellata: nobiliores ſunt Trachonitis, & Peneas, ubi fontes Iordanis, & urbs Ceſarea cognomine Peneæ, & Philippi.

Palmyrene ab extremo Libani in Orientem currit, urbs princeps Palmira, quæ & Palmyra ſcribitur, nobilis ſitu, nam vaſto arenarum tractu fertiles includit agros, at veluti toto Orbe diſcluditur. minime tamen Romanorum arma latuit: quippe capta à Romanis: & Zenobia Regina Græci, & Ægyptii ſermonis peritiſſima, ac latini non ignara, quæ multa ſcripſit, & præcipue Epitomen Hiſtoriarum, filioſque diligentiſſime erudivit; orationes elegantiſſimas ad lites habuit, & galeata recitavit, ab Aureliano, ita ferente rerum Fato, in triumphum adducta. Urbs dicta etiam Adrianopolis ab Adriano, à quo iterum ædificata; mox Archiep: barbaris nunc *Sayd*, diſtat Damaſco millia paſſuum 225.

Reliquæ urbes in Cœleſyria inſignes Zeugma ad Euphratem, ubi pons celebris, cuius adhuc extant veſtigia: meminit Sertius.:

Antiqua Babylonis opus, & Zeugma Latina
Pacis iter.

Chalcis cognominata ad Belum; unde regio Chalcidene Syriæ fertiliſſima, Cyrrhus, Beroë, Laodicea ad Libanum, & Thapſacus in Euphratis ripa.

* *
*

CAPUT VII.

De Nova Syria.

SYria, quam *Soria*, vulgò dicitur, Barbari *in* tres Præfecturas dividunt Aleppi, Tripolis, & Damaſci. Aleppenſis præfectura continet Syriæ partem Borealem caput Aleppum, urbs ampla, & mercatu dives, quam omnes fere Europæ gentes frequentant. ſita eſt quatuor in collibus juxta rivum *Coie* incolis dictum, adiacet arx, cuius mœnia, ut & urbis, ex quadrato lapide veteri ſtructura aſſurgunt, turribus iuſtis ſpatiis munita. fana ferme centum, collegia tria, domus publicę 40. balnea 50. domuum ſtructura nihil habet ſpectabile. In ſuburbiis Chriſtiani degunt, Romani Maronitæ, Græci, Armeni, Iacobitæ. Græci Archiep. Armeni, & Iacobitæ Epiſc: parent. Maronitæ Pontifici Romano ſubſunt. Aleppenſi Præfecto novem alii minores parent.

Maronitæ populi Palæſtinæ, qui Libani montana habitant Romanis ritibus addictiſſimi aliquot Archiep: & Epiſcop: parent: ſeque veterum Francorum reliquias jactant, qui, occupata à barbaris Palæſtina, in his locis conſedere, ac libertatem diù ſtrenuiſſimè tutati ſunt.

Secunda eſt Tripolitana, quæ partem Phęniciæ, & Cæleſyriæ continet: Tripolis capta à Saracenis anno 1289. Provinciæ caput ad mare ſita, portu nobilis, in quem appellunt, qui in *Sacra* Palæſtinæ loca peregrinantur: Præfecto quatuor minores parent. urbs Turcis *Tarabolòſchàm* dicitur. Damaſcena reliquam *Syriæ* partem complectitur: Damaſcus *Scham* Turcis, urbs eſt ampliſſima, & mirificè culta, agrorum ubertate, & amœnitate percele-

celebris. olim ſedes regum Syriæ,nunc Baſſæ,decem Præſides parent.urbem rivus ſecat, cuius aqua calybs egregiæ præparatur,atque ob id calybes Damaſceni laudatiſſimi.

In Damaſcena præfectura Palæſtina, & urbs Hieroſolyma ædificata à Melchiſedecho anno Mundi 2023. vocataque Salem; nimirum pax. L. poſt annos à Iebuſeis capta.. à quibus à Davide recepta,vocitata eſt Ieruſalem, ſcilicet viſio pacis:impoſita primũ fuit mõtibus Moria,& Æra:in quorum primo Salomon Templum, & Palatium ædificavit. Urbem, & Iudæam primus Romanorum Pompeius ſubiugavit: ſed rebellantibus Titus Veſpaſianus recepit anno 70.poſt memorabilem famem, qua parentes filios vorare coacti ſunt. Adrianus illã inſtaurari juſſit,mœnibuſq; includi Calvariæ montem. anno 600. Coſroes rex Perſarum iterum cepit cęſis civium octoginta millibus,Crucemq; Domini aſportavit.Heraclius utramque à Siroë filio,ac parricida recepit. capta mox à Saracenis, quibus à Godefrido Bullonio pulſis, anno 1099. inſtauratum Iudeæ regnum, dictuſque primus Rex ipſe Godefridus. Secuti reges Balduinus Frater Godefridi.Balduinus II, Fulvo,& Beatrix Balduini II. filia. Balduinus III.Almericus, Aſcalonis Comes, Balduinus IV. Leproſus.Balduinus V. Guido Luſignanus Sybillæ reginæ coniux, qui capta à Saladino Hieroſolyma, in Cyprum conceſſit.Almericus II. Rex Cypri. Ioannes Brennus, qui in Italiam navigans filiam Iolantam Federico II.Imperatori,Neapolis,& Siciliæ regi deſpondit;ex quo Neapolitani reges Hieroſolymitani reges etiã appellati.Cæterum anno 1517. Selimus Turcarum Imperator Hieroſolymam occupavit, muroque cinxit, & ſex portis ornavit: gemitque vel nunc cum univerſa Palæ-

ſtina

ſtina, quam Itali *Terra Santa* vocant, non ſine noſtro dedecore ſub Turcarum iugo.

Quod verò ad *Syriæ* aerem attinet, temperie gaudet, quibuſdam locis exceptis, ubi propter vapores, & paludes non ſanus, exteris maxime nocuus. Solum miræ fertilitatis præcipuè in campeſtribus, ubi triticum, hordeum cæteraque legumina, quaſi ſine cultu proveniunt. vini adeò ferax, ut olim botros ingentes vix bini homines phalangarent; hoc tamen ævo ob Turcarum avaritiã, & gentis deſidiam plurima loca pene inculta, nonnulla arenoſa, atque ob id carò vivitur. In Iudæa non longe à Montanis Hebron campus Damaſcenus, ubi primum hominem formatum memorant, & quò poſt peccatum à Paradiſo reductum, ubi & Cainus Abelem cecidit, fertiliſsimus omnium traditur: immo terram contra morbos præſentiſſimum pharmacum fuiſſe compluſculi affirmant: etſi D. Hieronymus contrà commune placitum hunc campum circa Damaſcum ponat. Gens levis, miſera, imbellis, barbam alit, caput radit, veſte utitur longa ad genua uſque demiſſa, *Gaba* dicitur. Fœminæ rudes, ac miſerabiles rarò cum viris edunt. cum domo egrediuntur faciem velant, & uno omnes veſtitu incedunt. Cæterum regio exteris maxime ob merces frequentatur: mercatus celebres Aleppi, Alexandriæ ad Amanum, & Tripoli: Damaſci arma, & arcus diſtrahuntur. Religio Turcis, & Arabis Mahumetana, Chriſtianis, quorum non exiguus numerus, Maronitis exceptis, Schiſmatica. qui militiæ ſcribuntur arcum, & ſagittas gerunt cum pugione *Cugnàte* appellant, pectore nudo nudiſque brachiis in bellum procedunt, quo animoſi videantur. Sunt etiam Hebræi non pauci, penes quos mercatura, qui Iudaico ritu vivunt.

C-A-

CAPUT VIII.

De Meſopotamia, Aſſyria, & Caldæa.

TRanſmiſſo Euphrate, Meſopotamiam ingredimur, ſic Græcis dictam; quia inter amnes Euphratem, & Tigrim iacet. quondam Aſſyrii regni pars fuit, cuius termini ab Occaſu Euphrates, ab Ortu Tigris à Septentrione Niphates, & Tigris, à Meridie Euphrates item, & Caldæa: eius longit: à Niphate, ad Seleuciam Parthorum, ad Tigrim poſitam eſt mill. 400. lat: inter utroſque amnes 250. Regiones olim in ea nobiles Anthemuſia, Chalcitis, Gauzanitis, Acabene, Ingine, & Acõbarites. urbes Antiochia, poſtea Edeſſa *Orpha*, Niſibis *Nisbia* ſub Maſio monte ſita Archi Nicephorium, Labanna, Seleucia ad Tigrim cognomento magna *Mosul* ſedes Patriarchæ Neſtorianorum, olim Tigranis regia, apud quem Amphicrates Athenienſis Rhetor exulans, cum à Seleucianis rogaretur, ut eos Rhetoricam doceret, reſpondit: *Delphinum non capit patina.* quo adagio oſtendit exiguo ingenio, ut ipſi erant, non poſſe magna aſſequi. Carrhæ *Heren* Craſſi clade nobiles quare Lucanus I.

Miſerando funere Craſſus
Aſſyrias Latio maculavit ſanguine Carrhas.

Montes in Meſopotamia Maſius, & Singaras; Fluvii, Chaboras, & Saocoras *Cabur*, & *Hormiz* aliis *Set*: primus ex Maſio oritur: ambo in Euphratem fluunt.

Aſſyria ad Orientem inter Tigrim, & Mediam, ac Suſianam à Meridie Perſidem, & Tigrim habet, à Septentrione Armeniam, & Niphatem. Regiones in ea nobiles fuere Arraphachitis, Sitacene, Adiabene. Apolloniates, Calacene, Arbelitis. Populi

puli Garamæi,& Sambatæ. Inſigniores urbes Ninus, quæ & Ninive in Sacris literis Ionæ prædicatione clariſſima. Hæc condita à Nino, qui & Aſſur putatus.XX. anno regni à ſe fundati. Urbs quadra, & inter maximas Orbis terrarum. Latus Septentrionale,ſtadiis 150. extendebatur: ſcilicet mill: paſſuum XVIIIMDCCL. totidem Meridionale.Occidentale ſtadiis 90. paſſuum XLMCCL. totidemque Orientale. totus circuitus ſtadiorum 480. paſſuum LXM.Mœnia alta pedes 100. adeò lata ut tres currus æquato ordine incederent. turres numerabantur MD. altæ pedes 200. Extra urbem Piramis ſuperbiſſima viſebatur, ubi Nini ſepelchrum noſtra ætate præter nomen,& exiguę ruinę monimenta nihil extat. Cteſiphon Parthorum regia Epiſcop: Arbela, quondam vicus, ubi Alexander inſigni clade Darium vicit. ad Lycum amnem ſita,cuius vix extant veſtigia.

Caldęa,ſive Babylonia Aſſyriæ olim pars,clauditur ab Ortu Tigri,à Septentrione Euphrate, ab accaſu item Euphrate,& Arabiæ deſertis, à Meridie Arabicis montibus,& ſinu Perſico. regiones inſignes Mardocęa,& Auranitis,quę Tigri, & Euphrate veluti inſula clauditur ,Meſene appellatur. Urbium clariſſima Babylon à Semiramide in ſedem regni Aſſyrię condita, ut multi credunt. Ædificata tamen inter primas Orbis à Nembrod, qui & Belus,iuxta Euphratem,qui mediam rigat. quadrata traditur,cuius ambitus 365. ſtadiorum, paſſuum 45. M: 625. Mœnia a lateribus bitumine conglutinatis alta pedes ſupra centum, adeo lata ut ęquata fronte ſex currus incederent. Orientalem urbis partem,quæ maior, Occidentali coniungebat mirandus ſanè pons, quem Semiramis ſupra Euphratem ſterni iuſſit ingentibus Pilis ex quadratis lapidibus, qui ferreis uncis liqua-

to plumbo intus affixis connectebantur: ex una in aliam pilam immenſæ trabes extendebatur; ſupra verò in tranſverſum aſſes ex Cedro, & Cupreſſo ſternebantur: & quamvis in arctiori fluvii parte poſitus, longitudine tamen V. ſtadia complectebatur. Utraque Euphratis ripa muro ex quadrato lapide munita, ut duæ urbes viderentur. in Orientali ad Euphratis ripam Ædes regię è latere viſebantur opificio ſuperbiſſimo: circuitus ſtadiorum XXX. ſtatuis ęreis innumeris adornatę, quarum inſigniores Beli, Nini, & Semiramidis. In hac etiam Turris immenſę molis attollebatur, quam nonnulli mendosè pro memorabili illa *Babel* dicta acceperunt. Opus octo Turribus, quarum una ſupra alteram inędificata, componebatur: illarum autem ea erat ratio, ut ſenſim decreſcerent, pluribuſque contignationibus ſingulę conſurgebant. circum ſcala inſtar helicis erat, qua ex una in alteram ſcandebatur. circuitus ad baſim unius ſtadii: In extremo octavæ turris vertice templum extructum, erat Belo, ſeu Iovi Sacrum. huius vero ſtatuæ, aliorumque Deorum ex auro cernebantur, ut & aurea vaſa ſacrificiorum. Hac Caldæi Aſtrologiæ peritiſſimi, editiſsima veluti ſpecula, utebantur ad Aſtrorum curſus obſervandos. In Occidentali Urbis parte Semiramidis arx omnium ædificiorum maxima: triplici mœnium circuitu claudebatur: primus 60. ſtadia complectebatur; ſecundus ex lateribus 40. cuius turres altæ paſſus 65. mœnia 50. lata tamen paſſus 300. in his diverſa animalia ad vivum efficta viſebantur. Tertius circuitus erat ſtadiorum 30. altitudo, & latitudo, ſecundi maior: variis item figuris exornatus nemora, feras, venatores exprimentibus. inter pulchriores ipſa Semiramis ſuperbiſſimo equo vecta, vultuque geſtienti, quia

Pan-

Pantheram iaculo confecerat: iuxta coniux Ninus: qui & ipſe Leonem miſſili proſtraverat. Non longe ab hac arce Horti Semiramidis erant, quos antiqui penſiles appellarunt. Nam ſupra immenſos arcus, ac fornices ſata nemora, & horti, artificio, & ſumptu tam ingenti, ut meritò inter Mundi miracula repoſita ſint. Tantæ urbis non longe ab Euphrate exigua monumenta oſtenduntur iuxta *Bagdat*, quam vulgus Babyloniam vocat.

Reliquæ urbes Orchoë, quæ Ur Caldæorum in Sacris literis dicitur, Boſippa ad paludes, Teredon ad oſtia Tigris, *Bolſerà*. D. paſſus ab Orientali Euphratis ripa Turris à Nembrod ædificata in Terra Sannaar, quæ poſtea Caldæa appellata, Turris rudera, quæ nũc extant, etiam *Babel* antiquo nomine ab Arabis vocitantur dicta autem *Babel* à confuſione linguarum, plura de hac Athanaſius Kircher lib. 2. cap. 3.

CAPUT IX.

De Aſſyriæ regno, primaque Mundi Monarchia, novoque Terrarum ſtatu.

PRimus, qui Aſſyriæ regnum, primamque Mundi Monarchiam fundavit, fuit ſextus filiorum Chuſi, & Chami nepos, Belus dictus, nempe dominus, Syrorum, & Hebræorum lingua, & Nembrod, nimirum Tyrannus, ut exponit Iſidorus. hic neglecta Terrarum diviſione à Patruo Noëmo facta, qui Iapeto eam partem tribuit, quæ à Media in Septentrionem, & Occidentem uſque ad Gades excurrit, & Britannicas inſulas. Chamo Africam, quæ à Rhinocoruris (*Faramìda* oppidum in Palæſtinæ, & Ægypti confinio) ad fretum tendit, Semo Palæſtinam ad Rhinocoruras, & plagas Orienta-

les.hac,inquam, diviſione neglecta,totiuſque Orbis imperium affectans,Babylonem condidit, antiquiſſimi regni, ſeu verius primæ, ac teterrimæ Tyrannidis ſedem, & caput. cepit autem anno Mundi 1879, ante Chriſtum anno 2175.

Cum verò annos 65. regnaſſet,ipſi Ninus filius ſucceſſit,aliquibus Aſſur dictus;unde Aſſyriorum nomen: Hic conſtituto Aſylo ad ſtatuam,quam Babylone celeberrima in turri ſupra memorata poſuerat parenti perſimilem,ut Bel diceretur,obtinuit. hunc poſtea Aſſyrii, Caldæi, & Iſraelitæ Baal,Belzebuc, Belphegor: Græci Chronon; Romani Saturnum appellarunt, & ut Deum, ac parentem Deorum coluerunt. Hinc Ninus dominandi cupidine incenſus bella finitimis intulit: ductoque exercitu peditum decies ſepties centum millium, equitum ducentorum & decem millium,ac fere ſexcentorum, Arabes,Armenos,Medos, univerſamque Aſiam ſeptendecim annis ditioni ſuæ ſubiecit:& tandem Zoroaſtrum, qui Bactra condiderat perdomuit, Ægyptumque ſubmiſit. duxitque uxorem Semiramidem,ex qua Ninyam filium ſuſcepit. relictaque Babylone Ninium, ſeu Ninivem condidit. hoc demortuo poſtquam regnaverat annos 52. Semiramis impuberis filii nomine adminiſtrationem regni ſuſcepit.quam mox in ſe tranſtulit,regnavitque annos 45. quibus Imperio addidit Libyam, Æthiopiam,& ad Indiam uſque,& Tanaim arma intulit. Secuti reges nihil memorabile geſſerunt. ultimus Sardanapalus, qui trigeſimus ſeptimus numeratur.hoc cæſo ab Arbace Mediæ præfecto, & Beloſo Babyloniæ,deſiit Aſſyriorum Monarchia anno mundi 3178. ante Chriſtum 876. cum duraſſet per annos 1300. Hinc ortum ab Arbace, cui ceſſit Aſſyria,Medorum regnum, & à Beloſo, ſive

Belo-

Belocho Babyloniorum. quorum Salmanaſar Aſſyriam Medis ademit. Stetere hæc regna uſque ad Cyrum, qui anno 3495. primo Olymp: 55. ante Chriſtum 559. à Roma condità 195. ſecundam condidit Monarchiam: De hac infra.

Cæterum poſt Perſas Romani Meſopotamiam diù tenuere, donec expugnata Damaſco à Saracenis anno 634 & mox ab Humaro illorum duce Hieroſolyma anno 636. & ſequenti Antiochia: non longo poſt tempore etiam Meſopotamia, & Babylonia his conceſſit. diuque floruere Babyloniæ in Ægypto, & Babyloniæ in Caldæa Saracenorum principes Caliphæ dicti, qui cęperunt anno 704 duraruntque uſque ad annum 1053. Saracenis extinctis iterum ad Perſas Aſſyria, Meſopotamia, & Caldæa devenere: ab his vero ad Turcas. Hi Meſopotamiam *Diarbeck*, Caldæam *Terack*, Aſſyriam verò *Curdiſtan* vocitant.

Diarbechanæ provinciæ urbes præcipuæ Amida, quæ & Ammæa *Caramit*, & *Diarbekir* ad Occidentalem Tigris ripam, duplici murorum ambitu, & quadratis turribus munita, ampla, & dives, ex qua ingens copia rubrarum pellium (*Marrocchino roſſo* Itali dicunt) per Aſiam, & Europam diſtrahitur. Prætori ſubeſt, cui 19. minores præfecti parent. *Moſul* etiam ad occiduam Tigris ripam contra antiquæ Ninivæ ruinas poſita: huius Prætor, quinque Præſidibus imperat. *Rika*, cuius Prætori, ſeptem minores parent, caput tamen provinciæ *Orpha*, ſive *Urfa*, in campo fertili iuxta Euphratem ſita mœnibus cincta, & turribus: domus humiles, nullaque arte compactæ: hic ferunt habitaſſe Abramum, cum iuſſus Iſaacum ſacrificare. Hæc Provincia olim adeo uberis, ac fertilis, ut meritò prima ad habitandum hominibus data, & in qua Paradiſum, hoc eſt, amœnitatis omnis,

ubertatis,ac felicitatis pomarium Deus locaverit: cuius veſtigia nullibi extant. nunc verò tantis barbarorum incurſionibus devaſtata, ut penè deſertum ſqualleat, aer temperatus, niſi quod interdum ventis ex vicina Arabia flantibus ita incaleſcat,ut pene animantia ſuffocentur.

Yemek, ſive *Hyerack* urbs præcipua nova Babilonia *Bagdat* ſive *Baldach*, Arabis dicta *Dar-al-Sani* nimirum domus Pacis. ad Orientalem Tigris ripam ſedet, quem ponte 33. navium ſibi iungit,una cum ſuburbio. Ædificata eſt hæc urbs ab *Abungifar*, quem *Almanſor* alii nominant anno 762. Kalendis Aprilis,quem diem,ex Aſtrologorũ ſomniis feliciſſimum ſibi duxit. urbs ampla, ſed infrequens,mercatu tamen celeberrima. mœnia è lateribus ad novum belli uſum complanata, & auctis propugnaculis munita. Ad Septentrioné arx quadrata,atq; intra urbem ſita eſt,utraque valido præſidio 6. millium, & tormentis ſupra centum munitur. Prætor unus ex primis Satrapis 22. minoribus præfectis imperat. Altera urbs *Belſorà* ad Perſicum ſinum ſita in plano humili, & paludoſo,quę niſi altiſſimis arenarum cumulis arceretur mare,obruta iam eſſet. Emporium totius Orientis nobiliſſimum,frequens,& dives, cœlo tamen calido, & ob paludes non ſano, obnoxium. Dum inter Turcas, & Perſas arderet bellum, Præfectus Turcicus defecit,ſeque dominum dixit:regnavitque multis annis. Capta mox Babylonia, ad Turcas rediit, qui Prætorem mittunt regia poteſtate, nec niſi modicum tributum Turcis pendet. illi ſubſunt præſides 16.

Curdiſtana à Curdis populis dicta, olim tota Turcis,qui in urbem principem *Chiresùl*,ſivè *Scheherezùl* Prætorem mittebant,illique Præſides 20. parere iubebant:nunc pars Turcis,pars Perſis ſubiecta,

iecta. Eſt etiam *Amadia* in edito monte poſita, pauper aquæ, quam nonniſi ad pedes montis haurit, mercatu tamen dives. Regio olim fetax & culta magnis populis; nunc, quoniam inter duo potentiſſima Imperia iacet, diuturnis bellis pene vaſtata, ac deſerta.

CAPUT X.

De Arabia Veteri, & nova.

ARabia amplitudine ſpatioſiſſima, claritudine, & divitiis nulli Terrarum poſthabenda, fines habet ab Oriente montium iuga, quibus à Caldęa diſiungitur, & Perſicum ſinum, à Meridie Rubrum mare, ſive Oceanum, ab Occaſu Arabicum ſinum, qui à proxima Urbe Mecca nobis dicitur *Golfo della Mecca*, & Iſthmum, quo Africæ connectitur: à Septentrione Palæſtinam, & Cœleſyriam. Etſi Arabum gens longe patuit, quippe quæ uſque ad Niphatem, & Amanum à Tigrane Magno deducta Meſopotamiæ magnam partem incoluit, & inſuper eam Africæ partem, quæ ſub Ægypto ad ſinum Arabicum iacet; & Arabia Troglodytica vocata eſt, mare transgreſſa tenuit. Immo propagato longe Imperio magnam Aſiæ partem, Africæ & Europæ occupavit. Longitudo eius maxima ab Ægyptio mari, ſive Sirbonis palude, quæ barbaris *Baranguerlis* ad Corodamum promontorium *Razalgate* eſt mill: 1600. latitudo maxima inter geminas Arabici, & Perſici ſinus fauces 1350. media inter *el Catif*, & Arcadan 780. Mediam Arabiam Cancri Tropicus ſecat, hinc media illius pars infra Torridam, media intra Temperatam iacet. Incolis *Arab* dicitur, Hæbræis *Hereb*, Turcis aliiſque finitimis *Arabiſtàn*.

Diviſa olim à Geographis in Petræam, Deſertam, & Felicem.

Petræa inter Palæſtinam, Ægyptum, & Deſertam iacet, dicta autem Petræa, vel ab urbe Petra, vel, ut aliis placet, à montibus, quibus abrupta eſt. Per hanc Iſraelitæ Moyſe duce in Palęſtinam ex Ægypto profecti, in cuius vaſtis ſolitudinibus 40. annorum ſpatio hac, illac vagi errarunt. Populi in ea olim clari Munichiates, Raitheni, Pharanitæ, Saraceni, ſive Agareni ab Agar, & Abramo geniti. urbes Petra *Krach*, & *Arach* urbs olim Archiepiſcopalis. Boſtra Metropolis Philippi Imperatoris patria, à quo Philippopolis Archiep: nunc *Boſna*. Esbuta, Elanna, Phara, *Fara* à qua Mons, & Deſertum & populi Pharanitæ appellati.

Arabia Petręa Turcis *Barnab*. Hæbræis *Syria-Sobaah* noſtro ævo dicitur, ubi præter urbes dictas, eſt *El-Tor* olim Ælana, ad litus Arabici ſinus, quà Hæbræis olim tranſitus. Locus arce, Turcicoque præſidio munitur. Supra Sina mons, Sinai in Sacris literis, Ptolemæo Melani montes: aliis Sinæus mons, Turcis *Gebel Muſa*, nimirum mons Moyſis, incolis *Gebel Tor*. Mons triceps, quorum Altiſſimum à Diva Catharina dictum, *Monte di S. Caterina*: quoniam illac ab Angelis divæ corpus translatum, ubi ædicula illi ſacra viſitur, quæ ex lapidibus invicem ſine cæmento nexis extructa eſt. &, ut ferunt, ab Angelis. alterum montis caput Sina vocitatur, ubi olim per varias ædiculas, ac cellas diſtributi quatuor & decem mille Heremitæ inhabitabant. nunc non pauci, ex Græcis, & Latinis degunt. in montis vertice, ingentique in rupe cavata, inque Occidentem verſa, eſt locus, ubi Moyſes quadraginta dies latuit. non longe Græcorum Eccleſia erecta eſt: ex qua iter, ad alteram ab Aſſumptione Virginis nuncupatam, quam

Lati-

Latini, Franci in Oriente dicti, tenent. Latinoque ritu ſacris miniſtrant, hanc contra antrum eſt, ubi Moyſes legis Tabulas à Domino accepit. in valle, quæ duos hos inter vertices media eſt, viſitur cænobium quadraginta Martyrum cum eleganti Eccleſia, & horto amœniſſimo: & præterea ſpecus S. Honuphrii. Tertium caput, eſt Mons *Oreb*, ubi Moyſes Dominum inter rubum ardentem vidit. inter hunc, & Sinam, fabricatum eſt cœnobium D. Catharinæ in extremo largi campi, qui eminus ſpectantibus totus viridis apparet. Admirationi pariter eſt in Sinai valle rupes, ex qua Moyſes aquas elicuit: & ſaxum ingens, ſupra quod æneum Serpentem Hæbræos extuliſſe tradunt. Ad ortum, verſus deſerta fuere populi Nabathæi, à Nabath Iſmaëlis filio dicti. urbes ſine mænibus habitabant, ſervos nullos habebant, pro equis Camelis utebantur, Solem præ cæteris diis colebant. horum meminit Dionyſius Afer:

Sed Libani montis ſunt per declivia primi
Felices opibus, Nabathæi nomine dicti.

Et Ovidius 1. Metam:

Eurus ad Auroram, Nabathæaque regna receſſit.

Arabia deſerta inter Montana Felicis Arabiæ, Euphratem, & Syriam iacet: Hæbræis Cedar, incolis Arden, Turcis *Beriara*, nimirum inferior Arabia vocitatur. urbes olim claræ Thapſacus, Ammæa, Cora, Saba; populi Batanæi, Cauchabeni, Orcheni, Agubeni, Agræi. Nunc Metropolis Anna, quæ & *Anaba* quod pęnam Arabis ſonat. ad Euphratē duobus longis plateis ſedet in Septentrionali opifices, in Meridionali nobiles habitant. Domus una cōtignatione fabricatę ex gypſo cuius ingens copia. ad tria millia paſſuum ab urbe verſus deſerta, virides, ac fertiles campi Euphratis aqua irrigantur. Annæ Toparcha Arabis *Emir* nuncu-

patus præcipuus eſt in Arabia deſerta: Cæteri Scytharum more vagi habitant in tentoriis Baduini dicti, ab antiquis *S*cenitæ. ubi paſcua, & aquæ, ibi tandiu ſedem figunt, quo ipſi, ipſorumque armenta herbas abſumpſerint. his enim devoratis alio commigrant: latrociniiſque finitimos infeſtant.

Reliqua pars peninſulæ, quam Arabia præfigurat, ultra Montana Felicis Arabiæ, Felix Arabia à Thuris odoriferi copia nuncupatur. Romanis Arabia ſecunda. Hæbræis *Saba*, indigenis *Taman*, vel ut alii ſcribunt *Ayban*. Antiqui populi Abucæi, quorum Coromanis *Corman*: Leaniti quorum Mallaba: Temi, quorum Thar; Geræi, quorum Gera ad Perſicum ſinum, Ætæi, quorum Sarca, Nariti, quorum Thegma, Sachalitæ, quorum Auſarta, Adamitæ, quorum Cane, *Haſec* ad mare Rubrum: Homeritæ, quorum Mardache, forſan *Aden*, in cuius regno hi populi, ob Catholicam fidem clari. Caſaniti, quorum Badeos *Baiſat* Badei regia. Eliſari, quorũ Muſa, forſan *Mocca*. hi & Caſſaniti juxta oram Arabici ſinus habitabant. in Mediterraneis Minæi, quorum Arcaman, & Sabęi, quorum Saba, celeberrimi erant: qui ſoli Thus mittunt. Sunt etiam Bithibanitæ, regio Myrtifera: Iritæ, & *S*alapeni. rurſus ad oram Arabici ſupra Tropicum Cinædocolpitæ, quorum *Zacram*, & Thamyditæ: quorum Modiana. *S*upra ad Montana Saraceni, quorum Othrona. aliique innumeri, quorum antiqui meminerunt.

Hodie in has regiones Felix Arabia dividitur *Hagiaz* ubi Meccæ, & Medinæ regna, *Theama* regnum ubi *Sarda* metropolis Aden ad fauces Arabici, ubi *Tomin*, Zidit, Herit, & Fartach regna ab urbibus principibus cognominata: eſt & Mocca ad ſinum Arabicum, portu, & mercatu nobilis: *Seger*, ubi

ubi *Sanàa*, & *Gabellaman*: & *Alibinali*: quæ regna item: in ampliſſimam regionem *Oman*, quæ ad Orientem eſt inter Arabicum mare, & Perſicum ſinum, ubi regna *Maſcalàt*, *Maſcatè*, *Maſſa*, *Deſeharkin*, ab urbib⁹ denominata: in Bahraim cuius urbes eiuſdem nominis, & ubi regna Anna in confinio Arabiæ deſertæ, & Lasba, & *Iamauca*, quę eſt intus, & deſertis contermina: ubi & *Arden*, & circa Menalos montes Bengebres populi. Inſulæ præcipuæ ſunt, ad Perſicum ſinum Ichara, quæ & Tylus *Baharem* Margaritarum piſcatione inſignis, quæ olim ad Luſitanos cum Armuſiæ regno, & *Maſcatè* pertinebat; nunc Perſici iuris eſt, ad Arabicum mare Serapidis inſula *Mazyra*; in Arabico ſinu Macaria, *Mazna*.

Arabia Petræa Syria, & Ægypto Romano Imperio adiunctis, ipſa etiam paruit. Felix verò ab Aelio Gallo Ægypti præfecto primum tentata, & ex parte debellata, ut ait Strabo lib. 2. ad Chriſti Fidem anno 38. ab Eunucho Candacis Reginæ adducta: mox ab Origene anno 235. tota Arabia Chriſtianis ritibus imbuta. Anno 570. natus in Orbis perniciem Mahumetes Abdalla Patre, Matre Eremita in urbe Mecca. 40. ætatis anno ſe Prophetam, & à Deo miſſum profeſſus, novamque Doctrinam profert ex Erebo vere Tartareã. primi aſſeclæ Alì, & Oſman: qui mox novæ ſectæ inſignes Doctores habiti. quadriennio poſt circumciſionem Iudæorum ritu, magnum Ieiunium 30. dierum ab Arabis dictum *Ramadant*. preces quotidianas quinquies in die, corporis ablutionem, abſtinentiam à ſuilla, & peregrinationem in urbem Meccam Natalem ſuum. Aſcitoque Sergio Monacho, ſectam mirificè dilatavit: Aſſeclas Sacramento aſtrinxit, ut ſibi obſequentes eſſent: & quicumque obſiſterent, ferro perderent. No-

patus præcipuus eſt in Arabia deſerta : Cæteri Scytharum more vagi habitant in tentoriis Baduini dicti, ab antiquis *Scenitæ* . ubi paſcua, & aquæ, ibi tandiu ſedem figunt, quo ipſi, ipſorumque armenta herbas abſumpſerint. his enim devoratis alio commigrant: latrociniiſque finitimos infeſtant.

Reliqua pars peninſulæ, quam Arabia præfigurat, ultra Montana Felicis Arabiæ, Felix Arabia à Thuris odoriferi copia nuncupatur. Romanis Arabia ſecunda. Hæbræis *Saba*, indigenis *Yaman*, vel ut alii ſcribunt *Ayban*. Antiqui populi Abucæi, quorum Coromanis *Corman*: Leaniti quorum Mallaba: Temi, quorum Thar; Geræi, quorum Gera ad Perſicum ſinum, Ætæi, quorum Sarca, Nariti, quorum Thegma, Sachalitæ, quorum Auſarta, Adamitæ, quorum Cane, *Haſec* ad mare Rubrum: Homeritæ, quorum Mardache, forſan *Aden*, in cuius regno hi populi, ob Catholicam fidem clari. Caſaniti, quorum Badeos *Baiſat* Badei regia. Eliſari, quorũ Muſa, forſan *Mocca*. hi & Caſſaniti juxta oram Arabici ſinus habitabant. in Mediterraneis Minæi, quorum Arcaman, & Sabęi, quorum Saba, celeberrimi erant: qui ſoli Thus mittunt. Sunt etiam Bithibanitæ, regio Myrrifera: Iritæ, & Salapeni. rurſus ad oram Arabici ſupra Tropicum Cinædocolpitæ, quorum *Zacram*, & Thamyditæ, quorum Modiana. Supra ad Montana Saraceni, quorum Othrona. aliique innumeri, quorum antiqui meminerunt.

Hodie in has regiones Felix Arabia dividitur *Hagiaz* ubi Meccæ, & Medinæ regna, *Theama* regnum ubi *Sarda* metropolis Aden ad faces Arabici, ubi *Tomin*, Zidit, Herit, & Fartach regna ab urbibus principibus cognominata: eſt & Mocca ad ſinum Arabicum, portu, & mercatu nobilis: *Seger*, ubi

ubi *Sanàa*,& *Gabellaman*: & *Alibinali*: quæ regna item: in ampliſſimam regionem *Oman*, quæ ad Orientem eſt inter Arabicum mare, & Perſicum ſinum,ubi regna *Maſcalàt*, *Maſcatè*, *Maſſa*, *Deſcharkin*, ab urbibꝰ denominata:in Bahraim cuius urbes eiuſdem nominis,& ubi regna Anna in confinio Arabiæ deſertæ,& Lasba,& *Iamauca*, quę eſt intus,& deſertis contermina:ubi & *Arden*,& circa Menalos montes Bengebres populi . Inſulæ præcipuæ ſunt, ad Perſicum ſinum Ichara,quæ & Tylus *Baharem* Margaritarum piſcatione inſignis, quæ olim ad Luſitanos cum Armuſiæ regno, & *Maſcatè* pertinebat; nunc Perſici iuris eſt, ad Arabicum mare Serapidis inſula *Mazyra* ; in Arabico ſinu Macaria, *Mazua*.

Arabia Petræa Syria , & Ægypto Romano Imperio adiunctis, ipſa etiam paruit. Felix verò ab Aelio Gallo Ægypti præfecto primum tentata, & ex parte debellata, ut ait Strabo lib. 2. ad Chriſti Fidem anno 38. ab Eunucho Candacis Reginæ adducta:mox ab Origene anno 235. tota Arabia Chriſtianis ritibus imbuta. Anno 570. natus in Orbis perniciem Mahumetes Abdalla Patre, Matre Eremita in urbe Mecca. 40. ætatis anno ſe Prophetam, & à Deo miſſum profeſſus, novamque Doctrinam profert ex Erebo vere Tartareā. primi aſſeclæ Alì,& Oſman: qui mox novæ ſectæ inſignes Doctores habiti. quadriennio poſt circumciſionem Iudæorum ritu,magnum Ieiunium 30. dierum ab Arabis dictum *Ramadant*. preces quotidianas quinquies in die, corporis ablutionem,abſtinentiam à ſuilla, & peregrinationem in urbem Meccam Natalem ſuum. Aſcitoque Sergio Monacho, ſectam mirificè dilatavit: Aſſeclas Sacramento aſtrinxit, ut ſibi obſequentes eſſent; & quicumque obſiſterent, ferro perderent. No-

vos ſectarios *Muslia* ſive *Muſalman* nimirum veros credentes appellavit. L. ætatis anno geminas uxores duxit.verum ob rei novitatem Mecca diſcedere, ac ſolum vertere iuſſus ob tumultum civium novam ſectam inſectantium. Medinam venit; exceptuſque ſummo plauſu. Hæc autem fuga contigit 16. Iulii anni 622. ex quo Hegyra Mahumetanorum incipit. Hic exercitu comparato,Imperium, ac ſuperſtitionem armis extendere occæpit:finitimoſque partim vi,partim ſuaſu ad ſe perduxit:& rex idem & Sacerdos regnavit annos 8. Statura fuit mediocri, animo forti, voce amabili, nigris oculis,ore gracili,obiit ut multi tradunt morbo caduco,ut alii,veneno:quod illi propinavit Buhanduca, qui illi á ſecretis erat. Atque hæc Origo infamis, ſectęquam in libro deſcriptam ab Ali, quem Alcoranum vocant, tantas gentes, ac regna peſtifero veneno infecit.

Obiit Meccę,ſed cadaver ipſius juſſu Medinam delatum,ubi ſumma ſuperſtitione colitur. Eſt autem Mecca,antiquis Moriaba, oppidum in Arabia felice in lat: grad: 22. mi: 30. ſita in valle, quam circum abrupti montes cingunt, quatuor tantum faucibus patentes; quibus iter in oppidum, ſolum ſterile, aridum, rebuſque penè omnibus deſtitutum:at nullus in Orbe locus,qui tanta frequentia, tantaque populorum ſuperſtitione petatur. hinc omnia ad victum neceſſaria aliunde affatim aſportantur.oppidum ſine mœnibus, nec ſatis amplum. ſex millia domorum numerantur, quę paſſim è lateribus fabricatę. in urbis medio Fanum toto Terrarum Orbe celeberrimum ampliſſimo tholo,duabus veluti Turribus altiſſimis cõſurgit: centum portis patet: quas ſuper totidem feneſtrę viſuntur. pavimentum humile,in quod gradibus duodecim deſcenditur, ſacrũ Mahume-

tani

tanis cum quod primum Abramus ibi habitaverit, tum quod ibidem Mahumetes natus creditur. Divitiæ,ſupellectiles,immenſæ: præcipuè intra circuitum ædiculæ ſine tecto, quam Abrami domum fuiſſe putant, ianua, qua aditur argentea: non longe in ædicula puteus profundus, cuius aqua ſalita:ſed illa morbos omnes curari, labeſque animæ allui falſo credunt. Solemnis ablutio fit 23. Maii: quem diem feſtivum habent, atque ab Advenis, qui religionis ergo turmatim conveniunt magnis cæremoniis colitur. Fani fornices, & arcus tanta pretioſorum lapidum maieſtate fulgent,ut mirum ſit, tantaque aromatum quantitate, ut mirus odor ſpiret.Non longe à Mecca præterluit Betius fluvius Arabiæ notiſſimus,qui ex Zamete,*Zamit*, ortus in Arabicum ſinum delabitur Barbaris *Chasbar*, de hoc Pontanus noſter lib. 5. Uraniæ.

Betius hinc Zamete fluens lavat herbiger amnis.

Alter eſt Lar, *Om* qui in Perſicum ſinum devolvitur.

Medina, *Talnabi* cognomine, quæ olim Methymna Talnabia,abeſt à Mecca Septentrionem verſus quatuor dierum itinere.ſita eſt ad amnem *Laakie* dictum; domus unius tantum contignationis numerat 1200. Præcipuum Fanum, quod *Moſa kibu* Arabes vocitant:nobiſque ſonat, tres Sancti: ſupra quadrigentas columnas aſſurgit:quæ plus termillibus lampadibus argenteis adornatæ fulgent. eſt & exigua turris argenteis laminis circumtecta: pavimentum auratis tapetibus adornatum:in hac Mahumeti tumulus,quem falsò ferreum ferunt,& a magnete ſuſtentari;ſed tenuiſſimis columnis nigri marmoris ſuſtinetur: ut ex Turcis,qui ad Chriſtianam fidem venerunt; accepimus,Nam nemini Chriſtianorum licet ſub

pęna capitis ad Medinam accedere.

Ex Mahumete orti reges in Arabia,quos, Emiros,& Serifos vocant.præcipuus eſt, qui Meccæ dominatur;cui longus terræ tractus ſubeſt. reliquis primariis urbibus regnant. Othomanni in Orientali plaga ad Perſicum ſinum in Lasba Elcatif,& Laſſach poſſident,in hac præfectus reſidet, in Occidentali *Ora* ad Arabici fauces Dolfar, Tibit, & Aden, ubi Prætor: urbs propugnaculis, & arce munitur.olim Arabia, & Emporium. aliis Madoce vocabatur.

Quod ad ſoli, cælique qualitatem attinet;quoniam Cancri Tropicus mediam Arabiam ſecat; Solisque radii in ſabuloſum ſolum,ac ſiccum incidunt,ſummus calor:nec ſane habitari poſſet niſi matutini rores calorem remitterent: hinc itinera noctu peraguntur: univerſim Tellus ſterilis, nec niſi in felice Arabia culta, & habitata præcipuè iuxta littora. in illa Olea naſcitur plurima, Cinnamonum, Caſſia, Belzuinum, Thus, Maſtyce, & Myrrha.prætere a hordeum provenit, & album Millium,quo pultem conficiunt. inter Meccam, & Moccam campi quidam iacent, quibus arbuſta naſcuntur,fàbis ſimillima:fabas *Caffè* vocant Arabes,ex quo potio fit apud Turcas, Arabes,& Perſas frequentiſſima.Inciſis arboribus non ſolum thus, & myrrha,ſed Gummi ſudat Arabicum dictum.

Nulla gens adeo libertatis amans, ut Arabes: hinc vagi greges agunt nullis ſubiecti:prædaſque à finitimis abigunt, eoſque,qui in urbibus degunt, contemnunt,Mantoſque vocant, nimirum molles,ac pigros. Se Saracenos, ac latrones vocant, talique nomine gaudent. hi paſſim in Deſerta,& Petręa vagantur. In Felice humaniores ſunt, & Aſtronomiæ, ac medicæ artis periti. apud nonnullos Emiros, ſeu principes ornatiſſimæ biblio-

tecæ

thecæ reperiũtur, in quibus Græcorum, & Latinorum opera integra, quæ nos vix habemus, inveniri, viatores multi tradiderũt. Gentis color glaucus in nigrum vergens, ſtatura mediocri, ingenio prõpti, animoſi, robuſti, & laborum patientiſſimi, equis maximè gaudent. Equi generoſi, & fortes, & tanti æſtimantur, ut plurimi ter mille ſcutatis veneant. Religio Mahumetana ſeverè culta ab his, qui urbibus habitant: qui vagi errant minus religioſi.

CAPUT XI.

De Veteri Perſia.

PErſarum regnum antiquiſſimum in Aſia, ac potentiſſimum fuit, de cuius exordio, incremento, ac varietate mox dicemus: nunc eam partem deſcribimus, quæ preſſius Perſarum regnum appellata veteribus fuit. Hæc fines habet ab Oriente Indiam, à Septentrione Oxum fluvium, & Scythiam, ac Caſpium mare, ab Occidente Aſſyriam, & Babyloniam, & Armeniam, quam etiam à Septentrione tangit, à Meridie ſinum Perſicum, & Oceanum. Longitudo Geographica inter 80, & 97. Meridianum: inter Parallelum verò 25. & 40. Itineraria inter Araxis oſtia, & Arbitos montes, qui ad Indi æſtuarium ſunt, eſt mill: 1500. latitu maxima inter Caſpium, & Oceanum mill: 900. Regiones hæ cenſentur, ad Orientem Gedroſia, *Send*, in qua populi Orbitæ, Parſitæ, Muſarnæi, Ramnæ: Regiones Paradene, & Pariſene: urbes Parſis caput, forſan *Farns*, Cuni, Arbis *Bilber*; unde Arbiti montes, & Arbi fluvius, *Berber*.

Sequitur ad Occidentem Carmania *Kirman*, in qua populi Iſatichæ, Zuthi, Gadanopydres, Camelobo-

loboſci, *Sozotæ* dicti, Agdenites, Rhudianæ, Ares, Charandræ, Paſargadæ, & Armoſei: Regiones Modomaſtice, Parepaphitis, Cabadina, Chantonice: Urbes Carmana *Kirman*, Samydace, *Gudel* ad oſtia Sancydochi. Alexandria, *Serent*. Supra eſt Carmania Deſerta Carmaniam inter & Parthiam nunc deſertum *Mingiù*. Tota Carmaniæ ora patet ex Plinio 1250. mill: paſſuum ubi teſtudines plurimæ, & magnæ reperiuntur. De Carmanis populis Lucan:

Tunc furor extremos movit Romanus Oreſtas,
Carmanoſque Duces.

Supra ad Orientem Arachoſia *Candahar* ad Occidentem Drangiana, *Sigiſtan* primæ populi Pargyetæ, qui ante Arimaſpi, poſtea Evergetæ dicti, Syrdri, Doplutæ, Eortæ: Urbes Alexandria *Candahar*, Arachotas, *Chatzan*. ſecundæ, Daraudæ, & Batrii, Regio Tatavene: Urbes Ariaſpe *Gobinòn* Prophthaſia *Siſtan*.

Paropamiſis ad Septentrionem harum poſita *Sableſtàn* populi Politæ, Ariſtophyli, Ambautæ, Varietæ, Parſii: Urbes claræ Carula, quæ & Ortoſpana male Cataldo, *Candahar*, Naulibis.

Bactriana ad Oxum fluvium extenditur, *Canaſſan*, nunc barbaris: in ea populi Salataræ, Zariaſpę, Chomari, Corvi, Acinacæ, Tambyzi, Thocarorum gens magna, Maricaì, Scordi, Varni, Savadii, Orſiti, Amariſpi. Urbes Bactra ad Caucaſum *Termed*, aliis *Bagdaſan*, de hac Virgil: de Italiæ laudibus:

Non Bactra neque Indi.

Et Claud:

Vltima fraternas horrebunt Bactra ſecures.

Ebuſmi, Maracanda *Badaſcian*, Charracharta.

Margiana inter Oxum, & Caſpium mare pars *Coraſſan*, etſi Cluverio *Elſabar*: populi in ea fuere

Der-

Derbitæ, Maſſagetæ, è Scythia huc tranſgreſſi: Partei, Daæ, Tapurni: urbiũ celebertima Anthiochia Margiana, antea Alexandria, poſtea Seleucia appellata.

Aria inter Margianam, & Drangianam: pars & hæc *Coraſſan*: populi in ea Niſæi, Aſtaveni, Maſdorani, Caſirotæ, Obates, Elymandi, Borgi: Urbes, Atia, *Herat*, vel nunc ampla, & roſis celebris. Alexandria, *Burgian*, Bitaxa.

Parthia ad Occidentem ſequitur *Hierak*, cuius regiones, Comiſene, Parthiene, Parataucicene, Tabiene, cuius gens Sobidę. caput regni Hecatompylus à centum portis: ex cuius ruinis Hiſpahanũ Regia nunc Perſiæ. Cęterum Parthi gens Scythica, qui in Perſiam profecti, diu Imperium tenuere: dicti autem Parthi, quaſi fugaces, Medica lingua: hinc Virg: 4. Georg:

Prima leves ineunt ſiquando prælia Parthi.

tantæ bibacitatis fuere, ut hinc factum adagiũ: *Parthi quò plus biberint, eò plus ſitiunt*, quod de avaris æque, ac ſtudioſis dici ſolet. In libidinem verò adeo proclives, ut ſororibus, ac matribus commiſcerentur. furta apud illos impunita. mentiri tamen turpiſſimum putabant.

Hircania ſupra Parthiam ad Caſpium mare ſita eſt *Tabriſtan*, & *Maſanderan* ad Meridiem Coronium montẽ habet Tauri partẽ, quo à Parthia dividitur, nunc dicitur *Baſaràſc* teſte Caſtaldo. Huius populi Maxeræ, Attabeni, Chrindi. Regio Arſitis, caput regionis Hyrcana *Aſterabath*, & Amaruſa. hic Pantheras gigni teſtatur Solinus: ab Hyrcania Caſpium mare Hyrcanum dictum: unde Propertius lib. 2.

Num iam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas,
Et petere Hyrcani litora nota maris.

Perſis inter Carmaniam, & Suſianam ſita *Farſ:*

ex

ex hac totum regnum Perſia vocitata. in ea populi Meſabatæ, Rupſii, Hippophagi, Suzæi, Mægotes, Stabæi: Regiones Parætacene, Miſdia, Mardiene, Toncene: Urbium clariſſima Perſepolis regia Imperii Perſici, quæ mendoſe *Sciras* ponitur. Fuit Perſepolis inter Scirasū, & Hiſpahanum ad Araxis ripam, ubi nunc ruinæ viſuntur, Perſis dictæ *Tſchelminar*, nimirum quadraginta columnæ in amœna planitie ad fluvium Araxen, nunc *Bradamir* opus adeo magnificum fuiſſe, ex his, quæ reſtant colligitur, ut vel nunc omnes in admirationem rapiat. eſt & inſcriptio in tabula lapidea, cuius characteres non Caldæi, non Hebræi, non Arabes, aut alterius notæ linguæ: omnes ſunt pyramidales, vel triangulares inſtar obeliſci, nec niſi diſpoſitione differunt. certe hòc regum palatium fuit, cuius Arianus, & Iuſtinus meminerunt. Arx univerſa triplici muro cincta vaſtiſſimo ambitu. ſupra ad Montis radices viſuntur ſepulchra regum ubi arx erat. in ſaxo figuræ multæ, quæ vel homines ſacrificantes diis, qui ſatyrorum forma effecti: vel animalia exprimunt, feruntque huiuſmodi figuras eſſe ſupra bis mille. Perſepolis à Perſeo condita à Suſis Ortum verſus 500. mill. paſſuum. Ab Alexandro Taidis meretricis ſuaſu deleta. reliquæ urbes Axima, *Maraſciam*, Toace.

Suſiana inter Tigrim, & Enlæum qui *Vlai* apud Danielem, nunc *Tiriſir*. ipſa *Cutiſtan*. nobiles populorum Elymæi, quorum regio Elymæa, Corſæi: Regiones Melitene, Cabamene, Characene, Ciſſia, Chaltapitis, & Deſius campus omnium fertiliſſimus, fluvii præter Eulæum, Moſceus, *Caron*, & Oroates: Urbes Suſa *Sus*: de quibus Propertius lib. 2.

Non tot Achamenii armantur Suſa ſagittis.

Aſſueri regis quondam regia, & Tariana. Media ad Septentrionem ſupereſt, quæ nunc *Kiulan*, & *Adirbeitzan*: populi celebres fuere Caſpii, à quibus Caſpium mare, Caſpii mōtes, & Pylę Caſpię: Caduſii, Geli, Dribyces, Avarici, Mardi, Carduchi, poſtea Gordieni; Marundę, Margati, Sogartii, Tapuri, Sidices, Vadaſſi: Regiones Atropatia, Cotomiterne, Sagrinnica, Ragiana, Daritis, Tropatene, Syromedia. Urbium notiſſimæ Ecbatana, aliis Tauris, regia Perſarum, qua capta, ſolium tranſlatum *Casbin*, quam alii Ecbatana eſſe contendunt. cæterum antiqui Perſarum reges hyeme Suſis, æſtate Ecbatanis degere ſolitaverunt. Arſacia *Casbin*, Cyropolis *Sammachia* Perſis *Circombate*, Arabis verò *Chyſelet*: Mediæ Antropatiæ caput *Caſſan*. Fluvii Cambyſes, Cyrus, Mardus, Montes Iaſonius, Zugrus, Choatras ubi Choatræ populi, quorum meminit Luc: li. 3.

Æthera tangentes ſylvas liquere Coatræ.

CAPUT XII.

De Perſarum Regno, & Secunda Mundi Monarchia:

NUlla unquam gens tantis, ac tam variis armis petita: nulla apud quam tam magna, ac tantis temporibus imperia floruerint, quam gens Perſarum. Si enim illorum annalibus à Mirkone conſcriptis, quos ſanctos habent, præſtanda fides eſt, Primus Perſarum rex Caymarras Arami filius, Semique nepos, qui quidem rex Adamus II. cognominatus fertur. Sed quoniam vetuſtiſſima hęc ſunt. Perſæ Aſſyriis, ut ſupra dictum eſt, paruere: mox Medis uſque ad annum 559. ante Chriſtum; quo Cyrus Aſtyagis Medorum regis nepos

ad

ad Perſas regnum tranſtulit. anno autem 547. mortuo Aſtyage, ſuper Medos regnare cœpit: & mox victo Dario Medo, anno 536. Babylone potitus, Perſarum regnũ auxit;cui ſtatim, eodemque Fortunæ impetu totam Aſiam, & Orientem adiuxit. Cum verò in Scythas moviſſet primo prælio victor, ſecundo, quo vicerat,dolo victus,cæſuſque cum toto exercitu à Tamyra Scytharum regina, cuius filium Cyrus trucidaverat. Cyri caput in utrem ſanguine pleno coniici regina iuſſit, cum hac exprobatione: *Satia te ſanguine, quem ſitiſti,cuiuſque inſatiabilis fuiſti*.

Cyro Cambyſes filius ſucceſſit: qui Ægyptum, Libyam,aliaſque provincias Imperio adiecit,erevitque deinde Perſarum regnum uſque ad Darium Codomanum Arſami filium: cui præter Perſiam,Mediam, & Aſſyriam,parebant Armenia, Aſia minor, Cyprus,Thracia, Macedonia, Inſulę Ægęi maris,Ægyptus, Libya,pars Æthiopiæ, & India cis Gangem. Anno 330. ante Chriſtum. Mundi verò 3724. Alexander Macedo, Dario ad Arbelas victo Perſarum regnum in Macedonas tranſtulit. Duravit Perſarum Monarchia à Cyro ad Darium ſub 13. regibus annos 206.

Rurſus ſub Antiocho II. anno Mundi 3804. ante Chriſtum 250. III. Olymp: 132. Conſulibus M. Attilio Regulo, & L. Manlio Vulſone, Parthi Arſace duce defecerũt à regibus Syro Macedonibus:cœpitque Parthorum regnum, regeſque Arſacidæ,& Arſaces appellati,ut Romani Imperatores Cęſares cognominati. Atque hæc fuit gens illa, quę deſpecta primum,& vilis habita, mox ad tantam nominis claritudinem venit,tantamque potentiam, ut inter Euphratem, & Indum victrix dominaretur,Taprobanem vectigalem habuerit: & interdum Syriæ,Armenięque regno potiretur.

No-

Noſtris armis fortiſſimè reſtitit, cęſo ad Charras Craſſo. unde Luc. de civilibus bellis.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis
Auſoniis, umbraque erraret Craſſus inulta.

Bellis civilibus Pompeianas partes ſecuti Parthi. deinde Vantidio Duce, Antonii legato cæſus cum univerſo exercitu Pacorus Orodis filius, par pari clades Parthis repoſita. ſed flagrantibus iterum bellis civilibus Caſſium, & Brutum ſecuti ſunt cum Auguſto, & Antonio infenſi eſſent. at rerum potito Auguſto, territique fama nominis ſigna militaria, & captivos remiſerunt, & pacem cum Romanis pepigerunt.

Stetit Arſacidarum regnum uſque ad annum Chriſti 228. cum duraſſet annis 478. cum anno V: Alexandri Mammeę filii Artaxerſes nobilis Perſa victo tribus pręliis Artabano 13. & ultimo Parthorum rege, rerum ſummam ad Perſas tranſtulit, regnumque inſtauravit. Stetit, ſub Perſis imperium uſque ad annum Chriſti 632. cum Hormiſda II, ſeu Iezdagirde, alii Iezdagerdem vocāt, 27. & ultimo, ſecundo regni anno ab Othmano Saraceno trucidato ad oppidum Margā cum totis copiis, Perſarum regnum ad Saracenos, Babylonię regnantes tranſiit: penes quos manſit annos 418. uſque ad annum Chriſti 1051: cum Gelalinus Turcarum Dux Saracenos eiecit: ſtetitque apud hos uſque ad annum 1294. quo tempore Occatus Scytha Turcis Aſiæ imperium ademit.

Anno 1398. Tamberlanes Scytha ex bubulco rex factus Perſidis regnum occupavit, Tamberlani ſucceſſere Zeldas, Zeldanes, Uſſuncaſſanes: Inde Sophi, quorum hæc origo. Sacerdos quidam nomine Aidar magni nominis, ac venerationis inter ſuos, redeuntem è bello Turcico cum capto Baiazethe Tamberlanem magnis honoribus, ac

plau-

plauſu accepit. Tamberlanes propter ſingularem hominis humanitatem innumeros captivos, ingentesque opes donavit. Ille captivos galero, quo ipſe utebatur, ut à reliquis dignoſcerentur adhibere iuſſit, miſitque in Mediam: dictique à Perſis Sophi. Galerus autem quo ſe tegebat Aidar vertice latior ceteris erat, inque duodecim latera laciniatus, ob memoriam duodecim Prophetarum, è medio rubea cuſpis ſurgebat, quo inſigniſe à Mahumete progenitum longa avorum ſerie gloriabatur, Aidaris filii favore populorum, ſervorumque potentia regnum invaſere: quorum tertius natu Iſmael, cęſo ad Taurim Perſarum rege, Imperium obtinuit; cognominatique reges Sophi. huic ſucceſſit Tammas: Tertius Iſmael II. quo ob crudelitatem à populis trucidato, frater Mahumetes in regnum aſcitus. Quartus Abbas I. cognomento Magnus ob res geſtas: Perſarum enim Imperium firmavit, repulſis Turcis, recepta Media, additiſque Imperio Laris, & Armuſię regnis: & Candahàri provincia ab Indis recuperata. Hoc mortuo filius Sophus, ſive *Seſi* I. in paternum ſolium evectus. Sextus fuit Abbas II. Septimus Sophus ſive *Seſi* II: qui poſt Solimanus appellatus. Cæterum in hunc fermè modum Perſę regem cõſalutant. veteri defuncto, in Gynecæum ubi tegis liberi educantur, Militiæ Dux, & Princeps Aſtrologorum ſe conferunt, ut auſpicato ſcilicet res peragatur: evocantque reginam, & filium, qui hęres à Patre dictus. Hic ut ad ianuam venit, illi in genua concidunt, regemque ſalutant. ille more maiorum veſtem ſcindit: regalemque indutus, atque iterum rogatus prodit, inque faciem accidit: mox calcaneis innixus ſedit. tunc ad id muneris Dux delectus acinace Perſico illum pręcingit, in hęc verba profatus, Memento, rex, tuo

ſer-

ſervo id honoris tribui, ut te nimirum enſe ſuccingat: hoc peracto rex aſſurgit, intuſque ſe recipit. ſignum datur, litui ſtrepunt, & tympana: mane effuſus populus in regiam currit, regemque ſalutat, his verbis: Ego te, Imperator, ſaluto.

CAPUT XIII.

De nova Perſiæ diviſione: gentium more, ac cæli, ſolique indole:

VNiverſum Perſarum regnum in has præcipuas provincias, ſeu Satrapias dividitur, nimirum *Adirbeitzanam*, cuius metropolis Tauris, vulgò *Trebiz.* urbs ampla, & dives, in fertili, amœnoque campo ſita: non longe collis ubertate æque, ac deliciis memorandus: ex hoc Turcæ, cum urbem obſidione premerent, tormenta in perniciem exploſere: factumque, ut qui antea illecebrarum, calamitatum locus eſſet, variante vices rerum fortuna: domus ex lateribus at unius contignationis. *Kilanam* ad Caſpium mare, cuius caput *Reſcht.* regio Caſpiis iugis latè cingitur: atque hic olim Caſpia gens: cuius canes ſæviſſimi. *Mezaderanam*, ſive *Trabiſtanam* iuxta litora Caſpii maris cuius urbes principes Hyrcana *Aſterabath*, & *Ferabath* in campo maritimo poſita; moris, ex quibus mira oloſerici copia conficitur, & oleis latè conſito. *Coraſanam*, quæ latiſſimè uſque ad Oxum extenditur, cuius caput *Herat*, à qua Septentrionem verſus mill. ferme 100. eſt *Meſched* ſepulchro celeberrimà apud Perſas Prophetæ, qui vulgò *Iman Riſa*, nobilis, & frequens. *Sableſtanam*, cuius *Buſth* arce munitiſſimum oppidum. *Sigiſtanam* ſive, *Sitziſtanam*, cuius *Siſtan* urbs non ampla, ſed populoſa: inque fertili campo ſita.

Sin-

Sendanam vulgò *Send,& Sindi* infrequens regio,& penè deſerta: cuius *Frans*, memorantur litora maris ob ingentem Oceani æſtum inacceſſibilia, atque inculta. *Makeranam* ad Oceanum Indicum: quod & Carmanum mare; caput *Titz* non longe à mari ſitum: alii *Makran* caput faciunt, cum ab ea provincia nomen ſortita ſit. *Kermanam* cuius *Karman*: *Farſiſtanam*, cuius *Schiras* urbs totius Perſiæ florentiſſima: cuius vina laudatiſſima: *Chuſiſtanam*, cuius *Sus Hyerak Agemam*: regio in medio regni ſita, cuius, & totius Perſiæ princeps Hiſpahamum. *Hiſpahàn*, Perſis *Sphaàn*.

Iacet hæc ampliſſimi regni caput, ac Regia in Merid: 90. in parallelo autem lat: Bor. grad. 32. min: 45. fabricata in latiſſima planitie, quæ ex triplice latere ad LM: paſſuum excurrit, ſolum amœniſſimum, ac feraciſſimum innumeris fontibus, ac canalibus è vicinis amnibus ad irrigandos agros deductis. ad Meridiem VI. ab urbe lapide altiſſimus mons ſurgit, in cuius vertice antiquæ arcis veſtigia extant, in quam Darium confugiſſe incolæ memorant. Urbis circuitus ampliſſimus, vel Luteciæ Pariſiorum æqualis: at civium numerus decuplo maior Pariſiis: domus enim humiles: neque altę ſecundum contignationem attolluntur: ſingulæque ſuos hortos habent, ac pomaria: hinc villarum potius ſpeciem, quam urbis refert: plateæ anguſtæ, tortuoſæ, & inæquales: quia etiam propter arcus, ac fornices, quibus ex una in aliam domum tranſitur, obſcuræ. Mœnia ex terra, & raris turribus munita; immò multis in locis collapſa. Ad Meridiem arx eſt quadrata antiquis turribus male munita. in ea tamen regius theſaurus aſſervatur, univerſaque munera, quæ à Præfectis Provinciarum, aut ab exteris mittuntur. Forum pręcipium, quod Perſę, & ferè omnes Orien-

rientales *Meydan* vocant, eſt longum paſſus 700. latum verò 300. circum pulcherrimis ędificiis ornatur: atque porticibus undique cingitur. in medio altiſſima arbos cernitur: hac utitur populus, dum ſe iaculandi arte exercet, fixo in editiſſimo ramorum ſcopo. cum rex ipſe ludo navat, aureus crater in vertice figitur. Ad Occidentem ubi Fori ianua Regiæ ædes poſitæ, in quibus præter hortos, & Aulas, quas *Divani* vocant nihil memorabile,

Ultra amnem, quæ gens *Senderù* vocitat altera urbs conſpicitur *Zulfà*, & *Chiolà* Armenis dicta: in hanc Abbas Magnus cum circa annum 1612. Hiſpahanum cōderet, Armenos commigrare iuſſit. Cæterū in hac regni metropoli, quemadmodū in tota Perſia triplex genus hominum, & triplex gentis religio. Primi ſunt indigenæ, antiquorum Perſarum, & Parthorum reliquię: & hi *Gauri* nuncupantur: Solem, & ignem colunt gentium ritu. Secundi ſunt Saraceni, *Scythæ*: hi Mahumetani: ſed diverſæ à Turcis ſectæ: illius nempe, quam Haly Mahumetis gener fundavit. tertii Armeni, & Georgiani, qui Chriſtianam religionem, ſed Græcorum ſchiſmate, variisq. Hereſum erroribus deturpatam profitentur. Parent Patriarchæ: cui 47. Præſules ſubſunt; ex his nonnulli Catholici ritus Pontificem Romanum venerantur.

Inſula, quæ ad Perſidem pertinet Armuzia; *Ormuz* Carmano littori obiecta inter Armozum promontorium, ex quo nomen ſortita, & Aſaborum Arabiæ *Moſſondàn* diſtat à continenti Perſidis 12. mill: paſſuum: circuitus eſt 9. M. paſſuū. Goa Luſitanorum Colonia navigatione dierum 22. in Occaſum abeſt. In inſula urbs olim totius Orientis Emporium celeberrimum: cæterum ſolum aridum, & ſterile; Cœlum calidiſſimum, & mali-

malignum. Arabum de gente hìc quondam rex, cuius regnum partim Perſiæ in continenti, partim in Arabia, *ubi Meſcatè*, cui & ſubiecta Tylos inſula memorata. at capta urbe cum inſula ab Luſitanis, Alphonſo Albuquerchio Duce, an: 1507. reges Armuſiæ Luſitanorum vectigales fuere. Luſitani in urbe munitiſſimam arcem fabricarunt. at anno 1622. Aprilis 25. Abbas Perſarum rex Luſitanos, & regem Arabum inſula eiecit, arcemque Anglorum auxilio expugnavit; ex illo urbs ſenſim defecit, arx diruta, Emporium translatum in *Gramron*, ſive *Bander Gramron* in proxima Carmania. De hac inſula nos Naut: VII.

Sed dextra ante aditum falcato in litore tutos
Ipſa tibi pandet venienti Armuſia portus,
Inſula dives opum variarum, & divitis auri,
Opportuna ſitu facili, & ſtatione reducta.

Quod ad ſoli, Cœliq; indolem attinet, quoniam ampliſſimum regnum eſt, regiones, quæ ad Oceanum ſunt calidæ, quæ verò ad Caſpium mare frigidæ: etſi univerſim temperie ſua gaudeāt, humida minus, quam ſicca: ſalubritate mira, ut populorum refertiſſimum ſit. Solum etſi raris fontibus, fluviiſque irrigetur, fertile tamen, & glebę ubertate, & gentis induſtria, quę fere omnis Perſiæ flumina in innumeros rivulos, & canales derivavit ad agros, campoſque rigandos: Frumentum tota Aſia nobiliſſimum: Bombyces non niſi Sericis cedunt. Montes nudi paſſim, & infœcundi, hinc raræ admodum ſylvæ: ſcatent tamen lapidibus pretioſis, pręſertim Topatiis, qui in Margianis eruuntur. Litora unionibus ditiſſima, importuoſa tamen, & propter æſtum maris inaceſſa verſus Indum. Peponum in hortis mira copia, ex quibus fere victitant. texuntur tapetes optimi, & pelles cærulææ: ex quibus, & oloſerico præcipuæ merces.

Gen-

Gentis indoles nobilis,urbana: exteros amant, veſtium munditie, & faſtu mirifice delectantur: in reliquis non adeo mundi, ac delicati. color plus ad niveum,quam glaucum accedit,variansq; nonnihil pro locorum climate. ſtatura mediocris: animi bellicoſi, luxu quamvis interdum frangantur: peditatu æquè, atque equitatu pollent. Expugnandis nihilominus urbibus minus apti:quin & in tam vaſto regno arces fere nullæ. Lacædemonum more, ſatis pro muris eſſe hominum pectora arbitrantes. Mathematicis diſciplinis, & præcipuè Aſtrologiæ navant operam: & Medicæ artis peritiſſimi. Regni politia Monarchica:ſummum ius Regi in ſubditorum vitam, & fortunas. Legato utitur,ſeu vicario(*Athemat-Dulet* vocatur) qui regnum adminiſtrat Provincias per Prætores,quos gens Ghamos,*Kan*, appellat hi regia pene poteſtate gubernant;& ſuperiori ſeculo perpetui, nunc verò nonnihil eis de poteſtate ademptum. Belli tempore dux unus Militiæ præficitur,qui *Sepeh Salar* indigitatur. hic confecto bello,magiſtratu abit.Tres ſunt præcipuæ in Perſia linguæ,veterum Perſarum,qua Gauri utuntur, novorum,qua paſſim nunc Perſæ:& Armenorum: quorum duplex: altera enim loquuntur, altera verò ſcribunt.ſciunt tamen Arabicè, & Turcicè loqui: & hac plurimum delectantur.

CAPUT XIV.

De Antiqua Scythia, eiuſque diviſione.

Tota illa Aſiæ pars, quę ultra Tanaim, Oxum fluvios, Caucaſum, & Ottorocoram montes ad Septentrionalem,& Eoum Oceanum excurrit, Scythiam veteres appellarunt; Quę quidem vaſtiſſi-

ſtiſſima æque, ac deſerta, nobiſque,ac veteribus pene incognita: quandoquidem ob Cœli inclementiam, terrarum ſolitudinem, ferarum, hominumque ferociam adiri ab exteris, luſtrarique non ſine maximo vitæ periculo poteſt. Huius autem termini ab Occaſu iidem ac Aſiæ termini: ab Ortu Oceanus Eous, ſive Sericus: à Septentrione Hyperboreus: ad cuius litora prorſus incognita: à Meridie Caucaſus, Euxinus, & Caſpium mare, Oxus fluvius, Caucaſus, & Ottorocora, quibus ab Indis, & Sinis diſterminatur. Partes verò Sarmatia Aſiatica, Sogdiana, Scythia vera, & Serica regio. Cæterum Scythæ celeberrima gens latè per Aſiam extenſi, & notæ etiam feritatis: ita, ut *Scytharum oratio* in adagium tráſierit. Hi enim Dario regi, qui ad eos ſcripſerat, nihil aliud reſcripſerunt, niſi ut ploraret. vita etiam adeo aſpera illis fuit, ut *Scytharum potatio* in adagio ſit. *Scytha equũ* item in adagio in eos, qui rem aliquam averſari videntur, quam maximè expetunt, ut Scytha equum. nullas olim urbes habebant: in plauſtris domos ſecum ferebant; unde & Hamaxobii appellari. Illis vagari, convectare prędas, & rapto vivere mos fuit. hinc Poëta:

Convectare iuvat prædas, & vivere rapto.

Sarmatia Aſiatica inter Tanaim, & Rham amnes poſita: in qua populi olim nobiles Hyperborei, Hyppophagi, Baſilicæ Sarmatæ, Sauromatæ, Phthirophagi, omnium parciſſimi, unde nomen ſortiti, quaſi pediculis veſcerentur: Periérbidi, & Amaxones. hi omnes tunc *Tartari Circaſſi* vocitantur. Metropolis olim Tana *Aſàch* ad Tanais oſtium. Sogdiana inter Oxum, & Sogdios montes ſita; habet ad Boream Scythas intra Imâum, ad Ortum, Sacas ad Meridiem Bactrianam: ad Occaſum Margianam, & Caſpium mare. urbes olim

cla-

claræ Oxiana, Maruca, Drepſa, Alexandria. & Maracanda, quæ hodie *Samarcandi* regia, & Tamberlanis patria. Fluvii Oxus, qui ex interiori *Scythia* ortus ex Orana palude, longoque terrarum tractu rigato, in Caſpium ſe exonerat barbaris *Iſthum*. & Iaxantes *Alſach* ab urbe, quam alluit genti dictus, qui etiam in Caſpium ruit: circa illum olim Iaxartæ habitabant: regio nunc *Maurenbaer*, & *Tartari d'Vſbeck*.

Scythia propriè dicta, quam mediam Imaus mons ſecat, habet ab Occaſu Riphæos, Rham, quæ & *Volga*, & ut ramque Sarmatiam, ab Oriente *Seres*, à Meridie Indos, à Septentrione Glacialem Oceanum: in Occidentalem & Orientalem dividunt: Occidentalis vocata Scythia intra Imaum, Orientalis verò extra Imaum. primæ populi fuere Alani à quibus Alani montes Maſſagetæ, & Sacæ. *Secundæ* Abii *Scythæ*, Auzacitis, ſive Auzacia regio: Ch auranæi, quorum Chaurana, Imaus, pars Tauri, qui à Ptolemæo in glacialem Oceanum extenditur: lateque variis ramis per Aſiam excurrit: altitudine æque, ac ſylvis horridus: de quo noſter Pontanus in Uran:

Caucaſia, & ſuperis iam iam calcandus Imaus.

varia nunc nomina ſortitur. in deſertis *Moreghar*, in Tartaria *Atlhai*, & *Belgian*: in India *Dalaguer*.

Serica regia ad Orienté eſt: in qua Aſmiræa regio, & Aſmiræi montes: urbs Aſmiræa. Iſſedones, quorum Iſſedon: Ottorocoræ, quorum Ottorocora: totius autem gentis caput *Sera* urbs: quam nonnulli adhuc extare tradunt.

* *
*

CAPUT XV.

De Tartaria; & eius partibus.

SCythia univerſa cum Sarmatia, Sogdiana, & Serica noſtro ævo Tartaria Maior, & Aſiatica appellatur: quod quidem cognomen à flumine *Tartar*, quod in Septentrionalem Oceanum fuit, ſortita eſt. Et quemadmodum olim ampliſſimum Scytharum, ſic hodie Tartarorum nomen; & gens ipſa latiſſimè per Aſiam, atque Europam extenſa. Termini ab Occaſu Moſcovia, ab Oriente Oceanus, à Septentrione congelatum mare: à Meridie Euxinus, Caucaſus quo à Georgianis dividitur, Caſpium, Oxus, quo à Perſia, & longiſſima ſivè Caucaſi, ſive Tauri iuga; quibus ab Indis, & Sinis diſcluditur. Longitudo inter Meridianum 67. per Cimmerios tranſeuntem, & 194. per extremam Aſiæ oram, latitudo verò eſt inter Parallelum 35, & 71. longitudo itineraria ſi à Volga ad ultimá oram Orientalem ſupputetur eſt mill. fermè quatuor MDLX. latitudo à promontorio iuxta Piſidę oſtium ad Oxum Mill. MMCLX. Regiones, in quas dividitur ſunt hæ, Vetus Tartaria, Catayum, Turcheſtana, Usbeckum, & Tartaria deſerta.

Vetus Tartaria, ſive vera Tartaria eſt ad Orientem inter Piſidam amnem, utrumque Oceanum, & montes quos *Coouia* indigitant. regio penè deſerta, & ſquallida, in qua populi complures, ac regiones, ſive hordæ, quarum nomina vix nota: quas memorant *Vng*, & *Mongul*, eſſeq; putāt *Gog*, & *Magog*, nota in Sacris literis nomina: harū enim populos Antichriſtum ſecuturos in deſtructionem Romani Imperii, & Sacer Codex, & Patres cenſent. vetus autem, ſeu vera Tartaria vocitatur,

quia

quia hinc primum Tartarorum nomen emanavit: caput gentis urbem nonnulli ſtatuunt nomine *Tartar* ad amnem cognominis.

Catayum ampliſſimum olim Imperium inter veterem Tartariam, Sinas, & Imaum ad Occidentem, Oceanum vero ad Orientem iacet: amplectitur Sericam regionem, & totam fermè Scythiam extra Imaum: in eo nunc iuxta Ghammam amnē, qui longo curſu in Septentrionalem Oceanum irrumpit Kaimachitæ Tartari latiſſimè habitant, quorum ad eundem fluvium ſita urbs *Chacan Kaimach*. iuxta Sinas ſunt Tartari *Kin* vocitati: ſcilicet aurei, duobus regnis diſtincti, quorum nomina *Niulhan*, & *Nuiche*. Ad Orientem Tartari, & Regnum *Lupi* ad Occidentem verò ampliſſimum regnum *Tangut*, ſive *Tanju*, & *Tokivè* dictum: in quo caput urbs *Tanju*, huius provinciæ *Xamo*, cuius *Camul*, *Synchun*, cuius urbs eiuſdem nominis. ad Meridiem inter Indiam, & Sinas *Laſſa* regnum, Tartaris *Barantola*, Arabis *Boratay*, quod quidem idem erit, ac Regnum *Butan*, cuius meminit Tavernerius, caput Barantola. hic regnaſſe Presbyterum Ioānem regem Chriſtianum, & potentiſſimum, quem in Provincia *Tenduc* Cluverius ponit, nonnulli cenſent.

Ad extremum huius regni arx eſt altiſſimo in monte ſita, *Bietalà* indigenis dicitur. quadratis turribus probè munita: variiſque operibus; quæ multiplici muro coniunguntur. hac in arce, veluti Sacrorum adytis Summus Pontifex degit. Siquidem regnum duobus regibus adminiſtratur: unus Dava nuncupatur, qui ius civile, & bella adminiſtrat: alter Magnus *Lama*. ad hunc Sacrorum ritus ſpectant. *Lamacongiu*, nimirum Deum Patrem, æternū, ac Cæleſtem Tartari vocant: atque illum non uni tantum populares, ſed exteri vi-

ventem veluti Deum colunt: & ad illum viſendum religionis ergo vicini etiam reges peregrinantur. Memorata in arce degit, obſcuro in loco; auro, argento, ac pretioſis lapidibus ditiſſimo: in quo innumeræ lampades collucent ipſe in pulvinari ſedet, ſtratis ſubter tapetibus ſuperbiſſimis. Sacerdotes, qui regi, ac Pontifici aſtant, hanc de illo fabulam cantant: nimirum ſeptingentos poſt annos reſurrexiſſe ab Inferis æternum victurum in ſalutem populorum. id verò adeo vulgò perſuaſum eſt; ut magnæ felicitatis loco ducant ſi illum proni in terram venerentur, ac munera, quæ plurima afferunt æquo animo excipiat. Ne verò illius morte fraus pateat ſtatim, ac diem obierit, ſimilem ſufficiunt. Uſque adeo cæca in ſuperſtitionem mens hominum. Quin etiam Regis ſtercus excipiunt, ſiccatumque molunt, in pollinem; quo veluti Divorum ambroſia ſuaviſſima quæque fercula condiunt. quid ſtultius dici poteſt?

Cæterum Butenſi regi VIIIM. in armis aſtant: Elephanti verò L, Cameli XXV: in quibus parva tormenta ænea in gyrum mobilia impoſita. illa milites, qui beſtiis inſident, ut res fert, explodunt: cæterum militum arma arcus, & ſagittæ: nonnulli ſclopis etiam armantur: alii bipennibus.

Turkeſtan à Turcis, qui hinc profecti creduntur, vocitatur. regio vaſta, & ubi olim Sacæ: nunc plurima regna, quorum nobiliſſima *Kaſcar*, & *Thibet*, ab urbibus cognominata. Ad Meridiem huius, & Occidentem. *Zangataya*, ſive *Maunaralnahara* regnum, vulgò d' *Usbeck* caput *Samarcandi* Patria Magni Tamberlanis: qui Tartaris *Temurleng*, nimirum Claudus vocatus; quod ſcilicet altero crure brevior natus erat. hic ex paſtore latro,

mox

mox dux factus totam penè Aſiam ſubegit: de quò infra dicemus. Qui nunc in Zagataya regnant principes ex huius genere ſe iactitant: cæterum urbs ex lapide, ſed parum frequens. Supereſt Tartaria Deſerta, quæ eſt Scythiæ intra Imaum, & Sarmatiæ: tellus ſolitudinibus horrida, Cęlo aſpera, & eorum, quæ ad ædificia neceſſaria pauper: hinc gens vaga in tentoriis habitat, in varias hordas diſtributa: hordam Scythæ, *Ordù* Perſæ caſtra vocant. ex his notiſſimæ *Zavolha*, & *Nagaya*, prima Moſcis paret: ad Septentrionem *Karacatayum* ſcilicet Nigrum Catayum. ad Meridiem Kalmuchi Tartari: qui rapto vivunt: equiſque adeo velocibus utuntur, ut interdum in Hungariam, & Poloniam excurrant. in plauſtris degunt: è quibus virgines egredi, piaculū eſt: ne pudicitiæ leges violent: at ubi nupſerint tanta impunitate vagantur, tantaque impudicitia ut nihil ſupra gens robuſta, ac bellicoſa: nec viri tantum, ſed fœminæ generoſiſſimè pugnant: at nulla adeo deformis: facie ſūt patula, & introrſum preſſa: naſo exiguo retroque in faciem preſſo, ut narices, gemina veluti foramina pateant: oculis item exiguis, ſeſeque inter ſex fere digitis diſtantes: genua extrinſecus mire turgent: pedes vero retro inflexi. uno verbo turpiſſimi hominum. arcu utuntur, & clava: antiquum familiæ, ac robuſtiſſimum Ducem creant. Religio non Chriſtiana, nec Mahumetana, neque omninò Idololatria: tota in certis, ſtatiſque cærèmoniis eſt: quas magna ſollennitate, & ludo celebrant.

Quod ad Cœli Temperiem, ac ſoli attinet: varia pro tam vaſto terræ tractu. Septentrionalia infœcunda, Montibus, & ſylvis horridæ perpetuo gelu, ac nivibus aſpera. in Meridionalibus verò fertiles campi: in quibus triticum naſcitur: &

Rhei barbarici ingens copia. eſt autem Rheum barbaricum, ſeu Rhabarbarum radix notiſſima, quæ ſecta in fruſta, ſiccatur. in medicamentis plurimum valet. triplex eſt Barbaricũ ex Troglodytica Arabia proveniens, Turcicum, & Indicum, ſic dictum quia ex India ad nos venit. naſcitur verò in Tartaria. optimum eſt in Butenſi regno. Ex hoc Moſchus etiam, ſive Muſcus merces odoro ſiſſima, ad nos devehitur. Eſt autem Moſchus congelatus ſanguis Tartaricæ cuiuſdam Capræ, quam multi unicornum; alii ſine cornibus eſſe aiunt. hæc ventrem ſubter non longe à genitalibus veſicam habet, in qua humor inſtar congelati ſanguinis, qui Moſchus eſt. veſica non maior ovo gallinaceo, hæc, capra capta, præciditur: humor deinde ſiccatus tanto flagrat odore, ut vix interdum ferri poſſit. quidquid ex una veſica colligitur vix dimidiam unciam pendet. Harum caprarum tanta eſt copia, ut incredibile penè dictu ſit. Per univerſam Tartariam excurrunt, æſtate circa Septentrionalia ad latit: grad. 60. ubi denſæ, immenſæque ſylvæ: Februario tamen, & Martio menſe, cum altiſſimæ nives, ac Cœlum rigidiſſimum, ad Meridiem refugiunt, tepidiora in loca, paſcua ubi ſunt, & viridis oryza, qua ſummopere gaudent. tunc ruſtici retibus illas, & laqueis captant. interdum iaculis, vel paſtorali pedo conficiunt. nonnunquã adeò languidæ præ fame, ac macræ, ut curſu facile eas aſſequi, cæteroquin velociſſimas, ac manibus prendere *Scythæ* poſſint.

Sunt prætereà Auri, Argentique fodinæ, quas gens negligit: Ferri tamen excolit, notumque *Sericum* ferrum, cui Plinius palmam tribuit. Serici verò opificium apud gentem Orientalem, & frequens, & nobile, quin & vela ſubtiliſſima ex arbo-

borum corticibus ad fœminarum uſum texuntur, hinc Plinius : Seres lanificio nobiles perfuſam aqua depectentes frondium canitiem.

*S*cythæ proceri ſunt corpore, nivei non minus colore, quam animo. raræ apud illos fraudes, ac mendacia. leges non multæ; quando ſuapte natura principes viros colunt; & quam pauciſſima litium fomenta. Arietis pelle, vel cervi, ut plurimum teguntur: at primates gentium goſſypina, aut Serica veſte induuntur. Hippophagi fere omnes. & Camelophagi: nec illis caro in deliciis, niſi ſemielixa, aut ſemiuſta. boves, enim & vaccæ in Scythia rariſſimi. greges, oves, & cervi, quorum lac potiſſima potio. Bello nati videntur: quique in deſertis habitant, nonniſi rapto vivunt: bellaque ſemper cum finitimis gerunt. Arma, Arcus, & Sagittæ item, & breves, latique enſes, quorum rotunda cuſpis ante coxendices pendet. Equitatu maxime pollent, ac Parthorum more fugientes pugnant. Literarum omnino rudes: hinc nulli annales, Hiſtoriæ nullæ, nec quidquam de illorum regno, aut regibus dici certò poteſt. Memorant tamen anno MVIII. Imperatorem Catayi *Kaderkhan* vocitatum ingenti exercitu ſuppetias tuliſſe Regi Turkeſtano, cui *Ilechkano* nomen. Anno autem 1664. Xunchius Nuichæ rex innumerabili hominum multitudine in *S*inas irrupit. de quibus cum agemus rem omnem exponemus ab ovo, ut dici ſolet.

LIBER VI.

CAPVT I.

De Veteri India.

ACcedit iam terrarum omnium nobiliſſima nobis deſcribenda, nimirum India, quam ob ingentem auri, argentique copiam auream, atque argenteam veteres crediderunt. Nomen ab Indo fluvio, qui illam olim ab Occidente claudebat, accepit. Illius fines ſunt à Septentrione Caucaſus, & Imaus, qui Scythas continent, quique etiam Emodi montes appellantur: ab ortu montes itidem Damaſii, & Mœandrus, ultra quos Sinæ ab Occaſu Perſarum regnum: à Meridie Indicum mare, in quod duabus peninſulis immenſis veluti cornibus longiſſimo excurſu ſeſe emittit. Sita eſt inter Meridianum 107. & 146. inter Parallelos verò 1, & 38. Longitudo itineraria ab Indi fontibus ad extremum promontorium Aureæ Cherſoneſi eſt mill: ferme bis MVII. latitudo ab ultimis Caucaſi iugis ad Comorini promontorium mill: bis M. Diviſa olim in duas partes, *Indiam* ſcilicet intra Gangem, & extra Gangem. hinc Ovid:

Deſolet extremo quà cingitur India Gange.

In

In India extra Gangem hi olim populi, ac regiones: ad Septentrionem Cacobæ, Tacoræi, Aminuchi, Indaptathæ, Iberincæ, ubi nunc regna *Lor Kanduana*: verſus Gangem Gangani, Caracali, quorum Sapolus: Paſſalæ: nunc regna *Pitan*, & *Patna*. Inferius Marrundæ, quorum Borata, & Elyndæ. ad Orientem Tiledæ. Supra Chalcitis regio, ubi Semanthini montes *Idifa*, infra iuxta Sinas Cudutæ. ad Occidentem Tameræ Antropophagi, Aurea regio, & Argentea regio, & iuxta Gangem Ærradi, urbes Pentapolis, Baracura, Samba, Beſyngitis ubi Sabara, & Beſynga. hic nunc *Bengala*, *Patan*, *Arracan*, & *Pegu* regna. mox Barræ, Sindi, Leſtorum regio, quorum Belongæ: regna nunc *Cocinchina*, *Siam*, *Camboia*; Chryſia regio, ſive Aurea Cherſoneſus *Malacca*, ubi Taſola, & *Sabana*.

In India intra Gangem populi ad Septentrionem Daradræ, regiones Arſa, & Caſpiræa, Panduvia, urbes Bucephale, *Lahor* ad Hydaſpen, *Raveyun*, & Eraraſſa. inter hos, & Gangem Gymnoſophiſtæ, Malli, Oxydracæ, Praſiatæ, quorum Canagora, *Cangigu* Provinciæ nunc *Attoch*, *Lahor*, *Naugracut*, *Siba*, *Lamba*, *Lennpar*. circa Indum Chanæi, Palindæ, Ariophagi, quorum Nigramma, Patiſtama. Rhannæ quorum Coſſa, Laricæ ad mare nunc *Camboia*, intus Phyllitæ, Candali, Brillophylli, quorum Agara, forſan *Agra*, à qua & regnum denominatum. ad Orientem, & Gangem Porvari, Cocconagæ, Sabatæ. omnium verò potentiſſimi Gangaridæ, quorum regem Alexander non auſus invadere; horum Gange *Bengala*, à qua & regnum, de hac nos Naut. VIII.

At ſi Gangaridæ luſtrandi. & proxima Gange.

Sunt etiam Gangarides populi Caſpii maris à Gangora *Bachu* & de his Flaccus lib. 6.

Acies quem Martia circum
Gangaridum, potaque Gerus quos efferat unda.

In Peninſula populi ſunt Maſolii, Salaceni, Arvani, Pandiones, regiones Ariaca, & Limyrica: urbes Barigaza *Goa*, Cottiara, *Calecùt*, Colchi, *Cocin Meliapùr, S. Tomaſo*. Intus Nomades, & omnium celeberrimi Brachmani.

Montes, præter dictos, ſunt Adiſathrus *Gate*, qui veluti Apenninus peninſulam totam ſecat, inque Oceanum excurrens Cory appellatur *Capo di Comorin*. Bepyrrus, ex quo Dorias, & Saonas oriri perhibentur. de hoc nos Halieut. X.

At cum Bepyrri iuga deſerit Heſperus: & cum.

Non longe Damaſii montes. Fluvii nobiliſſimi Indus, Ganges, Hydaſpes, Serus, Dorius, Saonas, *Sa*-rus, Adamas, Lutameda. Indus, quem olim Indigenæ Sandum, hac ætate diverſis nominibus diverſi appellant populi *Hynd*, *Duil*, *Inder*, ex præcelſo Paropamiſi vertice oritur in regno Caſſimera, ubi *Send* ab incolis vocitatur: hinc ad Occidentem vergens 19. excipit amnes, quorum clariſſimus Hydaſpes, ad quem Nyſa Liberi regia; hinc Virg:

Liber, agens celſo Nyſæ de vertice tigres.

Et de fluvio Lucan: 8.

Quà rapidus Ganges, & quà Nyſæus Hydaſpes.

Fuit alter in Suſiana de quo Virg. 4. Geor:

Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes.

Cæterum Indus longo curſu nuſquam Latior 50. ſtadia, aut altior 15. paſſus multis in mare oſtiis irrumpit. Ganges *Ganga* ex ea Imai parte aſſurgit ex ingenti lacu, quam *Balanguer* vocant, in Provincia *Kakakes*: inque Meridiem defluens innumeras gentes alluit, varioſque amnes excipit: quorum notiſſimi *Kanda*, *Perſelius*, *Semena*, quinque mox oſtiis, quorum extremi 80. Leucis

Hiſpa-

Hiſpanis diſtant,in ſinum, à ſe Gangeticũ dictum *Golfo di Bengala*, ſeſe exonerat.numquam ſtrictior mill: 8. ubi vadoſiſſimus menſuram 100. pedum devorat.amnis auri fœcundus,& gemmifer: hinc Gangetica bacca.

Dona ferunt auro gravida, & Gangetide bacca.

Cocodrilos generat, & anguillas miræ magnitudinis,tricenorum nimirum pedum, ut ait Plin: lib.9.cap.3.Serus Indiæ terminus,in Magnum Sinum *Golfo di Tunchin*, influit, forſan *Puota*. Dorias, *Mexan:* Saonas *Pegù* ab urbe, quã rigat:oriuntur ambo ex lacu incolis Chimay dicto. Adamas *Guenga* in Gangeticum ſinum fluit.

CAPUT II.

De nova Indiæ diviſione,& primum de Mogòlis Imperio.

INdia ut Græcis,& Romanis notiſſima, ita duobus ab hinc ſæculis, cum adiri terra non poſſet ob feritatem gentium,ignotiſſima erat,patuit tamen Luſitanorum navigatione. anno enim 1497. 9. Iulii, Regis Emanuelis juſſu Vaſcus Gama Ulyſſipone ſolvit, ſuperatoque Promontorio Bonæ Spei 20. Decembris Monzabicum tenuit: mox Melindam.hic conquiſitis Naucleris,quibus India nota, & Oceanus navigatus, vela fecit: die 22. Aprilis ſequentis anni: & navig: dierum 27. Calicutum venit. atque hæc prima Indorum detectio. Secuti mox Hiſpani, penes quos,& Luſitanos non ſine Catholicæ religionis ingenti bono navigatio diu ſtetit: cum tandem Hollandi, & Angli navigarunt, atque ultimi Galli. his autem initiis non India ſolum, ſed totus Oriens nobis innotuit, At ex proxima Arabia,& Africa Mauri

prius,

prius,& Arabes navigarunt: & quamplurima regna,& inſulas armis occuparunt, ac nefariam Mahumetj ſectam ampliſſimis terminis protulere.

Dividitur autem India hoc ævo, quam *Indoſtan* gentes dicunt, in Imperium Magni Mogolis in plurima regna trans Gangem, & peninſulam Occidentalem, & Orientalem. trans Gangem regna ſunt *Arracanum*, *Pegnanum*, *Martabanum*, *Siamum, Camboia, Cochinchina*. *Avanum*; *Tripanum Sirotanum*, & populi *Layes*, *& Gueieni*. in Occidentali peninſula. *Golconda*, *Narſinga*, *Biſnagar*, Ora *Caromandel*, *Malabar*, *Cucan*. in Orientali, quæ Aurea Cherſoneſus, & Chryſia regio, Regnum Malaccæ.

Magni Mogolis Imperium multa continet regna, quorum aliqua perexigua. Sunt autem *Kakures* urbes *Purhòla*, *Dankalèa*: *Syba* cuius *Hardvera*: *Gor* ab urbe *Gor*. *Kanduvana*, cuius *Karhak*: *Patna* ab Urbe, celebri Indiæ Emporio ad Gangem ſito, cuius longitudo VI. M. paſſuum patet. *Jeſuàl* urbs caput *Raiapor*: *Mavat*, cuius *Narnol*. Udeſſa cuius *Jekanàr*: *Bengàla*, urbs eiuſdem nominis, quæ & *Chatigan*. ubi etiam *Daca* inſigne item Emporium. *Berar* cuius *Shapore*; *Candis*, ſive *Chandiſh* urbs *Brampur* ampla, & dives: ex hoc optimum opium provenit. *Cambaya*, ſive *Guzarate*: urbes *Cambaya*, *Surate*, & Barace, *Diu*: urbs Epiſcop: Luſitanorum Colonia; muro, & foſſa egregie munita. *Soret*, caput *Janagùri* *Tatta*, urbs princeps, item *Tatta* nuncupatur: ad Indi oſtia ſitum eſt regnum Perſis finitimum. *Multan* cuius urbs eiuſdem nominis. *Cabùl*, urbs item *Cabùl*, ampliſſima, & munita: Emporium celeberrimum Scythis, *Perſis*, *Indis*, & Europęis frequens, ubi quotannis pluſquã LX mill: equorũ à Scythis diſtrahuntur. *Caſſimere*, cuius *Tiſhur*; *Nagracut* cum urbe cognomine.

Bal-

Rankar, urbs *Brianèer*: *Pitan* cum urbe cognomine. *Fabal* item: *Narruvàr*, cuius *Ghehud*: *Malva* cuius *Reneſpor*: *Chitor*, urbs *Chitor*. atque ab urbibus etiam denominantur *Giſlemere*, *Attok*, *Danda lenba*, *Jengapor*, *Bukar*; *Pengar*, cuius *Labor*, una inter maximas totius Imperii: tribus mill: patet in longit: Regis Palatium magnificum unà cum urbe ad Hydaſpen olim ſitum: nũc mutato alveo, D. paſſibus abeſt. *Delli* cuius urbs cognominis ad amnem *Gemma* ædificata, longo circuitu, ſed nulla elegantia: & nunc infrequens: poſtquam enim *Gehanabat* Imperator iuxtà *Dellum* urbem ædificavit de ſuo nomine nuncupatam, ſedemque regni fixit: habitari deſiit vetus Imperii Metropolis. Urbs autem nova *Gehanabata* ampliſſima, ſed inelegans, ut fere omnes Indiæ urbes: ædes ſunt magni horti muris ſepti: in medio humiles domus pro fœminis. cæterum nobiles extra degunt. Reliqua regna *Gualiar*; ubi regii Theſauri, in urbe principe aſſervantur. & Agra, cuius Agra totius olim regni princeps ad eundem Gemmam amnem, quem alii *Geminè* vocant: qui in Gangem ſe exonerat. Urbs ampliſſima: atque ædes magnificæ, una tamen contignatione, raro binis aſſurgunt: pomariis ornantur, altoque murorum ſepto muniuntur. ut nimirum mulieres hominum aſpectum fugiant. plebeæ verò rudes, ac patentes: viæ anguſtæ, & tortuoſæ. fora tria ampliſſima ubi celebriores mercatus. Fana quinque cum ſuperbiſſimis tumulis, in uno horum templorum, Europæorum more ædificatum. in quò Chageani uxor ſepulta, opus mirum, & ſumptuoſiſſimum, in cuius fabrica, ferunt, XX. mill: operarũ per annos 22. laboraſſe. ad amnem arx eſt, quæ partim in clivo, partim in plano extructa. duplici murorum ambitu, magnifica magis, quam fortis, in illa theſaurus

rus pretioſiſſimus regis eſt, quo thronus, & aula adornantur. Quod verò mirum ſane viſitur, eſt via quę Agra Dellum ducit recta,& latiſſima longitudine Leucarum XL. quam hinc,inde quatuor Arborum ſeries claudunt. per illarum autem truncos rivuli ſuavi murmure prætetlabuntur.

Eſt etiam in Bengalæ regno Provincia *Halabas* ab urbe eiuſdem nominis, ſita ad confluentes Gemmæ,& Gangis,urbs ampla,& dives,caſtroque ex quadrato lapide munita.

*S*unt præterea in Imperio Magni Mogolis quædam Toparchiæ, quibus Reguli ex antiqua Indorum gente imperant. reguli autem Rhaiæ Indorum lingua vocitantur. hi enim loci munitione, & ingenita ferocitate freti libertatem diù vindicarunt,etſi tandem, ut quietius agerent, tributa pendere decreverint. hæ verò Tetrarchiæ ſunt Rahia *Rodorà*, *Manſa*, *Decamperga*, *Mug*, *Ravas*,aliæque minores.

CAPUT III.

De veteri,& novo Indorum regno: ſoli ac gentis indole.

EX *Saba* filio *Heber*, uno ex pronepotibus *S*emi,Sabæos, & Indos progenitos eſſe nonnulli credunt:illud tamen certò conſtat Indorum gentem vetuſtiſſimam,& numquam ex natali ſolò receſſiſſe:idcircò,pace domi parta,terræ ubertate, cœlique clementia nil mirari fas eſt, ſi in tantam hominum multitudinem Indorum gens excreverit:totque àc tantas urbes incoluerit:ferunt enim quinque millia fuiſſe pręcipua capacitate.quarum princeps Nyſa, in qua liberum genitum Indi arbitrantur. Hic autem primus è Græcia in Aſiam

mo-

movit, plurimas gentes domuit: ac primus de Indis vectus Indico Elephanto triumphavit: ut author eſt Diodorus. Mox Perſæ rerum potiti regiones omnes inter Indum, & Gangem diù tenuerunt. Donec Alexander, Dario victo, Porum Indorum regem, cuius ingentes memorantur divitiæ, ſuperavit. Secutis deinde temporibus quinque ſuis regibus longa pace paruerunt; nobis pene incogniti. Circa annũ 1375. Tamberlanes Scytha occupato apud Sogdianos imperio, in Perſiam, & Indiam irrupit. brevi tota pene Aſia potitus eſt. anno 1397. Ducens peditum DCM. equitum CDM. cum Baiazete Turcarum Imperatore acie pugnavit: cæſiſque CC. Turcarum M. ipſo rege capto, Univerſam Aſiam minorem, & Syriam adeptus. anno autem 1402. dum in Europam, & Africam expeditionem parat obiit Imperii anno 27. Ex hoc Indorum reges Mògores, ſive rectius Mogòles dicti; nimirum nivei, originem repetũt, idque & color ipſe niveus, cum cæteroquin Indi glauci ſint, & multi viri docti confirmant. Primus igitur Rex Mogolis fuit *Tamerlanes* II. huius filius *Miram*, *III. Mahumetes IV. Abuſaides V. Amethes VI. Babur*, nimitum fortis: huius enim ductu in Indiis Scytharum potentia crevit anno 1532. *VII. Homaion. VIII. Akabar. IX. Selimus X. Kurom XI. Aurengzebus*; quæ vox Troni ornamentum ſonat.

Horum autem regum potentia maxima eſt: & opes penè immenſæ. argumento eſſe poſſunt ſeptem Throni, quorum unus in lecti formam efformatus longus pedes 6. latus 4. tot gemmis fulgurat ſuperbiſſimis. ut minimum pendeat quadraginta octo milliones ſcutatorum Romanorum. Quotannis 4. Novembris Natalitius dies agitur; quo ſolemni, ſed ridiculo Barbarorum ri-

tu in lance rex penditur: ſummoque plauſu conſalutatur, & maiori ſane lætitia ſi plus, quam præterito anno ponderabit. mox in Thronum aſcendit, ubi ut conſederit accedunt, primates, ac Provinciarum præfecti, ingentibuſque muneribus regem donant. Summa munerum IX. millionum ſcutatorum Romanorum.

Politia Monarchica, ut & in Perſia; nulli tituli, nulli principatus: Rex omnium dominus: penes illum ius omne in fortunas, & vitas ſubditorum. Nobiles, *Omrhai* appellati, ditiſſimi, plebs verò adeò miſera, ut paſſim vix pudenda tegant. Superiore ætate duo regna, *Golconda*, & *Viſapuris* Mogoli tributa pendebant: hac verò ſui iuris ſunt.

CAPUT IV.

De India peninſula Occidentali, & Luſitanorum regno.

HÆc Indiæ peninſula à reliquo continenti erumpens in linguæ figuram in Oceanum ſeſe porrigit. Regna verò, quæ illam integrant iſthæc numerantur: ad Orientem cis Adamantem *Orixanum*, ab Orixa urbe in plano fertili ſita. ad mare *Dalecata*, & *Centiripatan*, *Golconda*, cuius *Golconda*: quæ etiam *Bagnagar*. etſi re vera Golconda, arx ſit, VIM. paſſuum ab urbe diſtans opere, & milite munita circuitu ampliſſimo; ubi rex ſedem habet, & tribunal. ad Libycum amnis interfluit: ager etſi rupibus aſper, fertilis tamen, & amœnus. in urbe pluſquam viginti M. meretricum: adeò gens in Venerem proclivis, cui mos eſt ad illam irritandam potionem quandam haurire, *Tari* vocitant, quam ex arboribus exprimunt: & qua mirus regi proventus, *Narſinganum* ab urbe

Nar-

Narſinga, ad Meridiem huius urbis, in litore eſt celeberrima Meliapur, ubi occiſus D. Thomas, à quo, etiam denominatur. urbs non ſatis ampla, ſed munita: olim Colonia Luſitanorum: dicta etiam *Miliſpar*.

Non longe ab hac urbe, uſque ad Coryn promontorium *Capo di Comorino* extenditur ora maritima, ubi olim Pandiones: nunc dicitur *Coromandèl:* huius autem pars Auſtralis à promontorio ad *Negapatan*, ab inſigni Margaritarum piſcatu *Piſcaria* à noſtris appellata. in hac ora plures Tetrarchæ, *Naichos* vocant, dominantur: præcipui ſunt *Gingi, Tuniaòr, Mandura*, & horum potentior regulus *Velù*.

In Ora Occidêtali ad Septentrionem Decana, Provincia, ubi regna *Deran, Cuncan*, cuius metropolis *Viſapùr*. urbs ampla, & dives, ſed inelegans. arx ubi regis ædes ampliſſima, foſſaque cingitur aqua, & cocodrilis munita. ad mare portus nobiles *Reciapùr*, & *Dabul:* hic captus à Luſitanis anno 1508. Almeida Duce: at anno 1541. ad Viſapuranum regem tranſiit, ab Anglis pene dirutus: olim Dunga dicebatur. Supra in Decano regno Emporium nobile Muxiris *Chaul*: ad ora fluvii ſedet: in portu binæ arces: quarum una Luſitanis condita: à quibus mox urbs intercepta, territis igne Elephantis, qui ad portam cuſtodes excubabant. Infra eſt *Canara*, ubi Regnum *Onor*. Reliqua ora uſque promontorium *Malabar* barbaris dicitur, ubi plurimæ Tetrarchiæ: quarum præcipuæ ſunt *Canaor*, *Mangalor*, *Calicut:* cuius caput Catigara, *Calicut* Emporium dives, & frequens. *Coulan*, & *Ponca:* mediaque inter ultimas, Colchorum, *Cocin* huius autem Tetrarcha Luſitanorum vectigalis, qui arcem præſidio munitam ad tutamen portus, quò ex Europa primùm claſſes appellebant, ædificave-

cave-

caverunt: at capta ab Hollandis, viliſſimo quodam coquo duce, regulus quidam ex infima Malabarum plebe creatus.

Intus duo regna cenſentur *Biſnagar* ab urbe denominatum, & *Belaguate*, cuius *Bender* in plano ſita ad Orientem Adiſathri. gens horum regnorum inculta, & in montanis habitant: in quibus *Badagos* populi feroces, ac bellicoſi de quibus VII. Naut,

Fractumque peritus in auro
Cælabo Badagem, & victricia ſigna Quirini.

In Decana provincia fluvius labitur Mandova, qui & *Goacim*: hic antequam in Indicum mare ſeſe exoneret, inſulam efficit circuitu paſſuum XXII. mill. *Goa* dicta, olim Cherſoneſus, ut multis placet. in ea urbs quondam Barigaza, nunc *Goa* tum incolis, cum Luſitanis una cum inſula vocitatur. capta ab Luſitanis, Albucherchio Duce, anno 1509. cum antea Idelkano ſubiecta eſſet. illam autem Imperii, quod apud Indos parabant caput conſtituere, ibique Prætoris, & Archiepiſcopi, qui Sacris præeſſet, ſedem poſuere. Domos ex lapide marmori quam ſimillimo ædificatæ, quibus Luſitani degunt. Prætoris in tumulo impoſita ſuperbo, ac ſumptuoſo apparatu. Eccleſia princeps non dum abſoluta, adeò magnis principiis cœpta. urbis ſumma opulentia, quæ mirum quantum creviſſet, niſi in Orientem aliæ etiam gentes irrupiſſent. ſeptèm arces in tota inſula, at non magnæ munitionis: ſunt tamen murorum loco, quibus ob loci ſitum muniri urbs non potuit: de hac nos Naut: VII.

Ad latus Heſperium, Zephyroque obiecta ſalubri
Inſula parva jacet, Barigazam nomine Graii,
At patrio ſermone Goam vocat Indus uterque.
Hanc longè Europa per Atlantis cærula vecti
Luſita-

Lyſiadæ cepere Duces, pulſiſque tyrannis,
Æternam hic regni ſedem poſuere: quod ultra
Cathygaren, atque Auroræ Titanidis ultra
Extendere ſinus:

Ceterum triplex genus hominum Goę habitat, Luſitani ex Europa advečti, nati in India Inda matre, & Indigenæ, Canarini vocitati, quibus, etſi ditiſſimis, tibialibus, & calceamentis uti vetitum, ne nimia potentia inſoleſcant, turbaſque commoveant. & eo præcipue, quod acris gens ſit, & libertatis amantiſſima: ingenioque ſupra reliquos polleant. Religio una omnibus Catholica, ſanctéque culta.

Mores gentium, quæ hanc peninſulam incolunt, iidem, ac reliquæ Indiæ: in montanis aſperiores: etſi in multis locis humanæ ſint, exteroſque ament. Cœlum calidum, & ſiccum: præcipuè in Piſcaria, ubi ſumma aquarum inopia. Juxta hanc oram Margaritarum piſcatio opulentiſſima, de qua nos X. Halieuticorum multa diximus. innumeræ Piſcatorum cymbæ, quos Luſitanorum olim naves comitabantur, in locum piſcationis veniunt: miſſaque ex uno latere anchora (utuntur etiam lapide fune alligato) ex altero rudens longus dimittitur. mox urinator aquas ſubit mantica præcinctus, repertaque cōcha, rapit, manticæq; inponit. hinc aliam, & aliam. cum verò reſpirationis opus, rudentem amplectitur, quem ſocii è cymba, ut moveri ſentiunt, attrahunt: emergitque urinator cum præda. nulla tamen gens adeo miſera, ac pauper, quam huiuſmodi piſcatores. vix orizæ pugillum, quo vivant, pro tantis margaritis habent: nimirum miſerrima eorum conditio eſt, qui alienæ cupiditati ſerviunt.

In Golcondæ, & Viſapuris regno adamantis fodinæ Viſapurana *Raolconda* appellatur, Golcon-

condana verò *Gani*. Locus eſt arenoſus rupibus item aſper,& ſenticetis.in rupibus venæ quædam arenis oppletæ,in quibus adamantes reperiuntur: quoniam verò venæ illæ, ſive meatus obliquè ſerpunt, interdum magnam rupis duriſſimæ partem perrumpere opus eſt. interdum ; ut è rupibus extrudatur arena ingentibus vectibus ferreis ſaxum lapidicidæ feriunt:hinc Adamantes percuſſi vitium faciunt. illos autem Indi tanta dexteritate findunt,ac rota lævigant, ut nihil ſuprà. res tota fere mercatoribus & regi cedit. operarii vix habent,quo miſeram vitam trahant. ne verò hi lapides furentur,nudi illos eruunt.mira tamen calliditate præditi interdum, in extremo oculi angulo inter palpebras adamantes recondunt: acuente ſcilicet ingeniũ,& dominorum avaritia, & miſerorum paupertie.

CAPUT V.

De reliquis Indiæ regnis ad Orientem poſitis.

AD Orientem Gangis hæc regna numerantur: *Ava*,cuius caput *Ava* ad Orientalem ripam amnis *Martaban* ſita. qui amnis à lacu Chimay ortus *Ava* in regno cognomine dicitur: urbis ambitum 15. millia paſſuum ferunt. Ad Occidentem eſt *Sirote* ab urbe denominatum, quæ ad rivum ſedet: rivus in Caorem fluvium ſe exonerat. Ad Meridiem *Dipora*, ſeu *Tipra* regnum ; & urbs:gens gutturis tumori obnoxia ob aquas non ſanas. cæterũ ſolum fertile,& Cœlum benignum. Rex nulla fere vectigalia à ſubditis exigit, ratus opulentiſſimũ regem illum fore,cuius populi divites ſint: qui ut res poſcit, in regis, regniq; commodum,& lubentiſſime velint, & facillimè bona ſua conferre poſſint,

Vet-

Verma, cuius Verma, regnum lapidibus pretioſis ditiſſimum, adamantes non è rupibus, ſed ex agris, effoſſa terra, eruuntur. gens nuda præter pudenda: colore ex glauco in nigrum vergente, moribus dura. Supra ad Septentrionem iuxta amnem *Caor* regnum cognomine, & *Cumotai* dictū. Hæc verò ſupra, iuxta paludem Chimayn eſt regnum *Aſem*, vel ipſis Indis parum notum: olim urbs princeps *Aſem*, nunc *Kemmeruf*. ferunt apud huius regni incolas tormentorum & pyrii pulveris primum uſum fuiſſe: ex quibus mox ad *Sinas* trāſiit. Superiore ætate Mirgimola Indorum Dux in Aſemſe regnum movit immenſis copiis. at cum ad latitudinem grad. 30. iuxta amnem Dacam perveniſſet, propter Cœli, & anni rigorem, cuius Indi impatientes, & quod iam Aſemſis rex cū nō exiguo exercitu tormentis plurimis, & pyrobolis occurreret, pedem referre coactus eſt. cepit tamen in reditu *Azoon* urbem, ubi ingentes opes repertæ. Aſemſe regnum nullius indigum, cum omnia ad hominum uſum tellus ferat auro item, argentoque dives: oloſerico abundat. eſt quodam bombycum genus noſtris ſimile, at rotundum, quod toto anno in arboribus manet. at quamvis bovum, atque ovium fęcundum, gens tamen cane veſcitur, quem ſupra perdicem, & phaſianum appetit. hinc magna in foris canum diſtractio fit. Sal hoc artificio conficitur: Folia ficus, quam ab Adamo vocant, ſiccantur: mox comburuntur. cinis aqua diluitur: aqua colatur: reſiduum ſal nitidum, & optimum. quod etiam muſco in ſtagnis viridante eodem pacto colligitur.

Regna, quæ in peninſula Orientali ſunt, hæc recenſentur. *Arracanum* ab urbe *Arracan* ad amnem ſita. hanc urbem Bremæ rex abſedit cum tercentis millibus Militum tribus millibus verò

Ele-

Elephantorum.at ſuppetias ferente Magno Indorum Imperatore, non ſine ignominia obſidionem ſolvere coactus eſt. *Peguanum* ab urbe *Pegù* ad amnem poſita,ampla olim, & frequens, nunc ſemiruta:ſedes regis eſt in urbe *Siren*. *Martabanum* ab urbe *Martaban*.Peguano regi interdum paruit. *Sianum* ab urbe *Siàn*,præcipuum inter hæc regna: habet à Septentrione *Pegù* ab Occaſu Gangeticum ſinum, ab Ortu Magnum ſinum, *Golfo di Sian*,à Meridie Auream Cherſoneſum.urbs *Sian*, quæ & *India* ſita in Inſula, quam efficit *Menan* fluvius, qui ampliſſimo alveo,ac magnarum navium patiente in Magnum ſinum influit. inſula patet VI. M. paſſuum: quem ambitum totum urbs occupat,tum amplitudine viarum, cum ædificiorum magnificentia,pulcherrima.Fana ſuperbiſſima,Turres auratæ, mœnia munitiſſima. ad ripam fluminis aſſurgunt ædes regiæ tam amplo circuitu,ut urbem diceres.circa horti aquis rigui,& pomaria amœniſſima. campi circum extenti in quibus innumeræ Turres, Pyramides, ac ædes conſpiciuntur. Amnis Cocrodilos alit miræ magnitudinis,at aqua ſalubris. Solum fertiliſſimum tritici,ac pomorum omnis generis:ſylvæ Cervos, Elephantos,Rhinocerotes,Tigres,& Simias alunt. Eſt & quoddam animal Salamandræ ſimile, cauda bifaria,longitudine unius pedis,venenoſiſſimum. Rex mire colitur,ſeque regem Cœli, & Terræ vocari iubet, etſi Sinenſi Imperatori vectigalis. mores gentium civiles, ingenium cultum. literas numerant 33. noſtro more ſcribunt à ſiniſtra ad dexteram. Relligio Idololatria.fingunt ipſorum Deum maiorem natu Numine Chriſtianorum:& iamdiu diſparuiſſe: nec ubi gentium ſit ſciunt. Bonzi apud illos venerationi ſunt.hi in cœnobiis vitam agunt, & campani æris ſonitu de media no-

noĉte ad orandum aſſurgunt: cæterum hypocritæ. gens bello apta: arma ſagittæ, ſclopus, pilum miſſile, & clava longa pedibus ſex, quam ferro armatam mira dexteritate in hoſtem iaciunt.

Ad Meridiem Magni ſinus eſt *Cambota* regnum ab urbe *Camboia* poſita ad alterum alveum amnis *Mecon*, qui & *Coſmin* vocitatur. regnum auro, argento, & Aloë dives. ad Orientem huius eſt *Chiampaa* regnum, item ab urbe denominatum. Sedet illa ad ripam exigui fluminis à litore diſtans LXM. paſſus. oloſerico abundat, & Aloë, quam mercatores tanti faciunt, ut æquato pondere argento coëmant. Ad Meridiem & Occidentem ſequitur *Malacca* ſic ab urbe præcipua, appellatur Aurea Cherſoneſus, ſeu Chryſia regio. urbs capta à Luſitanis, & munita; quippe quæ magno uſui erat navigantibus in Orientem. at capta poſtea ab Hollandis non ſine magno Luſitanorum, & religionis damno, incommodo fuit. cum Luſitanis teneretur opulenta, & frequens, nunc verò infrequens.

Ad ortum ſupra *Chiampaam* eſt Cochinchina, ad Occaſum aſperrimos montes habet à Septentrione Tunchinum. urbs caput *Kaifo* non multum ampla, & in ſaxoſo litore fabricata. oloſerico, & Calamba ligno dives. Supra eſt Tunchinum amplíſſimum regnum: *Tunquin* incolis dicitur inter Sinas, & Indias iacet urbs regia *Keccio* & *Checo* dicitur: ampla, dives, & populoſa. rex quondam Sinenſi Imperatori, ex cuius imperio avulſa olim provincia rebellante præfecto, ſexto quoque anno tributi loco tres ſtatuas aureas, tres argenteas mittebat. hoc ævo legatum mittit, qui Imperatori regis nomine obſequium præſtet. mores gentis, ut & Cochinchinæ, leges, Sacra, ut Sinenſes habent, de quibus ſuo loco dicemus, Cęterum

non omittendum quod in his regnis, & præcipuè Siano viſitur. Formicæ nidos faciunt in ſummis calamis Bambuci magnitudine humani capitis ex terra pingui: quibus in nidis apium more diſtributæ ſingulis formicis cellæ miro opere. ſubter foramen, quò in alvearia intrant. id eo conſilio faciunt, ut nimirum pluvias vitent, quæ quadrimeſtre durant, omniaque inundant.

CAPUT VI.

De Tapobrana, & Maniolis inſulis.

AD Orientem Peninſulæ intra Gangem eſt inſula, quæ olim Tapobrana, nunc *Ceylan* nuncupatur. dicta etiam fuit Simondi, & Salice, populi Salæ. montes in ea Galibi, & Malea: *fluvii* Ganges, Baravus, Azanus, & Suava. litus Septentrionale indigitatum Magnum. Populi fuere Muduti, Nagadibi, quorum Nagadiba; Emni, Mardulì, Bocani, quorum Comana: Nagiri, quorum Bacchi civitas: Rhodàgani, quorum Dava, & Odocæ Bumathari, quorum Iovis extrema: Sandocandæ, Soani Galibi: in medio inſulæ Tarachi.

Indigenis inſula appellatur *Tenariſim*, nimirum Terra deliciarum: inque ea Paradiſum fuiſſe nonnulli fabulari ſũt. Indico Oceano abluitur: ambitu Sicilia maior, & ipſa Triquetra, ſed ad ovum magis accedit. Mons altiſſimus tota India Adami Picus dicitur, eòquod ibi Adamum creatum indigenæ falsò opinentur. cuius in rupe impreſſa veſtigia oſtenduut, ibique etiam tumulatum confingunt. præcipuus amnis Candèa ab urbe quam alluit cognominatus, quinque olim regnis diviſa, præcipuum Candeæ urbes nobiles ſunt præter *Candeam*, ſivè *Candy*, *Iaſanepatan*, *Triquemale*, *Mateco-*

tece-

tecolo,Baticolo,Sala,Galo,Cota,Colombo, Negombo, & *Scytavaca*. Inſula primum detecta anno 1509. à Iacobo Lopes Siquera Luſitanorum Duce: qui ſecutis temporibus magnam inſulæ partem occuparunt. regemque *Priapender* ad Chriſti fidem perduxerunt: nuncupatuſque Ioannes. eo tempore *Galo* urbs maxime floruit: illam enim naves, quæ in Sinas, Iapones, Malaccam, & inſulas navigabant, itu, redituque frequentabant. portu nobilis: at periculoſæ in aditu Syrtes. mœnia valida, urbs ex lapide, Emporium celeberrimum. Hollandi fędere inito cum rege Candeæ, urbem expugnarunt: mox *Columbum*, & *Triquemalem* Luſitanoſque expulerunt. urbem verò *Galo*, quam ex fędere Candæo regi promiſerant: ſibi retribuere: noviſque operibus munivere. Senſitque barbarus rex male novos amicos quæri, quorum probanda fides, cum veterum iam nota, ac perſpecta ſit.

Quod ad Cœlum, ſolumque attinet, nullus in Indiis locus, ubi Cœlum maiori temperie gaudeat, ac ſalubrius ſit. ſolum fęcundum crebris pluviis, & fontibus rigatum. poma omnis generis præcipuè Aureorum, & Limonum: Cinnamomum tota India fragantiſſimum, & maiori copia ex una Tapobrana, quam ex toto Oriente provenit. eſt autem Cinnamomum ſecundus cortex arboris cuiuſdam, quæ Rhodolauro ſimilis eſt. Naſcitur etiam Areca, cuius fructus cum foliis Bethel Indi miſcent. Elephanti plurimi, & optimi. at illud mirandum eſt Elephanti, qui in tota Aſia naſcuntur, cum ad conſpectum eorum veniunt, qui Tapobranæ oriuntur, veluti regi obſequium præſtant, terramque propoſcide lambunt: mox reverenter attollunt: dictante etiam brutis natura in maiores, ac principes reverentiam.

Gens procera, ac nigri coloris eſt, aureſque

 lon-

longas habet,quas terebrat,ut gemmis ornet nares patulas. corpus totum agile, ſaltandi arte ob id peritiſſima bello navat operam:enſe, & ſclopo utitur,necnon & ſagittis.pectus pro thorace Crocodili pelle muniunt. Elephantis dentem falce armant, & turres dorſo imponunt antiquo more. plebs nuda præter pudenda: nobiles tela,vel oloſerico amiciuntur Religio Mahumetana, & Idololatria.Pytagorica in hæreſi ſunt: quare ab animantibus abſtinent Multi Chriſtiani dum inſulam Luſitani tenebant, nunc admodum rari, & heterodoxæ.

Ad Occidentem inter Ceylanum,& Piſcariam eſt Inſula Manaria, olim Cory dicta in qua urbes *Manàr*. circa hanc inſulam ſuperiori ſeculo Margaritarum quęſtuoſa piſcatio.nunc ingenti terræ motu conchæ interiere.

Maniolæ,quæ nunc Maldivæ appellantur,ſunt ad Occidentem Indicę veninſulæ: & a gradu 10. ultra Æquatorem excurrunt numero ſi vera referunt ſupra 12. mill: etſi plurimæ meri ſcopuli, & cautes inhabitabiles. Maldivæ dictæ à *Male* præcipua inſularum, & *Dive*, quæ vox inſulam ſonat. Detectæ nobis fuere anno 1507. ab Almeidæ Luſitani filio Situs ipſarum rectam lineam ſignat, quæ à Libonoto in Apeliotem curtit. quod circum alluit mare ab illis nomen accepit. illud autem perpetuo æſtu inter illas interfluit. Dividuntur in 13. partes, quas incolæ *Attollones* vocant.ex 12. verò fretis quibus Attollones ſeparantur 5. tantum navigabilia, quia nimirum æſtus non adeo rapidus, nec crebri ſunt ſcopuli, ac Syrtes.in *Male* inſula urbs regia cuius domus ex ligno Cocos Indis dicto, ex cuius frondibus tecta ſunt. at nobilium ex lapide è ſcopulis exciſo, qui pluvia,& tempore molleſcit. arx regia ex lapide,

pide, ædes omnes una tantum contignatione aſſurgũt. gens inculta, & Mahumetana. Rex Ibraim vocatur: qui ſe principem dicit 8 Provinciarum, & inſularum 12. mill: freta Crocodilis infamia; aër gravis, ac maxime advenis noxius. Solum frumentum non gignit, neque Orizam. provenit tamen *Mel*, Mala granata, Aurea, Citria, & *Cocos*, ſive nux Indica. Arbos Indis maxime utilis ſuccus variè conditus Vinum, Mel, Oleum, Lac, & Saccharum refert, fructus amygdalas, ex quibus panem conficiunt: ex foliis cartham, ex trunco domus, & naves compingunt. In mari conchylia ſunt tam pulchra, ut apud plurimas Indorum gentes monetæ loco ſint.

CAPUT VII.

De Sindis Inſulis.

Univerſæ Eoi Maris inſulæ, quæ innumeræ pene ſunt, in quatuor claſſes dividuntur, nimirum Sindas *della Sonda*. Moluccas, Boruſſas, ſive Philippinas; & Hippades, ſive Marianas, *Iſole de Ladroni*. Sindæ tres ſunt, eæque maximæ: quas circum aliæ minores ſparſæ ſunt. Prima eſt *Sumatra*, quæ exiguo freto ab Aurea Cherſoneſo diſcluditur fretum ſcopulis, & æſtu difficile. Inſulæ figura oblonga, quæ à grad: V. lat: Auſtralis ad V. Borealis excurrit recta in Apeliotem, ſeù Græcum. Æquator mediam ſecat. In plurima regna dividitur præcipua *Achem*, *Goto*, *Sillebàr*, *Ticù*. Achem ab urbe dictum potentiſſimum eſt. urbs ad amnem non longe à litore ſita eſt. ædes ex calamo: regis palatium terra aggeſta, & palis, munitur.

Ab Auſtrali Sumatræ promontorio Orientem verſus extenta eſt Iava Inſula inter Meridianum

140. & 150. circa latitudinem grad: 10. oblonga eſt:& Sindano freto *Stretto della Sonda* à Sumatra diſiungitur. in multa regna dividitur: præcipua ſunt *Bantam*, *Iapare*, *Tuban*, *Palambuam*, *Materam*. Potentia viget *Bantanum* inter omnes inſularum regna. etſi nonnihil amiſit ob proximos Hollandos, quorum auxilio crevit regnum *Materamum*. urbs cognominis eſt in ipſo freto, cum portu inſigni, in quem amnes influunt, urbis mœnibus primùm rigatis. mœnia ex lateribus: at domus ex ligno, tectũ tuguriorum inſtar ex paleis. at regis palatium quadratum, inque quatuor angulis, quatuor ſurgunt columnæ: tectumque ex Coco factum ſuſtinent laterales muri miris coloribus, bellèque picti.

Ad Orientem *Bantani* in Septentrionali inſulæ latere eſt Iacatra urbs: quam vallo munitam Angli dolo ceperunt, atque depopulati incendèrunt. Hollandi amicitia inita cum Iavanis novam urbem ædificarunt: & Bataviam appellarunt. Sita eſt in grad: VI. mint: X. lat: Auſtralis. amnis mediam urbem rigat: minor pars arx dicitur quatuor propugnaculis munita, & foſſa prævalida. maior pars urbs dicitur, & ipſa muro, & foſſa circumdata. plateæ latæ, & rectæ. per ripas interfluentis rivi arbores aſſurgunt. domus pulchræ, at humiles. urbs multis civibus inhabitatur, Sinis, Batavis, & Iavanis. princeps Batavici Imperii per Indiam: ibi Prætor ius dicit, ac præfectis omnibus imperat: præſidio item valido, & claſſe, quæ per univerſas Indias navigat, egregiè tuta. Prætoris ſumma potentia, ac luxus, opes immenſæ, quas ex navibus, quæ merces in Europam vehunt, corrogat. Urbis inſignia Enſis cum laurea corona.

Reliquæ inſulæ circa Sindas ſunt: ad Occidentem

tem *Samatræ Cocos, Batenclan, Caluppes. Goède Fortuyn, Naſſavia, Engano*: ad Ortum *Banca*: ad ortum verò Iavæ, *Mandura, Baly*, Bomral Cubava. Circa *Borneum* Syrtes, & innumeri penè ſcopuli verius, quam inſulæ.

Tertia Sindarum, ac totius Eoi Oceani maxima *Bornèo* appellatur ab urbe, & regno inſulæ præcipuo. inſulæ figura fermè rotunda. ſita inter IV. grad: Auſtralis & VII. lat. Borealis Æquator fere mediam ſecat. longitudo itineraria ab Auſtrali ad Boreale promontorium mill. 680. latitudo 540. Multa in Inſula regna: maximum eſt Bornęum, ab urbe, quæ ad Septentrionale litus ſedet in intimo ſinus, ſeu verius lacus receſſu: hinc urbis domus in pilis poſitę ex palmarum ligno. Regis ædes in tumulo, muro è lateribus vallatæ.

Quod attinet ad aëris, ſoliq; indolē. univerſim aër non ſanus, & alienigenis noxius, præſertim in *Borneo*. atque ob id inſula penè deſerta. in *Iava* minus noxius: quoniam verò circa Æquatorem ſunt, perpetuum æquinoctium gentes habent. illæ autem nigro colore, naſo intus preſſo, longis auribus, & tum Cœli, tum patrum vitio nudi præter pudenda. Bornenſes fęminæ honeſtæ, rara in barbaris virtus. in Borneo aurifodinæ ſunt nonnullæ, ferri item, ſtamni, æris. oriza naſcitur, milium, olo ſericum, Nuces Tharſiæ, ſive Muſcatæ, Cinnamomum, Cariophyllum, Zinziber, Piper: ut in reliquis inſulis. Sumatræ Piper magis acutum, & minutiſſimum: atque ob id à Perſis, & Indis optatum: illo enim non tunſo cibos condiunt.

Gentes bellicoſæ præcipuæ Sumatrenſes. in mediterraneis Idololatræ, litora Mahumetani occupant. In Bornenſi regno Regina præeſt, penes quam ſumma authoritas. illa ius dicit, populos gubernat & pacis, bellique artes curat. amant

enim gentes à fœmina potius quam ab Viro regi. Nec omittendum in Bornenſi fluvio *Succadan* dicto Adamantes reperiri, quos extrahi regina ſeveriſſimis legibus vetat.

CAPUT VIII.

De Moluccis Inſulis.

AD Orientem ſequuntur Moluccæ, quo nomine, omnes nunc veniunt, quas aliqui *de la Sonda* ad Orientem appellant. Luſitani enim omnes inſulas Eoi maris *della Sonda*, ſive *Sud* vocant. Præcipuæ ſunt *Celèbes*, *Gilolo*, *Cerem*, *Timor*, *Flores*, *Morotày*, *Ruro*, *Timorlant*, & Moluccæ propriæ dictæ. *Celebes* quæ, & *Macaſsàr*, à geminis urbibus reliquarum maximis iuxta Borneum ſita inter parallelum II. Borealem, & VI. Auſtralem. Urbs *Macaſſar* inſigni portu nobilis ad Meridem iacet: olim aggregatum tuguriorum nulla munitione tutum, at poſtquam à Batavis capta, pulſique à regno Luſitani, quorum claſſis ab Hollandis profligata vel ipſo in portu fuerat, hortantibus ipſis Hollandis, ædificari mœnia cæptum eſt. ipſique arce, quã Luſitati tenebant, potiti ſunt. tellus auro dives: orizam, & Cariophyllum gignit. Cocos pluſima naſcitur. eſt autem hæc arbor notiſſima apud indos, procera, inque vertice multitudine frondium luxuriat; ut palmæ. fructus viridi cortice tegitur, qui ut matureſcit linũ refert, exteriora dulcia, carniq; ſimillima: intus dulcis ſuccus, ac ſanus eſt. ſunt & alii reges in inſula parum noti.

Gilolo circa Æquatorem eſt ad Orientem *Celebes*. in dua regna dividitur *Gilolo*, & *Loloda*. *Ceram* ad Meridiem iacet, quam iuxta *Amboina*, *Pulo Rhin*, & *Pulo Ay*. Amboina olim Luſitanis, nunc

Bata-

Batavis paret, Inſula Tharſiæ nucis ferax, ut & reliquæ duæ recenſitæ. Ad Occidentem eſt *Buro*: ad Meridiem *Banda* circa quam innumeræ aliæ parvæ inſulæ, iiſdem nucibus inſignes. *Timor* ad Meridiem: ſupra *Ombro* & *Teralſa*, ad Occidentem verò *Flores* inſula, cui plurima florum copia ſuavè olentium nomen dedit. in eà pagus è tuguriis *Luſataia* dictus. Inter Celeben, & Gilolum, quæ etiam vulgò *Iſola del Moro* vocitatur. Moluccæ veræ ſunt, quæ iuxta Giloli oram à Septentrione rectà in Meridiem tendunt, toto Orbe celeberrimæ, detectæ anno 1519. à Caſtellanis, à quibus Luſitanis datæ. Præcipuę ſunt *Heri, Ternàte, Tidoro, Mitterra, Pottebaikers, Timòr, Machian*, & *Bachian*. Ternatis urbs *Gammalamme*, regis ſedes, ad radicem montis ſita ad oram Meridionalem. illa autem nonniſi longa platea hinc, inde mapalibus clauſa: arx ubi rex habitat, ex lapide facta, rarum opus in his regionibus. Batavi geminas arces poſſident. *Taceomma* ſcilicet, & *Malayo*. *Tidorus* freto ter mill: paſſuum diſiuncta à Ternate. verſus Meridiem eſt: ſolum fertile, & amœnum: Hiſpani, pulſis Luſitanis, illam tĕnent, arcibus *Tarùla*, & *Matayo*. *Timor*, Batavis *Moſir* vocata partim Batavis, partim Luſitanis paret. Batavi arcem Naſſaviam impoſuerunt. *Machian* ſequitur Batavi iuris, ubi arces Mauritiana, & *Tabillola*. *Bachian* quæ ultima Moluccarum eſt, olim à Luſitanis contra Barbaros, & Hollandos ſtrenuè, diuque propugnata: amiſſa tandem hoc ævo à Batavis relicta. Circa has inſulas innumeri penè ſcopuli, qui navigationem difficilem, & periculoſam reddunt. quapropter exteri nautis utuntur indigenis, quibus maria, & ſyrtes perſpecta,

Harum inſularum aër non ſanus ob varios, ac noxios vapores, qui ex tam diverſis terris exhalant.

lant.tellus humilis, & ſicca præcipue Giloli: in qua mons ignivomus, ob quem perpetuis, atque horrendis terræmotibus quatitur. *Ternate* Timor, Tidorus, & Machian arborum refertiſſimæ, quæ Cariophyllum producunt, Perſis *Calafur*, indigenæ *Chambam* vocant. folia lauro ſimillima: flos, ex quo Cariophyllum erumpit, niveus: mox glaucus: tandem rubeus cum matureſcit: grana decidunt, ut flos emarcuit, quatriduo ſiccãda exponuntur: mox aqua marina abluuntur, ne vermes generent. iterumque ſoli exponuntur. naſcuntur etiã apud *Sinas*: ſed Moluccenſia probatiſſima. Nux Tharſia, ſive Muſcata ter in anno provenit, at quæ Aprili menſe optima. Arbos non plantatur, Sed hoc modo provenit. Aves fructus deglutiunt, redduntq; minimè digeſtos. hi terra excepti, radices figunt, germinantque arbores. Amygdala plurima etiam provenit, ex qua panem gens conficit.

Eſt autem gens mediocris ſtaturæ, avara, & bellicoſa. acinace, & ſclopis utuntur, magnoque ſcuto ſe tegunt. Longis veſtibus ardente etiam Sole veſtiuntur, pedibus nudis, calceorum loco ſandaliis utuntur.

CAPUT IX.

De Philippinis, & Marianis Inſulis, Nova Guinea, & Salomoniis.

PHilippinæ inſulæ, quas nonnulli Sebadibas Ptolemæi putant: mihi Baruſſæ ſunt, Sebadibes verò ſuperiùs expoſitæ. ſic Naut. VIII.

At dextro quicumque novi de litore Mundi
Parthenias quæris terras, ſpraſaſque Baruſſas.

Parthenias vocavimus Marianas Inſulas, de quibus mox dicemus, Philippinæ, inquam, dete-

ctæ

ctæ anno 1521. & à Philippo II Rege appellatæ. Luſitani ab urbe Manilla *Manillas* nuncupaverũt. Sitæ in Oceano Eoo intra parallelum V, & XIX, Meridianum verò 151.min:30,& 170.in Torrida Boreali. habent à Septentrione Sinas, à Meridie Moluccas, & Borneum ab Occidente Indiam ab Oriente Hippadis pelagus, & Marianas. illarum numerus adhuc latet, aliqui MC. eſſe dicunt. alii XIM. numeratis etiam ſcopulis. inſigniores ſunt *Luzon, Tandaya, S.Giovanni, Mindanao, Tagyma, Paragon, Limahan, Mindora, Musbat, Abuyo, Sebù, Leyta, Negros, Panay, & Paneton.* Luzonia omnium maxima, ac ditiſſima, quæ etiam nova Caſtella ab Hiſpanis vocata fuit, ob ſoli indolem Caſtellano ſimilem: urbes inſignes *Luzon*, & *Manilla*. hæc Provinciæ caput, in intimo ſinus receſſu iuxta amnem navigabilem ſita, urbs non ſatis ampla, at ſatis elegans, plateæ amplæ, & rectæ, ædes ex lapide elegantiſſimæ. Templa, ac Cœnobia plurima ad noſtrum uſum facta. arx à D Jacobo appellata, non ſatis munita: urbs mœnibus, & turribus cincta. in ea Hiſpani degunt bis mille, Indi quater mille. in Suburbio *Pariane* nuncupato Sinarum 20. mill: quos *Sangleyes* vocitant, incolunt, qui varias artes exercent. illorum domus ex ligno, at affabrè Sinarum ad formam fabrefactæ.

Mindanaos diu regis ſuis paruit, qui fortiter libertatem tutati ſunt: tandem devicti, in victoris arbitrium dati. urbes in ea *Mindanao, Bapyto, Caldero, Lomeathan, Paragra*, quæ & *Pulaan*, omnium occidentalior Regi paret, qui Bornenſi tributa pendet. in ea ficus naſcuntur longitudine dimidii brachii, latit: æquales brachio. Harum terrarum aër ſummè calidus, nullæq; temporum vices. circa Kal: Iunias pluviæ incipiunt, quæ fermè continuæ per tres, quatuorve menſes ſunt. extra hoc

tempus rariſſimè pluit. procellæ crebræ, tamque violentæ, ut maximas arbores eradicent. fontes calidarum aquarum plurimi. angues miræ longitudinis in ſylvis latitant. Tellus noſtrates fruges non giguit, non vinum, nec oleum, nec poma, niſi aurea. at cera abundat, & melle. Palmeta innumera, & immenſa, ex quibus totæ gentis opes ſunt. Saccharum etiam provenit abundè. auri, argentique fodinæ aliquæ in Luzonia, & Mindanao. Gentes nivei coloris, oriſque honeſti: tunicis uſque ad genua conteguntur. continuo, & Cœli, & gentis vitio in balneis ſunt: in quibus mire gaudent. oriza panis loco populis eſt: ex qua etiam vinum, quod noſtrum bellè æmulatur, exprimũt. Fere omnes Hiſpanis parent. Prætor Manillæ ius dicit, ubi etiam Archiepiſcopus ſacra curat.

Marianæ inſulæ à Marianna Hiſpaniæ regina vocatæ: detectæ fuere anno 1519. à Ferdinando Megellano, qui Latronum inſulas dixit; quia nimirum gentes latrociniis victitant. Mare inſulas circum interfluens Archipelagus D. Lazari noſtris dictum, olim Hippadis. terminus Oceani Eoi, & Occidui, ſive Pacifici. inſularum numerus ferme L. præcipuæ *Deſerta, Cheroſiu, Quana, Bataba, Bacin*. Cœlum temperie gaudet: horrendis tamen identidem turbinibus ſcinditur. Solum ſterile, nulla paſcua: hinc greges nulli: quæ vero inſulæ ad victum neceſſaria habent, populorum refertæ: victus radices, atque herbæ. gens robuſta, procera, glauca, nullis veſtibus tegitur: rari frondibus pudenda tegunt: nullis dominis parent: atque hoc uno felices, quia ſcilicet, quiſque ſuo genio vivit. Idola, & Cacodæmonem adorant: venationi, & piſcatui ſtudent. inter ſe pugnant acriter, & ſupra modum feroces ſunt. non multis ab hinc annis ſacris imbui, atque Hiſpanorum inire commercia

cœ-

cœperunt. Storeas miro opere texunt, ſuiſque canois vecti in Scythiam ferunt, cumq; ferro permutant. Lingua gentis barbara: diverſoque modo pronunciatur. naturæque vitio naribus loquuntur.

Ad Meridiem, & Orientem Moluccarum non longe ab Æquatore verſus Auſtrum eſt Nova *Guinèa*: quod nomen ideo ſortita, quia Africanæ Guinèæ ſit è diametro oppoſita. detecta fuit anno 1527. ab Alvaro Saavedra. primi partem Auſtralis continentis putarunt: ac recentiores inſulam eſſe tradunt. Pars, quæ uſque ad Æquatorem accedit, indigitatur Terra Papoum ab incolis; quorum inſignis erga dominos fides; quare plurimi illorum apud Indos merentur. Inſulam hanc multi arbitrantur. Ad Meridiem Carpentaria ab Hollando Carpenter dicto nuncupata. Guinèæ amnes hucuſque noti, *D. Auguſtini*, & Virginum. Portus inſignes *S Giacomo*, *S. Nicolò*, *la Natività*, vulgò appellantur. Solum fertile, gentes glauci coloris.

Ultra Guineam in Pacifico Oceano detectæ anno 1567. ab Alvaro Mendoza Inſulæ Salomonis: ſic appellatæ ſpe auri potiundi: à Peruviæ litore leucis diſtant. 800. Præcipuæ ſunt *Nombre de diòs*, *Malatta*, *Atrequada*: *Tre Marie*, *Santiago*, *S. Chriſtopharo*, *S. Anna*, *S. Nicolò*, *Arracifes*, *S. Iſabella* omnium maxima, in qua portus inſignis *Eſtella*. aër temperatus, ſolum fertile, gregibus nobile: gentes varii coloris, ut meritò ex diverſis regionibus illuc appuliſſe nonnulli opinentur.

Ad Meridiem eſt ingens Tellus *Quir* vocitata detecta anno 1606. à Petro Fernando *Quir*, ſub Auſpiciis Philippi III. verſus Meridiem eſt Nova Zelandia, quæ anno 1654. innotuit quæ fere è diametro Italiæ opponitur; quæ quidem terræ ad-

adhuc incognitæ nobis ſunt. Ultra Meridianum. 230. in latitu: Auſtrali grad: 14. ſunt inſulæ *Horna*, Cocos, & Taitres. primam detexit *le Maire* anno 1616. ſolum fertile præcipue *Coci*, gens in commune bona conferunt, ac bona pace, nulloque dolo malo vivunt, regem *Herico* appellant, qui alteri ſubeſt *Orankay* dicto, qui veluti Imperator vicinarum inſularum, quæ multæ ſunt, regulis imperat. Cocos eodem anno detecta: è mari veluti conus aſſurgit, coco dives à qua nomen ſortita. ad Orientem eſt *Taitres*, hoc eſt proditorum inſula: quo nomine donata; quia incolæ ſpecie negotiationis Hollandos interficere tentarunt. Sunt etiam aliæ inſulæ: inter quas Infortunatæ memorantur nullis habitatoribus cultæ, neque eorum, quæ ad victum neceſſaria ſecundæ; unde & nomen adeptæ.

Supereſt inter Meridianũ 148. & 180. lat: Auſt: circa Tropicum Capicorni ingens tellus non dum ex toto luſtrata Nova Hollandia ab Hollandis inventoribus vocitata. memorantur in ea ad Auſtrum Tellus Lyonne: circa Tropicum Tellus Cõcordia: ad Septentrionem, & Orientem *Arahem*, & ſupra inſulæ Crocodilorum.

CAPUT X.

De Veteribus Sinis, ac Novo Chinæ regno.

EX Inſulis Aſiæ in continentẽ redeuntes, ſuperſunt deſcribendi extremi hominum Sinę, qui antiquis vix innotuere; quapropter nil mirum, ſi illorum tabula, quam Ptolemæus exhibuit, novæ, quam noſtri Geographi deſcripſere, minimè reſpondeat. Ptolemæus enim oriẽtalem oram incognitam ponit, illamque cum continente Auſtrali

Terræ coniungit, fluvioſque maximos ſpatio grad. XIV. diſſitos locat, cum revera vix tribus diſtent. at remotiſſima in tanto barbarorũ tractu, raroque meante cõmercio cognoviſſe difficillimũ. nobis verò frequentes Europæorũ navigationes aditum ad ultima, abditaq; terrarum aperuerunt. Fines ergo tam vaſtæ regionis, ac nobiliſſimi Imperii ſunt ab Oriente Oceanus Eous, qui & *S*inenſis à *S*inis dictus. à Meridie item Oceanus, & Tunchinum: ab Occaſu Damaſii, & *S*emanthini montes: quibus ab Indis, & Scythis diſcluduntur: à Septentrione Ottorocoras, & murus mill: 1200. inter huius crepidines contra Tartarorum incurſus extructus: quo à Seris diſterminatur: quamvis mea quidem ſententia, Septentrionales Chinæ populi pars Serum ſint. Situs eſt inter parallelum 20. & 42. inter Merid: verò 140. & 168. præter exiguam partem Meridionalem, quæ ultra Tropicum excurrit, tota eſt in *Z*ona Temperata. Longitudo itineraria ab ultimo muro, qua Orientales Scythas tangit ad extremum Iunnanæ provinciæ in Cancri Tropico eſt mill: 1560. lati: à Damaſiis iugis ad mare Eoum 1200.

Montes Sinarum nobiles Damaſii, & Semanthini: fluvii Cottiaris, Senus, Ambaſtus, Aſpithra. Populi Iſthiophagi, Sinæ, Æthiopes. quorum Cattiagara. erit hæc, quam Fracaſtorius Catygarem vocat *S*iphilidos II.

Aurora ſed itum in populos Titanidis uſque eſt,
Supra Indum, Gangemq; ſupra, quà terminus olim
Catygare noti Orbis erat: ſuperata Cyambe,
Et dites Ebeno, & felices macere ſylva.

Canton eſſe contendunt viri docti. Cocconara item, Thinæ metropolis, & Saraga. Populi inſuper Ambaſtæ, quorum Rhabana, & Brammaæ: Aſpithræ, quorum Aſpithra: Acadræ, quorum

Acadra, quæ & Acathra. Semanthinæ, alii ignobiles, æquè, ac ignoti.

Univerſum Chinæ, ſive Sinarum Imperium, quod poſitis iam terminis continetur, in duas partes dividitur *Catay* ſcilicet, & *Mangin*. *Catay* nomine Scythæ ſex provincias ſeptentrionales comprehendunt, *Peking*, ſive *Pecheli*, cum *Leaotung*, *Xanſi*, *Xenſi*, *Xantung*, *Honan*, *Suchuem*: *Mangin* verò ſub nomine reliquas novem. *Huquang* nimirum, *Kiangſi* *Nanking*, *Chexiang*, *Fokien*, *Quantung*, *Quangiſi*, *Queicheu*, & *Iunnan*. hæc autem pars Meridionalis olim diſtinctum à reliqua Imperium ſuis ſub regibus erat. Igitur tota Sinarum regio in 16. magnas provincias, quas illi præfecturas vocant dividitur. Maritimæ ſunt ad Meridiem *Quantùng* cuius *Cantòn*, quæ urbs etiam *Quanchèu* appellatur. *Fokien*, cuius *Fochèu* ad amnem ſita. *Chekiang*, cuius *Hangchèu*: *Nanking*, cuius urbs cognominis ad Kiangum amnem poſita, regia Meridionalis. *Xantung*, cuius *Cinan*. *Peking* cuius *Peking*, quæ & *Xuntien*. Mediterraneæ verſus Indiam *Quangſi*, cuius *Queilin*: *Queicheu*, cuius *Queyang*: *Iunnan* cum urbe cognomine. Supra has duas *Suchuen* cuius *Chingtù*: hanc inter, & Nanking *Huquang*, cuius *Vchang*: & Kiangſi, cuius *Nanchang*: ulterius *Honan* cuius *Caifung*: *Kenſi*, cuius *Sigan*: *Xenſi* cum urbe *Taium*. Adnexæ Sinarum Imperio duo alia regna *Leaotung*, cuius *Leaoyang*: & peninſula Corea, cuius *Pinggau*.

Sinæ urbibus præcipuis addunt cognomen *Fù* ibi Prætor, & tribunal, ubi ius dicitur. ſic vocant *Cinan Fù*, *Iunnan* Fù, hæ vero ampliſſimæ, ac opulentæ numero ſunt 128. civitatibus verò ſecundi ordinis addunt verbum *Ceu*: hæ ſunt 1331. & ipſæ amplæ, & populoſæ. præterea quælibet ex numeratis provinciis in minores præfecturas,

qui-

quibus minores etiam præfecti præſunt, dividitur. hæ verò plurimæ ſunt. Ad limites regni urbes integræ, imo & provinciæ Militibus habitatæ, ad regni tutamen: innumeræque ibi arces firmis præſidiis munitæ.

Totius Imperii caput Pechinum, quam urbem Marcus Venetus *Paughin*, & Mendoza *Payhin* vocat, varia apud Sinas obtinuit nomina à diverſis regibus, quibus paruit. hinc olim *Leu*, *Xango*, *Hane*, *Zuangiang*, & *Fanyang*. tandem à regibus ex Taiminga gente *Peking*, nimirum regia Septentrionalis vocata. totius Imperii maxima: crevitque ab anno 1404. ex quo inhabitari cępit à rege Tamſungo: ut propior Scytharum incurſiones, quos Avus eiecerat, prohiberet. Sita eſt in gra: 40. min. 30. lat. Borealis ad amnem *Carkang* à mœnibus Scythicis diſſita mill. 61. in ſolo ſterili, & lapidoſo: abundat tamen omnibus ad victum neceſſariis, quæ ſumma induſtria aliunde comportantur. Longitudo urbis adeo magna, ut vix æquari uno die ab equite curſore poſſit; præter ſuburbia, quæ etiam ampliſſima. Innumeræ plateæ, ædes, Fana, Arcus Triumphales, publica monimenta, ut vix credi poſſit: non tamen mirum videri debet, cum potentiſſimi, ac vaſtiſſimi Imperii metropolis ſit. Viæ non ſtratæ lapidibus, aut lateribus, hinc tanta pulveris æſtate copia, ut cives velati incedant: hyeme abeunte in lutum pulvere, cœno paſſim oppletæ. Urbis portæ 12. mœnia ad Septentrionem lateritia; ad Meridiem duplex murorum ambitus: muri alti, & adeo lati, ut æquatis ordinibus duodecim currere tolutim equi poſſint, Civium numerum ad VIII. Milliones, alii ad 10. extendunt. Imperatoris palatium ſuperbiſſimum, magnæque urbis inſtar. Porta ad Meridiem ſurgit: in primo aditu forum ampliſſimum, &

ædes,

ædes, ubi Prętoriani milites ſtationem habent; hinc, inde geminæ alæ magnificis ædificiis nobiles, in quibus miniſtri, & præcipui Satrapæ degũt. in medio ædes reginæ, quam fœminæ, & Eunuchi ferme VM. ſtipant: ſolum quadris lapidibus ſtratum, eſſabrèque factum, ubi Regium ſolium viſitur, auro, & gemmis fulgentiſſimum. Cæterum regiæ domus divitiæ, & apparatus ſupra fidem. Quidquid enim pretioſi, ac miri ex toto Orbe in Chinam advehitur in hoc veluti mare confluit. quoniam verò exteris aditus interdictus, nos tanta opulentia, ac magnarum rerum pulchritudo latet.

Altera urbs regia Nanchinum ſita in lat. grad. 32. min. 20. ad ripas Chiangi amnis, qui non ùrbem modo, ſed agrum totum multiplici deductus rivo, ac canalibus plurimis rigat. poſitam memorant à Queio rege: verùm aliis, atque aliis ſecutis mox regibus, nomen mutavit. ager fertilis, amœnus, riguus, innumeris ædificiis, arcubus, ac ſepulchris ſuperbiſſimis inſtar urbis adornatus. Urbis ambitus 17. millia paſſuum, 13. portis patet: mœnia ex lateribus, quæ non totam urbem, ſed qua incurſibus pateſcit, muniunt. Pontes, ex quadro lapide magnifice extructi ſupra amnes, & canales navigabiles quamplurimi: ſuburbia inſtar magnarum urbium. Palatium regium ſumptuoſiſſimum olim, & pulcherrimum, nunc à Scythis fere dirutum. Urbem habitant 10. centena millia civium; præter 40. mill. militum Scytharum, qui urbem tuentur.

Non longe ab urbe Nanchino ampla planities viſitur: quæ nobiliſſimis ædificiis aſſurgit: inter reliqua Turris attollitur ex creta figlina nobiliore, quem noſtri *Porcellanam* indigitant. opus in paucis rarum: & inter prima Terrarum monimen-

ta merito locandum. novem diviſa contignationibus, quarum ſingulæ ſuo ordine decreſcentes, exporrectis extra operibus inſtar Meniani, mirabili apificio conſtructæ ſunt. ipſa moles inter contignationes intercepta tam miris, ac variis vivíſque coloribus picta, ut eminus ſpectantibus ex topatiis, ſmeragdis, Amethiſtis, auróq; compoſita videatur. ad ſummum apicem per gradus 184. ſcanditur. in ipſo autem apice pini pomum ex auro ſolido repoſitum eſt. opus ut memorant à Scythis factum ante annos ſeptigentos, cum univerſum Sinarum imperium obtinuiſſent.

CAPUT XI.

De Sinarum regibus, Inſignibus, ac Tumulis.

Genealogia Regum Sinarum ſatis obſcura, ac fabularum refertiſſima ob vaniſſimum gentis faſtum antiquitate ſummopere geſtientis. Nonnulli primum Regem conſtituunt *Paoneum*, qui primus omnium ex informi Chaos ab authore Naturæ eductus. Alii primum Regni parentem *Viteyn* faciunt: & hunc primò artem adinveniſſe domos extruendi, veſtituſque conficiendi, urbeſque, ac villas concluſiſſe, arces extruxiſſe, regnum omne in provincias diſtribuiſſe tradunt. primumque præterea legislatorem venerantur. tantæ autem molis fuiſſe perhibent, ut X. cubitos exuperaret. vixiſſe item annos 100. liberos genuiſſe ex quatuor coniugibus 25. ex illius autem progenie reges 116. per annos 2257. regnaſſe, uſque ad *Tuintzenum* tradunt. hic ultimus regum in magno populorum tumultu una cum liberis, & affinibus ſtrangulatus interiit. regnum ad alios, atque alios translatum, anno ab orbe inſtaurato

1644.

1644. quidam nomine *Licungus* ab Rege Tſunchino defecit, multiſque ducibus cum exercitibus deletis Pechinum cepit. rex in hortum confugit, cũq; rebelles inſequentes advertiſſet, ex arbore ſe ſuſpendit, ultimuſque ex Thaminga familia interiit. Uzanguæus belli dux, contrà Scythas, ab rege miſſus, cum ab rebellibus occiſum cognoviſſet, fœdus cum ſcythis pepigit, inque rebelles evocavit. Tſumtęus Orientalium Scytharum rex haud occaſionem prætermittendam duxit, quare cum 80. millibus equitum, peditum verò 200. millibus ſe Uzanguæo adiunxit, at cum ſuorum numerum animadvertiſſet, Sinarum verò paucitatem. Uzanguæum, ac copias omnes Sinarum caput Scythico more radere iuſſit, ſeque Ducem, ac regem ſequi. movitque in Licungum. hic perterritus Scytharum adventu, gaza regia ablata, urbem reliquit. Tſumtæus in itinere occidit, hærede inſtituto *Xunchio* annorum 6 qui ductu Amavani avunculi, ac Tutoris intra ſex annos totius fere Imperii potitus eſt, multis exercitibus cęſis, cunctiſque è regum progenie, qui in variis provinciis regnabant, occiſis. Xunchius obiit anno 1661. ſucceſſit Xunchius puer annorum VIII. qui ſub Matris tutela ſumma pace regnavit ad annum 1674. quo tempore Uzanguæus, qui Scythas evocaverat, arma movit, quatuorque magnas Provincias occupavit, quorum præcipue Quangęium, cui pro rege præerat, ictoque fœdere cum Prætoribus Fokienſi, & Cantonenſi, cum illorum copiis ſuas coniunxit, magna ſpe Scythas eiiciendi, ſi concordia inter fæderatos, quod rarò evenire ſolet, perſeveraſſet. Nam Fokienſis prætor pacem petiit, atque obtinuit, cuius exemplum ſecutus mox eſt Cantonenſis prætor. Uzanguæus ſpe potiundi Imperii amiſſa, ſatis duxit Provincias

Quag-

Quagſium,& Huquanam,quas occupaverat, tueri, atque antiquum Sinarum nomen & decus in illo non contemnendo Occidentis angulo retinere.

Inſignia Sinarum Imperatoris duo Dracones fuere, uſique diademate ſunt. Scythæ pro corona breve pileum geſtant, cuius orbis Eburneus, in medio quædam veluti turris aurea unionibus ditiſſima,quorum unus Columbæ ovo par.regia veſtis Aſiatico more talaris Draconibus, variiſque floribus Phrygio opere intertexta. Non longe ab Urbe Nanchino ampla planities, in cuius medio lenis mons à Dei fano *Paolinxi* dictus ſylva pinea cingitur.in vertice Paolinxi delubrum mira ſtructura poſitum eſt ex quadrato lapide, ad quod marmoreis gradibus aſcenditur. viſuntur alia Idolorum Templa & totus mons regiis ſepulchris magnificentiſſime exornatus.Scythæ ſpe theſaurorum totum montem, templa, ſepulchra barbare deformarunt,terra hac,illac effoſſa,molibuſque dirutis. nulla res magis homines impios facit,quam avarities.

CAPUT XII.

De Fluminibus, Montibus,ſoli, aëris, ac gentis qualitate,atque mirabili Sinarum muro.

INter Sinarum flumina, quæ penè innumera ſunt, principē ſibi locū vindicat *Kiangus* quem *Yangau Kiang*, nimirum Maris filium indigenæ appellant. ab Occaſu in ortum fluit,totamque regionem in duas partes ſecat Borealem,& Auſtralem:ortumque habet à montibus *Min* dictis. uſque ad urbem *King-cheum* per ſcopulos, valleſque atque horrenda præcipitia,multis vorticibus, ingen-

gentique aquarum impetu fertur. mox placidus, maiorque inumeris exceptis amnibus in Oceanum fluit, facta in oſtio magna inſula urbe, & præſidio nobili ab urbe *Kieukiang* à mari leucis C. ita placidus, magnuſque fluit, ut expanſis velis navigetur: quod mirum ſane eſt, huc uſque marini piſces, & æſtus Oceani pertingit, maximè in Noviluniis, ac Pleniluniis. *S*ecundum locum obtinet Croceus fluvius, quem Sinæ *Hoang* à colore dicunt, de hoc nos Naut. VII.

Quà Ganges fluit, & Seres quà findit Hoanges.

Oritur inter Damaſios montes, quas incolæ *Otunlào* vocitant, Sinæ *Quenlun*, ex lacu *Singcieu*, quem pluſquam centum è fontibus erumpentes aquæ faciunt, amplum ſtadiis quadratis 80. ex illo aqua per canalem deducta alterum lacum priore æqualem efficit nomine *Soſing*. hinc in Boream fluit Hoanges nonnihil in Ortum flexus, immenſaſque terras extra Sinas poſitas alluit, mox ad urbem *Lingeo* Xenſienſis provinciæ, quà magnus Sinarum murus ad Orientem ſpectat, Sinas radit verius, quam alluit, flexuſque iterum ad *S*eptentriones immenſam ſolitudinem ad M. ſtadia pervadit. reflexuſque rurſus ad magnam muri portam *Se* dictam Sinas invadit, illorum interdictum nil veritus, ultuſque odium quo, hi reliquas gentes proſequuntur, longe, lateque alluvionibus regionem perdit, ac vaſtat, quò tandem turbidus, ac violentus, ad urbem *Hoaigan* in Oceanum irrumpat. latitudo IV. ſtadia modo ſuperat, longitudo 800. millia paſſuum. Aqua tota limo oblita lutei coloris eſt, quam nec poſt M annos limpidam fieri *S*inæ tradunt: hinc apud illos ortum proverbium de re difficili, & quæ prorſus fieri nequit: *Quando Croceus clareſcet*. fluminis aquam navigantes claram faciunt, iniecto alumine, quo infecta

fecta limum ad fundum vaſis præcipitat: Vaſis pars quarta limo adeo tenui conſtat, ut tactum omnem effugiat. Reliqua flumina ſunt *Ta*, qui ad *Quangcheum* mare ſubit. *Singan*, qui ex Kiango fluit, & in ſhe delabitur. hic mare ſubit ad *Xaching*. *Honi*, qui una cum Croceo in Eoum mare devolvitur. *Kiuto*, qui in Sericum ſinum influit: aliaque innumera.

Montes in toto Sinarum Imperio plurimi, ac magni,& quà hominum induſtria, quà terræ bonitate fere omnes exculti, ſuperbiſſimis item delubris,ac ſupulchris adornati, qua in re ſuperſtitioſiſſimi *Sinæ* ſunt.in aſperioribus inculta gens inhabitat Sinis regibus minimè cognita, nedum ſubiecta. Celebriores montes ſunt in Septentrionibus *Ticaxeu Tki*, in quo Imperatoris Iavi mater vixiſſe perhibetur. *Gangnien* ultra nubes altiſſimus aſſurgit,medico fonte, & cœnobio nobilis: Fanum *Xayanga* regina conſtituit, cum fonte abluta,ſanitatem recuperaſſet. *Golung* ingens eſt, longoque tractu in Occaſum porrigitur in Xenſienſi provincia. *Vanhu* ad urbem *Fuencheu* altiſſimus:nomen habet à X.millibus hominum,quę, cum repente ingens illuvies orta eſſet, illius ſubiiſſe verticem, aquarumque evaſiſſe periculum feruntur. *Limon* ad urbem *Linchang*, ubi fons cryſtallo ſimilis, profundus non amplius cubitis IV, miræ tamen naturæ:aqua in ſuperficie frigidiſſima,in fundo adeo calida ut ibi pedem diu ſuſtinere non poſſis. *Loyo*,in cuius vertice Leonis ſtatua ex cuius ore perpetuus fons effluit. *Tai* ad urbem *Taigan* cuius altitudo XL ſtadiorum Sinæ faciunt,ſolemque videri aſſerunt ad primos Galli cantus.

In Meridionalibus *Feu* mons eſt omnium altiſſimus,in quo ſolú homines aliquot ſervatos eſ-

ſe

ſe tempore Sinici diluvii authores tradunt. *Vhoang*, de quo hæc fabula: fructus in eo ſunt, quibus veſci ad ſatietatem licet, ſecum verò auferre vetitum; id qui tentarint, nunquam ex illo labyrintho reperire viam: fortaſſe hic Lotophagorum regio? *Han* frigidus mons, etſi in Torrida Zona poſitus ſit *Taiping*; in quo Caverna pulcherrima *Tungai* appellata quadrata eſt, cuius ſingula latera tria ſtadia complent, mediam rivulus argentea veluti vitta interſecat. *Fungy* ad urbem *Chao* in provincia Iunnanenſi, ubi collis ex congeſta terra viſitur, in eo ſepulta 200. hominum millia Regis *Nanchào*, quæ in pugna cum Sinis habita, duce Tangſievyvo, occiſa ſunt.

Quoad ſoli qualitatem attinet, adeò fęcunda extrema illa Aſiæ regio, ut non Ciliciæ, minorique Aſiæ cedat. frumentum gignit, & Orizam, ex qua, ut plurimum gens panem conficit, milium item, ac cætera legumina omnis generis. arbores habet omnes, præter amygdalas, & oleas, ſed horum loco, alias, quibus non caremus: hinc magnus fructuum, ac pomorum proventus. olera quamplurima, quorum mirus apud Sinas delectus, cũ enim metemphſycoſin ſequantur, multi à carnibus abſtinent, herbiſque frequentius veſcuntur. Paſcua pinguiſſima, quibus omnia animalia educant, Vaccas, Oves, Capras, Anſeres, Anates, Gallinas, aliaque huius generis. Suibus tamen maxime abundat, qui tanto ſtudio à gente nutriuntur, ut nihil ſuprà pinguiſſimi ſunt, optimique ſaporis. atque his plurimum indulgent, inque delitiis habent. Oloſerici tanta copia, ut plus ex hac parte terrarum, quam toto Orbe proveniat. Bombyces bis quotannis educant. illorum autem culturam annos ante Chriſtum 1800. apud *Sinas* extitiſſe gentium annales referunt. hinc mira apud Sinas

ſericarum veſtium cultura, ac textus, in quibus maximè excellũt. Goſſipii uſum accepit ab exteris ante annos D. at tanta nunc ibi copia, ut toti Aſię Goſſypinas veſtes ſuppeditare poſſit.

Piſcium item ingens copia, non ſolum è mari, ſed è fluminibus, quos glacie ad menſem uſque recentes ſervant, atque ad regiam uſque Pachini deferunt: imo educãt, ac cicures reddunt, non ſecus ac reliqua animalia: hinc videre eſt innumeras naviculas piſcibus plenas per fluvios ferri. inter *Hainan* inſulam, & Cantonem uniones oſtreæ ferunt: quos item ex piſcibus gens educit. Fluviorum ſumma commoditas; his enim præter commercia, ſegetes etiam toto anno nutriuntur. eſt autem in derivandis rivis, lacubuſque effodiendis, præcipuè ad orizam irrigandam, gens *Sinarum* ingenioſiſſima. quin vix eſt urbs, ad quam per aquam via non pateat, natura, aut arte deductis fluviorum alveis. hinc nonnulli curribus velificari tradiderunt, propter frequentiſſimas naves, quæ ultro, citroque navigant, ordine tam mirabili, ut vix unquam mutuò procedentes incurſent.

Fodinis metallorum adeò abundat, ut innumeræ penè cenſeri poſſint. verum ne Aurum, & Argentum eruatur lege cautum eſt, quia ſcilicet noxiis exhalationibus interirent homines, quorũ vita pluris auro, argentoque habenda eſt. maximum ſanè continentiæ documentum, quo Europæorum avaritia meritò damnari poſſit, qui ut aurum, ex America, atque Africa effodiant, pluris non hæc tãtum metalla, ſed pecudes habẽt, quàm homines, quos viliſſima veluti mancipia ad aurifodinas rapiunt, enecantq; verum quod tot mortalium interitu ſtetit aurum, ſi requiras, nullibi invenies. Cæterum *Sinę* è ripis fluviorum aurum, argentumque educunt, quorum tanta copia, ut

S mer-

merces,non mercium pretium cenſenda.illis autem non in monetam percuſſis, ſed fuſorio vaſe fuſis, refuſiſque,ne locus ſit fraudi, utuntur. ex ære tamen monetam conficiunt ad minuta rerum pretia explenda. Fert item tellus magnam copiam argenti vivi,æris,ſtamni,cupri,minii,cinnabaris, lapidis lazuli,vitrioli.

Cœlum ubique ſalubre, atque amœnum, quoniam verò latè à Septentrionibus ad Auſtrum tellus patet,hinc varium; ſiquidem ad Meridiem calidum,ac ſiccum, in Borealibus verò ad urbem Pachinum, quæ fere in noſtro parallelo eſt,paulo frigidius,præcipuè montanis in locis.

Sinæ ſagaces ſunt, ſubdoli, & ad ſubitos caſus acutiſſimi,atque inpavidi:at imbelles, ac timidi: quare merito Ariſtoteles: Europæi fortitudine Sinis præſtamus, Sinæ nobis ingenii acumine. hinc nihil mirum ſi apud illos antiquiſſimæ artes ſint, atque excellentiſſimæ. artifices induſtrii, mirumque in modum ſerica conficiunt, veſtes acu pictas,vaſcula porcellana,arculas nobiliſſimo glutine,auroque illitas.lignum Ebenum,Ebur,corallium,ſuccinum,aurum,marmor,iaſpides ingenioſiſſime in varias effigies elaborant. Picturam tantum non bene callent;neque enim artem miſcendorum colorum, umbrandique norunt. at Architectura inſignes, ædificia, turres, aliaque huius generis mirifice extruunt: domus humiles glutine tamen mirè illitæ, ac nitidæ:urbes in toto Imperio ſimillimæ. Scientiarum tamen varietate, cultuque nobis multo inferiores. Aſtronomiam,Moralem Philoſophiam, Medicinam exercent,in hac ſi praxim ſpectes,nobis præſtant.arteriæque pulſu ſcientiſſimi Corpore agiles,*ſpiritu* erecti, mente prompti. Militiam per gradus profitentur, nec niſi certis experimentis ad ordines admit-

admittuntur. Tormentorum bellicorum, piriique pulveris uſus, apud ipſos vetuſtiſſimus, ut etiam magneticæ acus uſus. quamvis parum gentibus navigatio vigeat: naves tamen egregie, ac ſumptuoſe ædificant.

Religio triplici ſecta diſtinguitur, qui doctiores Philoſophiam profitentur, quam ipſi ſectam *Lukiào* vocant. huius profeſſores nihil antiquitus habuere, quam morales virtutes, iuſtum, ac abſolutum Reipublicæ regimen. Secunda eſt Idololatria, quæ paulo poſt Chriſtum natum gentem infecit. Mentempſychoſin admittit, idola colit hæc plebis religio, à Sacerdotibus, ac Bonzis, qui in Cœnobiis vivũt ſuperſtitioſiſſime excolitur. Tertia omnium turpiſſima Epicurea, quæ voluptates ſectatur, Deum, atque animæ immortalitatem negat.

Imperium monarchicum. primi magiſtratus *Colàos* appellant: regi aſſident, totumque imperium adminiſtrant. Sequuntur *Mandarini* præfecti nimirum provinciarum: qui ſummo imperio præſunt, alioſque minores ſub ſe habent. illud tamen ſumme commendabile apud Sinas; quod nulli, ad magiſtratus, imo ad belli munera admittantur niſi docti, ac ſapientes; quare nulla nobilitas Sinis, niſi quæ ex ſapientia, doctrinaque provenit, quæ vera nobilitas eſt, & propria laus, nam ut optime Ulyſſes apud Ovidium:

Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi,
Vix ea noſtra puto.

arma nulli gerunt præter milites, quos viliſſimos habent: belliquе artem indignam homine, atque indecoram putant. hi verò, ut & tota Sinarum gens imbellis, nec cum noſtris, imo nec cum Scythis, ſub quorũ dominatu eſt, comparãda. Connubia noſtris differunt; nam viri dotem dant fœ-

minis emptionis titulo; & munera item parentibus. plures item uxores habere nulli vetitum. Urbanitatis officia prolixa, & ad faſtidium uſque: quare in ſalutationibus perofficioſi, in conviviis aſſidui, erga hoſpites quoſcumque humaniſſimi.

Supereſt ut de Muro dicamus: hic extructus eſt anno ante Chriſtum 200. à Xio Imperatore. hic ex regulo Imperator factus, Tartaros eiecit toto Imperio: utq. illorum incurſiones in poſterum vitaret, opus aggreſſus admirabile, Murum nimirum, qui à Sinu Eoi maris in Provincia *Leotung*, uſque ad montes, qui juxta *Khin* urbem (ſunt Damaſiorum partes) excurrit longitudine mil. 1200. illum autem quinquennio abſolutum, infinita propemodum operarum multitudine allaborante, annales referunt. manetque ad hæc tempora ſine labe, ac noxa, qui quamvis altiſſimus, ac ſolidus eſſet, Scythas tamen diſtinere non valuit, quin iterum in Imperium irrumperent. uſque adeo verum eſt, præſentiſſimo militum animo, manuque fortiſſima muniri urbes, ac regna, non muris.

CAPUT XIII.

De Corea Peninſula, inſuliſque circa Sinas.

AD Orientem Sinarum *Corèa* iacet, ingens peninſula, quam perperam aliqui inſulam eſſe tradiderunt. ex ultimo Scythiæ continenti in Eoum, ſive Sericum Oceanum porrigitur, habet ab Occidente Sinas, à quibus *Yalo* fluvio diſcluditur, ad Orientem verò Iaponia eſt, ex qua ad nos nomen emanavit: nam Sinæ peninſulam *Chaoſien* appellant. tota in octo provincias dividitur, quæque earum in medio eſt *Kinki* vocitatur: in hac

hac urbs nobiliſſima regum ſedes eſt *Pinjang*. Cæterum tellus fœcunda, ac populorum refertiſſima. triticum gignit, & Oryzam. hæc autem, ut in Iaponia duplex eſt, nam una in aquis ſeritur, ac creſcit, altera in campis ſiccis, uti triticum ſolet, hæc propria huius regni, & Iaponiæ, & reliqua præſtantior eſt. Legumina item fert, & fructus noſtrates, præſertim pyra exquiſiti ſaporis. Papyri, ut & Iapones, varia genera conficit, optimoſque ex luporum pilis penicillos, quibus ad ſcribendum utuntur ipſi, & *Sinæ*. Sandaracha, ſive Gummi *Cie* dictum optimum provenit, quo, ut Iapones ſolent, omnis generis ſupellectilem, plurimaque utenſilia illiniunt. Montes auro, argentoque gravidi, mare unionibus. Montes in ea altiſſimi *Peyo*, *Vatu*, *Xincao*, & *Hoang*: Fluvius *Ly*, qui regiam alluit.

Gens Idololatra, & *Sinis* ſimilis lingua, tum moribus, ac reipublicæ forma, ut & illi animarum tranſmigrationem tenent. præcipuum Idolum. *Fè* vocant. Philoſophiæ operam navant. vita functos nonniſi poſt tertium annum humi condunt. interea pulchre adornatis, inſtructiſque Sarcophagis domi tenent, illiſque honorem ob gratitudinis memoriam præſtant. quod & *Sinæ* item faciunt. Mulieres non tam ſcrupuloſi domi continent ut Sinæ, apud quas ob id male audiunt. Imo nuptiarum ratione ab illis prorſus differunt: nam quiſque quam vult eligit uxorem, nulla habita parentum ratione. contra Sinæ, parentes in ſuis filiis matrimonia ſtabiliunt. huius autem rationem reddunt; quia nimirum adeo modeſtas eſſe virgines oportere, ut ſi rogentur nubere ne velint, reſpondere debeant nolle. verum etſi exteriorem hanc modeſtiam ament Sinæ, ſunt tamen in omnem libidinem proni, ac liberi, modo clam ſiat.

Coreani reges Sinico Imperatori tributa pendere ſolitavere, inque illius clientela eſſe. nonnumquam bello ab Iaponibus petiti, interdum à Tartaris,à quibus quoniam capillos radere Tartarico more iuſſi, defecerunt.

Inſulæ præcipuæ circa Sinas ſunt ad Meridiem *Hainan*,quæ altiſſimis montibus, annoſiſque ſylvis aſpera. dicta *Haivan*, quaſi ad Auſtrum maris. Littora Sinæ tenent: in mediterraneis, ac montanis gens ſui iuris. urbs princeps *Kiunchèu*. tellus omnium ferax. naſcitur Aquila lignum, & Ebenum,item Roſa,Nuces maiores Indicæ,cuius fructus laca dicitur, qui ob ingentem magnitudinem, non in ramis metu ne rumpantur, ſed in truncis adnaſcitur. Cortex adeo durus ut ſecuri ſcindendus,intus innumeræ domunculæ,ſeu folliculi, in quibus eſt pulpa flavi coloris, quæ nucem veluti caſtaneam ambit: illa ut matura ſuaviſſima;hæc igne toſtas caſtaneas refert. Mare Balenis, quas ut in Baltico incolæ capiunt, & unionibus abundat.

Circa litora Cantonenſis provinciæ innumeræ parvæ inſulæ: nobilior Macaum. hic Luſitani commercia cum Sinis primum habuere: mox ſenſim domus ædificarunt, hinc arcem, tandem urbem ſitu adeò munitam, ut inexpugnabilis ſit: Emporium toto Oriente nobiliſſimum, in quod Iapones,Sinæ,Indi, atque Europæi confluunt: facta etiam Epiſcopatu,& academia nobilis.

Ad meridiem Fochienſis provinciæ eſt,magna inſula Sinis dicta *Talieukieu*,Luſitanis *Liquèo*, Hiſpanis *Formoſa*:gens Sinicæ originis, & Sinis olim paruit: mox ſui juris,urbs præcipua *Taiuan* in exigua inſula non longe à continente maioris inſulæ urbs muro, & arce munita,ac dicta nova Zelanda. in Inſula Luſitani binas arces extruxerunt,

diu-

diùque tenuerunt: tandem ab Hollandis pulſi. Hos verò anno 1661. Coxina Pirata eiecit, inſulaq; potitus. Viri proceri, fęminę ſtatura parvæ, & inſita quadam verecundia viros fugiunt. Solum fœcundum, ſed non cultum, auro dives, ut & Hainanæ. ſed gens illud negligit. Vaccæ plurimæ, & caro fertur ſuaviſſima.

CAPUT XIV.

De Iaponicis Inſulis.

AD Orientem Solem inter Merid. 170, & 187. inter Parallelum verò 30, & 40. Sitæ ſunt Iaponicæ Inſulæ, nobis detectæ anno 1542. à Ludovico Soſa Luſitanicæ claſſis duce. plures ſunt numero, quarum maxima nonnulli cenſent eſſe inſulam Iabadii dictam à Ptolemæo, minores verò Satyrorum inſulas: quę quidem Argenteæ etiam appellatæ ob argenti copiam: inque Iabadii inſula ponitur à Ptolemæo Argentea metropolis. Mela *Chyſem* vocat, quo nos nomine etiam appellavimus adito cognomine, vltima. ita Naut. VIII.

Oceano lita cæruleo iacet ultima Chryſe,
Inſula dives opum, & tot regibus inclyta, & armis.

Illarum præcipuæ ſunt tres Niphon, quæ Zipangri à Marco Paulo Veneto vocitata; nobis Europæis Iapon dicta, magnitudine Italiæ par. olim in quinquaginta quatuor regna diviſa: nunc in quinque magnas provincias dividitur: ſunt hæ *Ochio, Quanto, Ietsèngen, Ietsèn Iamaysèt.* Ochionæ provinciæ caput Yendum *Yendo.* urbs eſt ampliſſima, & Imperatoris ſedes, ſita ad litus iuxta amnem Tuchonum *Tukon:* in duas partes dividitur Orientalem, & Meridionalem, domus ex latere, ſed ligno intectæ, miroque artificio extructæ. no-

bilium ædes magnifico ſumptu, ac opere viſuntur:ſuntque propemodum innumeræ:viæ latæ,ac longiſſimæ,quarum præcipua quatuor fermeleucas extenditur.

Quantanæ provinciæ caput *Micava*. Ietſengenſis *Finda* ; Iamayſetenſis *Nangatum* ad mare occidentale ſitum. Ietſenſis *Meacum*,urbs olim Imperii caput,cum penes Dairum regia poteſtas, ſitu amęna,amplitudine maxima, inque duas partes, rivo interfluente, ſecatur. ædes ex ligno,& fere unius contignationis,ob continuos terræmotus, quibus nō hæc tantū pars,ſed tota Iaponia concutitur.ad Occidentem mons ſurgit barbaris *Dubajamma* appellatus:ædes in urbe pluſquam centum mille. inter quas Dairi, ſive regia,ſuperbiſſima: & Fanum item *Daybut*,quod magnitudine,& ſtructura cætera ædificia longe ſuperat. in aditu templi bini Leones, & geminæ ſtatuæ monſtroſo, at terribili viſu,quæque ſe iaculis impeti videntur,excubant: in ara idolum, genibus decuſſatis ſedens,muliebri ore,radiis redimitum, membris non æquis, manus enim, etſi hominis molem æquent,corpori tamen impares: genua nimis vaſta.circa innumera idola ſtantia, radiiſque nitentia, lampadeſque perpetuò ardentes.

Altera inſula eſt *Xicoco*, quæ & Tonſa appellatur, tribus olim regnis à tribus urbibus denominata *Ava*,ſcilicet, *Xicoco*.& *Tonſa*. Tertia inſula eſt *Ximo*, quæ & *Bungum* urbes præcipuæ *Fingen*, *Bungo*, *Oſumi*, Nangaſachum, totidem olim regnorum metropoles. ultima ſita ad mare portu commoda, ſituque amœna campis uber, populis inter cæteras frequens. Circa tres haſce maiores inſulas plurimæ alię viſuntur, quarum inſigniores,ad Septentrionem,*Tondoxima*, *Sando*, & *Oqui*: ad Orientem *Maicuxima*, *Toy*, *Tynoxima*: ad Occiden-

dentem *Gotò* ad Meridiem *Tanegaxima*.

Iapones à ſe ortos Sinæ jactitant, quodam Architalaſſo duce, qui cum paucis in inſulam venit, gentem rudem excoluit, ſeque regem dixit. ipſis autem Sinis tellus *Gepuen* dicitur, nimirum Solis origo, cum ad ultimum Orientem ſita ſit, quare & Chryſe, quaſi aurea vocitata. ego ut in Iaponiam Sinas transmigraſſe non negaverim, ita in eandem Scythas transfretaſſe crediderim, cum Scythicis moribus fuerint imbuti. capillitium ut Scythæ tondent, paucoſque crines relinquunt, reliquo capite raſo ad glabritiem, mentoque volſella depilato, quod numquam in uſu apud Sinas. Lingua Iaponica Sinicæ diſſimilis: literaſque D, & R adhibent: quas nullo modo pronunciare poſſunt Sinæ. gens ſtatura procera, ferox, ac bellicoſa, Sinę timidi, ac imbelles: veſtibus ſimiles, niſi quod Iapones ſumptuoſiores. bino acinace armātur, ſclopo item, & pharetra: Mulieres mundo ornatiſſimo, ac ditiſſimo adornantur: pulchræ viſu, quæque nigros dentes habent, venuſtiores habentur. cum ſeſe invicem ſalutant non caput, ſed pedes detegunt, veſte talari elevata: Oriza ut plurimum gens victitat: panem conficiunt noſtro ſimilē, quem nonniſi iure madidum comedunt. calidam bibunt, ut & Sinæ. Sunt præterea dexteri, atque ingenioſi, acceptamque religionem, & literas à Sinis DC. circiter poſt Chriſtum natum annos, mirifice excoluere. Idola ſumma ſuperſtitione colunt: præſertim Amidam, cuius ſuperbiſſimum Fanum extructum in urbe Iendo. Argentea in ara Idolum humano corpore, ſed canino capite, equo aureo ſeptem captibus armato inſidet: equi ephippia unionibus, & gemmis intexta. circa mille idola ſunt terribilia viſu. Bonzi altaris miniſtri, qui apud gentem religioſi habentur:

 rem,

remque divinam ipſi ſoli tractant, atque interpretrantur.

Cæterum genus hominum ad omne vitium pronum, inque omne flagitium ſimulatæ pietatis prætextu prolabitur. hi in tres ſectas diviſi: quidam Amidam, alii *Xacam* idolum alterum colunt Foquenſes dicti. alii *Xenxus* vocitati nullum Deũ colunt, mortaleſque animas putant. Tellus montana auro, argento, cæteriſque metallis ditiſſima: ſolum fertile, & rivis irriguum, orizam, triticum, ac poma gignit. feras ſilvæ, & ſimilia ferunt.

Olim in plures dominatus gens diviſa: mox totius ferme imperii poteſtas penes Dairum venit, penes quem etiam Pontificia maieſtas, & ſacrorum fuit. at anno 1550. maior natu filius in patrem arma movit: captuſque interemptus. at militiæ dux ab rege deficiens ſe Imperatorem dixit. minor natu filius exercitu comparato illique Duce *Cubo* præfecto, deſertorem ſuperavit. Cubus militum gratiam nactus, & Victoriæ famam, regni hæredem interficit, regnumque invadit; ducibus ſuis exemplum deſciſcendi præbens: quare ab uno ducum occiſſo, anno 1564. & mox Nambunanga fratre anno 1573. Taicoſama rerum potitus, qui anno 1598. obiit, filiumque reliquit *Fideriſamma* dictum ſub tutela *Daifuſama*. hic pupillo ſublato regnum invaſit. uterque Chriſtianam fidem, quam Apoſtolus Indiarum D. Frãciſcus Xaverius, & PP. Societatis Jeſu latè per Iaponiam ſparſerant, crudeliſſimè afflixerunt. anno 1616. patri ſucceſſit *Camboſama*, qui Chiſtianos toto regno perſecutus. tandem fato conceſſit anno 1631. cuius filius *Toſogunſiama* ſuffectus barbarus Chriſtianorum perſecutor. deceſſit ſine liberis. relicto conſanguineo ſuo *Quanèo* regni herede, anno 1650.

LIBER VII.

CAPVT I.

De Africa Nomine, ſitu, magnitudine, & veteri diviſione.

AFrica tertia orbis pars ab Afro, Libys Herculis filio dicta à nonnullis creditur, aliis ab Arabo nomine Faracha, quod diviſum ſonat. Græcis *Libya* appellata, à Libya Epaphi filii Iovis filia, ab indigenis *Iſriquia* dicitur. In peninſulæ formã facta, quæ Arabico Iſthmo lato mill: CX Aſiæ adnectitur. Illius forma triquetra eſt, & mitrę Venetorum ducis perſimilis. Quod ad Cœli ſitum ſpectat, poſita eſt inter Meridianum 5. & 86. primus per Arſinarium promontorium *Capo Verde*, & ſecundus per Aromatam *Guardafuy*. inter parallelum verò Borealem 36, & Auſtralem 35. quare poſitu ſuo totam occupat Zonam torridam, & partem Borealis, & Auſtralis temperatæ. Longitudo maxima ab Herculis freto, ſive Abila monte ad promontorium Bonæ ſpei (nobis eſt Actonotus) eſt mill: MMMMD. latitudo ab Arſinario ad Aromatam mill: ferme totidem. Fines eius ſunt ab Oriente Iſthmus, ſinus Arabicus, ſive

Erithræum, & Indicus Oceanus: à Meridie Æthiopicus, ab Occaſu Atlanticus: à Septentrionibus Mediterranum mare. Tellus vaſta magis, quam frequens: cuius pleraque aut inculta, aut arenis ſterilibus obducta, aut ob cęli, terræque ſiccitatem deſerta, aut venenato animalium genere, eoque plurimo infeſta. hinc Honterus.

Africa nunc ſequitur fervore notabilis ipſo,
Vaſta, minuſque frequens, tantum fœcunda ferarū:
Interius, quà Sol medius nullas iacit umbras,
Vruntur flammis, ſiccisque teguntur arenis
Deſerti tetro ſerpentum afflamine campi.

Sunt tamen quædam regiones eximiæ cultæ, ac fertiles, de quibus infra ſermo erit. Africa antiquis, præter ſeptentrionalia, obſcurè nota: nunc Europæorum navigationibus tota perluſtrata, etſi in mediterraneis adhuc latitent multa ob Cœli intemperiem, & Barbararum gentium mores inacceſſa. Nonnulli veterum Africam ab Aſia non Iſthmo, ſed Nilo fluvio diſiungebāt, ut quicquid terrarum inter Nilum, & Arabicum ſinum eſſet, ad Aſiam pertineret. non ita tamen Ptolemæus fecit Africanus ipſe, & Geographorum facile princeps: terminum enim iſthmum locavit: quod & Strabo, aliique inſigniores fecerunt.

Africam olim in has partes ſecuere: nimirum Ægyptum, Cirenaicam, Africam minorem, ſeu proprie dictam, Troglodytas, Garamantes, Numidiam, Mauritaniam, Gætuliam, Libyam exteriorem, & interiorem, Arabiam Troglodyticam, & Æthiopiam.

CAPUT II.

De Ægypto, atque illius veteri, & nova diviſione.

Celeberrima non Africæ modo, ſed totius Orbis regio Ægyptus fuit: nulli enim vel ſoli ubertate, vel hominum ingeniis, vel urbium ſplēdore ceſſit. uno Nilo adeo beata tellus, ut bis quotannis fruges tulerit, atque ob id Univerſi horreū appellata. artes primum in Ægypto inventæ, aut excultæ, longo poſt tempore in Græciam primùm, mox illinc ad nos navigarunt, Urbes, Amaſe regnante, viginti millia fuere, eæque ſplendidiſſimæ. Sub Romanis etſi minores, non tamen paucæ, atque ignobiles. Dictam ab Ægypto Danai fratre Geographi volunt: cum antea Aeria diceretur: nunc ab Indigenis, quos Coptos appellant, *Maſſir* vocatur: ab Hebræis *Miſtraim*. Eius termini ſunt à Septētrione Internū mare, ab Oriente Iſthmus, ſinus Arabicus, *Golfo della Mecca*, à Meridie ad Nili Cataractas Æthiopia, quæ ſub Ægypto dicitur, ab Occidente Libyci mōtes, quibus ab exteriore Libya, & Marmarica, ſeu Cirenaica diſiūgitur. Longit: ab oſtio Peluſiaco ad Nili cataractas eſt mill. DL. latitudo ab Erithræi litore ad Libycos montes CCXL. & à parallelo 32. ultra Tropicum Capricorni excurrit.

Diviſa olim Ægyptus in Deltam, Heptanomos, & Thebaidem. Delta, quæ Interamnia, inter Nili oſtia claudebatur, ſic dicta quod deltæ figuram exprimebat. Nilus enim non longe à Memphi in ſeptem alveos ſenſim dividitur, qui totidem oſtiis in mare irrumpunt; hinc poëta:

Euphratem ſupra, & ſeptemplicis oſtia Nili.

extremi verò alvei Deltam Græcorum faciunt.

huius

huius urbes præcipuæ Alexandria ab Alexandro condita, cum ab Ammonis templo reverteretur, anno ante Chriſtum 331. Turcis appellatur *Scanderia*, ſita ad Occidentalius ex Nili oſtiis, portu, Mercatu,& ſuperbo murorum ambitu, vel nunc inſignis, ob acris tamen vitium infrequens. Canopus, ſive Canopolis, *Roſcit* ad oſtium Canopicum: Bolbitine, ad Bolbiticũ, Taniatis ad Taniaticum, Peluſium, *Damiata* ad Peluſiacum Orientalius. Heliopolis, Nitriæ, Buſyris, Letus, Adropolis Pherbæſis, aliæque. Heptanomi, Ægyptus media. Sic dicta quaſi ſeptem præfecturæ, quæ Nomi Græcis dictæ. in his olim Memphis ad Occidentalem Nili ripam ſita, in qua præter alia Pyramides celebrantur, hinc Martialis:

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis.

ex huius ruinis orta Babylon Ægypti, quæ Alcairum appellatur, *Cairo*, Turcis *Miſſir*, Arabibus *Ilkaher* ad Orientalem ripam poſita, tantę magnitudinis, ut cognomento maxima nuncupetur. in quatuor partes dividitur *Vecchio*, & *nuovo Cairo Bulac*, & *Charaffat*. totius urbis circuitum mill: ſupra quadraginta ferunt: hominum verò Milliones ſeptem in ea reperiri: novum Alcairum muris cingitur, præter eam partem, qua veteri, & caſtro coniungitur, quod in clivo poſitum eſt. præcipuum Mahumetanorum fanum eſt immẽſæ pene magnitudinis, reſiduntque in eo quatuor *Mufti*, qui ſacris pręſunt. Vetus Babylonia à Cambyſe ædificata ad Meridiem ſita fuit, cuius ruinæ, & ingentes pyramides viſuntur.

Reliquę urbes Cynopolis, Nilopolis, Heracleopolis, Arſinoe, quam putant *Sues*, portum ad intimum receſſum Arabici ſinus, ubi olim Salomonis claſſes, nunc Turcicæ ſtationem habent. Thebais, ſuperior Ægyptus, quæ ad Nili uſque Cata-

ractas,

ractas, & Æthiopicos montes extenditur,urbes in ea olim celebres Thebe dicta Hecatompylis ob centum portas, Lycopolis,Hipſile, Dioſpolis, Berenice,Coptos,Ombi, & in confiniis iuxta Tropicum Syene *Aſua*. Romani Imperii terminus. Nũc celebres ſunt *Said,Coſsir,Suguam,* & *Ichima*. Cæterum Delta nunc Barbaris *Bahri*, ſive inferior Ægyptus; *Voſtani*,Media,& *Said* ſuperior Ægyptus.

Ægyptii ſe vetuſtiſſimos prædicant, cumque Scythis de gentis vetuſtate contenderunt. Antiquiſſimos eſſe poſt Syros vel Sacra Scriptura teſtatur. Diſciplinarum,& artium complurium, ut dicebam,inventores, ac rerum divinarum, & ſyderum peritiſſimi fuere. ad illos eruditionis gratia profecti Dædalus, Melampus, Pithagoras, Homerus,& Thales Mileſius, qui primus diſciplinas in Græciam invexit. Regibus ſuis initio paruere, qui Pharaones dicti, mox Æthiopibus, & iterum ſuis. Deinde Perſis,& Macedonibus,& rurſus ſuis, tandem, Auguſto debellante, in provinciæ formam redacti, victa Cleopatra cum Marco Antonio Actiaca pugna. Inclinante Romano Imperio Saraceni eam occuparunt: qui Circaſſis ſervis arma,& militares præfecturas tradidere: hi non longe poſtea deſcivere; & regem ex ſuis crearunt, & quoniam antea Mamaluchi, hoc eſt ſervi, dicebantur, Mamaluchorum imperium vocatum eſt. His anno 1518. à Selimo I. Othomannorum Imperatore triplici prælio victis, Turcis Ægyptus ceſſit; quam ad hæc tempora tenent. Qui nunc Ægyptum habitant ſunt Copti antiquorum Ægyptiorum reliquiæ, ſic dicti à Copto Miſtraim regis filio,Græci,& utrique Chriſtiani Schiſmatici; Arabes,Turcæ,& Iudæi,qui mercaturam exercent. Cœli conſtitutio minime ſana ob ſtagnantes Nili paludes, & ſummum Solis ardorem. Præcipuè

mon-

montes ſunt Climax, Alabaſtrinus, Niger, & Libyci: Paludes Sitbonis Moeris, & Mareotis. fluvius unicus Nilus.

CAPUT III.

De Nilo amne.

Nilus quotquot in Orbe Fluviorum celeberrimus, originem ſuam tot ante ſecula occuluit, ut illum è Cœlo oriri poëtæ crediderint; & an ibi gentes eſſent meritò ambigerent; hinc Luc:

Et gens ſi qua iacet naſcenti conſcia Nilo.

Quamvis Seſoſtris, & Philadelphus Ægypti reges, primum Cambyſes, & Alexander Magnus, mox Iulius Cæſar, & Nero ſummos conatus adhibuerint, & licet ſuperiori ſeculo, quando in Orientem navigari cœptum, inque Æthiopiam iter patuit, multi operam omnem impenderint, veros Nili fontes invenire non potuere. Crediderunt tamen Geographi oriri à Lunæ montibus ſub gradu XII. lat: Auſtralis iuxta quorum placitum ſic VII. Naut. cecinimus.

Nilus, & Ægyptum nigra qui ditat arena,
Vſque cacuminibus Lunæ devexus ab altis.

At præſenti ſeculo detecta tandem vera origo tam obſcuri retrò fontis. accidit id anno 1618. XI. Kal. Maias. cum David Abaſſiæ Imperator, hortante Petro Pays Luſitano è *Soc:* Ieſu, cum toto exercitu ad opus tot ſeculis expetitum, ac fruſtra tentatum movit. In regno igitur *Goiam* dicto ſub latitud: Boreali grad. XII. in Merid: 65. in loco, quem Agovi populi *Tonkoua* indigitant, mons eſt, in cuius vertice planities ampla altis montibus in circi formam præcincta hac in planitie gemini fontes rotundi, quorum diameter quatuor palmo-

morum. aqua eſt pellucida, frigida, & guſtui gratiſſima. ex his in plano nil aquę ſcaturit. ad radices vero montis alter fons eſt, ex quo Nilus profluit. Fontes, qui in vertice ſunt, Nili oculi vocitantur, diſtantque inter ſe iactu lapidis: profundi ſunt. imo putant incolæ totum mõtem cavum eſſe, atque aquis immenſis repletum: idque ex eo deducunt: quia nimirum tota circum terra tremit: ex quo etiam conficiunt, cur aquæ è ſuperioribus fontibus numquam redundent: cum ex inferiori palude ſummo impetu prorumpăt. immo addunt eo anno parum tremuiſſe ob nimiam ſiccitatem, cum præcedentibus tantus fuerit terræ tremor, ut vix ſine periculo adiri mons potuiſſet. Fortaſſe gemini illi fontes erunt Palus Orientalis, & Occidentalis, quarum meminit Ptolemæus.

Non longe à Nili fonte vallis eſt, ex qua alter rivus manat, forſan ex eodem monte, qui in Nilum ſe exonerat. Nilum indigenæ *Abani* vocant, quaſi Aquam parentem. illius curſus ſic procedit. multis aliis auctus torrentibus in Orientem currit ad tria milliaria, ubi alium ab Oriente profluentem accipit. hinc ad Septentrionem reflexus, alios torrentes accipit: peractoque itinere unius diei, in ampliorem amnem *Lama* dictum, occurrit, quo recepto, in Orientem vertitur: mill: ferme centum longe à fonte in ingentem lacum mergitur nomine *Bed*: cuius pars in Goiamæ regno, pars vero in regno Bambeæ eſt. Per lacum tanta velocitate fluit, ut illius aquas à ſtagnatibus diſcernere facile ſit. E lacu egreſſus in Meridiem redit, rigatque Alatæ regionem: ubi in montes incidit, qui primam Nili cataractem faciunt: ex quibus tanto clamore ruit, ut ad X. mill: ſtridor exaudiatur; totque in guttas diſpergitur, ut rorare latè videatur. Mox inter anguſtas duorum montium

tium

bilium ædes magnifico ſumptu, ac opere viſuntur:ſuntque propemodum innumeræ:viæ latæ,ac longiſſimæ,quarum præcipua quatuor ferme leucas extenditur.

Quantanæ provinciæ caput *Micava*. Ietſengenſis *Finda* ; Iamayſetenſis *Nangatum* ad mare occidentale ſitum. Ietſenſis *Meacum*,urbs olim Imperii caput,cum penes Dairum regia poteſtas, ſitu amęna,amplitudine maxima, inque duas partes, rivo interfluente, ſecatur. ædes ex ligno,& fere unius contignationis,ob continuos terræmotus, quibus nō hæc tantū pars,ſed tota Iaponia concutitur.ad Occidentem mons ſurgit barbaris *Dubajamma* appellatus:ædes in urbe pluſquam centum mille. inter quas Dairi, ſive regia,ſuperbiſſima: & Fanum item *Daybut*,quod magnitudine,& ſtructura cætera ædificia longe ſuperat. in aditu templi bini Leones, & geminæ ſtatuæ monſtroſo, at terribili viſu,quæque ſe iaculis impeti videntur,excubant: in ara idolum, genibus decuſſatis ſedens,muliebri ore,radiis redimitum, membris non æquis, manus enim, etſi hominis molem æquent,corpori tamen impares: genua nimis vaſta.circa innumera idola ſtantia, radiiſque nitentia, lampadeſque perpetuò ardentes.

Altera inſula eſt *Xicoco*, quæ & Tonſa appellatur, tribus olim regnis à tribus urbibus denominata *Ava*,ſcilicet, *Xicoco*.& *Tonſa*.Tertia inſula eſt *Ximo*, quæ & *Bungum* urbes præcipuæ *Fingen*, *Bungo*, *Oſumi*, Nangaſachum, totidem olim regnorum metropoles. ultima ſita ad mare portu commoda, ſituque amœna campis uber, populis inter cæteras frequens. Circa tres haſce maiores inſulas plurimæ alię viſuntur, quarum inſigniores,ad Septentrionem,*Tondoxima*, *Sando*, & *Oqui*: ad Orientem *Maicuxima*, *Toy*, *Tynoxima*: ad Occiden-

dentem *Gotò* ad Meridiem *Tanegaxima*.

Iapones à ſe ortos Sinæ jactitant, quodam Architalaſſo duce, qui cum paucis in inſulam venit, gentem rudem excoluit, ſeque regem dixit. ipſis autem Sinis tellus *Gepuen* dicitur, nimirum Solis origo, cum ad ultimum Orientem ſita ſit, quare & Chryſe, quaſi aurea vocitata. ego ut in Iaponiam Sinas transmigraſſe non negaverim, ita in eandem Scythas transfretaſſe crediderim, cum Scythicis moribus fuerint imbuti. capillitium ut Scythæ tondent, paucoſque crines relinquunt, reliquo capite raſo ad glabritiem, mentoque volſella depilato, quod numquam in uſu apud Sinas. Lingua Iaponica Sinicæ diſſimilis: literaſque D, & R adhibent: quas nullo modo pronunciare poſſunt Sinæ. gens ſtatura procera, ferox, ac bellicoſa, Sinę timidi, ac imbelles: veſtibus ſimiles, niſi quod Iapones ſumptuoſiores. bino acinace armãtur, ſclopo item, & pharetra: Mulieres mundo ornatiſſimo, ac ditiſſimo adornantur: pulchræ viſu, quæque nigros dentes habent, venuſtiores habentur. cum ſeſe invicem ſalutant non caput, ſed pedes detegunt, veſte talari elevata: Oriza ut plurimum gens victitat: panem conficiunt noſtro ſimilé, quem nonniſi iure madidum comedunt. calidam bibunt, ut & Sinæ. Sunt præterea dexteri, atque ingenioſi, acceptamque religionem, & literas à Sinis DC. circiter poſt Chriſtum natum annos, mirifice excoluere. Idola ſumma ſuperſtitione colunt: præſertim Amidam, cuius ſuperbiſſimum Fanum extructum in urbe Iendo. Argentea in ara Idolum humano corpore, ſed canino capite, equo aureo ſeptem captibus armato inſidet: equi ephippia unionibus, & gemmis intexta. circa mille idola ſunt terribilia viſu. Bonzi altaris miniſtri, qui apud gentem religioſi habentur:

remque divinam ipſi ſoli tractant, atque interpretrantur.

Cæterum genus hominum ad omne vitium pronum, inque omne flagitium ſimulatæ pietatis prætextu prolabitur. hi in tres ſectas diviſi: quidam Amidam, alii *Xacam* idolum alterum colunt Foquenſes dicti. alii *Xenxus* vocitati nullum Deũ colunt, mortaleſque animas putant. Tellus montana auro, argento, cæteriſque metallis ditiſſima: ſolum fertile, & rivis irriguum, orizam, triticum, ac poma gignit. feras ſilvæ, & ſimilia ferunt.

Olim in plures dominatus gens diviſa: mox totius ferme imperii poteſtas penes Dairum venit, penes quem etiam Pontificia maieſtas, & ſacrorum fuit. at anno 1550. maior natu filius in patrem arma movit; captuſque interemptus. at militiæ dux ab rege deficiens ſe Imperatorem dixit. minor natu filius exercitu comparato illique Duce *Cubo* præfecto, deſertorem ſuperavit. Cubus militum gratiam nactus, & Victoriæ famam, regni hæredem interficit, regnumque invadit; ducibus ſuis exemplum deſciſcendi præbens: quare ab uno ducum occiſſo, anno 1564. & mox Nambunanga fratre anno 1573. Taicoſama rerum potitus, qui anno 1598. obiit, filiumque reliquit *Fideriſamma* dictum ſub tutela *Daifuſama*. hic pupillo ſublato regnum invaſit. uterque Chriſtianam fidem, quam Apoſtolus Indiarum D. Frãciſcus Xaverius, & PP. Societatis Jeſu latè per Iaponiam ſparſerant, crudeliſſimè afflixerunt. anno 1616. patri ſucceſſit *Camboſama*, qui Chiſtianos toto regno perſecutus. tandem fato conceſſit anno 1631. cuius filius *Toſogunſiama* ſuffectus barbarus Chriſtianorum perſecutor. deceſſit ſine liberis. relicto conſanguineo ſuo *Quanèo* regni herede, anno 1650.

L l

LIBER VII.

CAPVT I.

De Africæ Nomine, ſitu, magnitudine, & veteri diviſione.

AFrica tertia orbis pars ab Afro, Libys Herculis filio dicta à nonnullis creditur. aliis ab Arabo nomine Faracha, quod diviſum ſonat. Græcis *Libya* appellata, à Libya Epaphi filii Iovis filia, ab indigenis *Iſriquia* dicitur. In peninſulæ formã facta, quæ Arabico Iſthmo lato mill: CX Aſiæ adnectitur. illius forma triquetra eſt, & mitrę Venetorum ducis perſimilis. Quod ad Cœli ſitum ſpectat, poſita eſt inter Meridianum 5. & 86. primus per Arſinarium promontorium *Capo Verde*, & ſecundus per Aromatam *Guardafuy*. inter parallelum verò Borealem 36, & Auſtralem 35. quare poſitu ſuo totam occupat Zonam torridam, & partem Borealis, & Auſtralis temperatæ. Longitudo maxima ab Herculis freto, ſive Abila monte ad promontorium Bonæ ſpei (nobis eſt Acronotus) eſt mill: MMMMD. latitudo ab Arſinario ad Aromatam mill: ferme totidem. Fines eius ſunt ab Oriente Iſthmus, ſinus Arabicus, ſive

Erithræum, & Indicus Oceanus: à Meridie Æthiopicus, ab Occaſu Atlanticus: à Septentrionibus Mediterranum mare. Tellus vaſta magis, quam frequens: cuius pleraque aut inculta, aut arenis ſterilibus obducta, aut ob cęli, terræque ſiccitatem deſerta, aut venenato animalium genere, eoque plurimo infeſta. hinc Honterus.

Africa nunc ſequitur fervore notabilis ipſo,
Vaſta, minuſque frequens, tantum fœcunda ferarũ:
Interius, quà Sol medius nullas iacit umbras,
Vruntur flammis, ſiccisque teguntur arenis
Deſerti tetro ſerpentum afflamine campi.

Sunt tamen quædam regiones eximiæ cultæ, ac fertiles, de quibus infra ſermo erit. Africa antiquis, præter ſeptentrionalia, obſcurè nota: nunc Europæorum navigationibus tota perluſtrata, etſi in mediterraneis adhuc latitent multa ob Cœli intemperiem, & Barbararum gentium mores inacceſſa. Nonnulli veterum Africam ab Aſia non Iſthmo, ſed Nilo fluvio diſiungebãt, ut quicquid terrarum inter Nilum, & Arabicum ſinum eſſet, ad Aſiam pertineret. non ita tamen Ptolemæus fecit Africanus ipſe, & Geographorum facile princeps: terminum enim iſthmum locavit: quod & Strabo, aliique inſigniores fecerunt.

Africam olim in has partes ſecuere: nimirum Ægyptum, Cirenaicam, Africam minorem, ſeu proprie dictam, Troglodytas, Garamantes, Numidiam, Mauritaniam, Gætuliam, Libyam exteriorem, & interiorem, Arabiam Troglodyticam, & Æthiopiam.

* *
*

CAPUT II.

De Ægypto, atque illius veteri, & nova diviſione.

CElebertima non Africæ modo, ſed totius Orbis regio Ægyptus fuit: nulli enim vel ſoli ubertate, vel hominum ingeniis, vel urbium ſplẽdore ceſſit. uno Nilo adeo beata tellus, ut bis quotannis fruges tulerit, atque ob id Univerſi horreũ appellata. artes primum in Ægypto inventæ, aut excultæ, longo poſt tempore in Græciam primùm, mox illinc ad nos navigarunt, Urbes, Amaſe regnante, viginti millia fuere, eæque ſplendidiſſimę. Sub Romanis etſi minores, non tamen paucæ, atque ignobiles. Dictam ab Ægypto Danai fratre Geographi volunt: cum antea Aeria diceretur: nunc ab Indigenis, quos Coptos appellant, *Maſſir* vocatur: ab Hebræis *Miſtraim*. Eius termini ſunt à Septẽtrione Internũ mare, ab Oriente Iſthmus, ſinus Arabicus, *Golfo della Mecca*, à Meridie ad Nili Cataractas Æthiopia, quæ ſub Ægypto dicitur, ab Occidente Libyci mõtes, quibus ab exteriore Libya, & Marmarica, ſeu Cirenaica diſiũgitur. Longit: ab oſtio Peluſiaco ad Nili cataractas eſt mill. DL. latitudo ab Erithræi litore ad Libycos montes CCXL. & à parallelo 32. ultra Tropicum Capricorni excurrit.

Diviſa olim Ægyptus in Deltam, Heptanomos, & Thebaidem. Delta, quæ Interamnia, inter Nili oſtia claudebatur, ſic dicta quod deltæ figuram exprimebat. Nilus enim non longe à Memphi in ſeptem alveos ſenſim dividitur, qui totidem oſtiis in mare irrumpunt: hinc poëta:

Euphratem ſupra, & ſeptemplicis oſtia Nili.

extremi verò alvei Deltam Græcorum faciunt.

huius

huius urbes præcipuæ Alexandria ab Alexandro condita, cum ab Ammonis templo reverteretur, anno ante Chriſtum 331. Turcis appellatur *Scanderia*, ſita ad Occidentalius ex Nili oſtiis, portu, Mercatu, & ſuperbo murorum ambitu, vel nunc inſignis, ob aeris tamen vitium infrequens. Canopus, ſive Canopolis, *Roſcit* ad oſtium Canopicum: Bolbitine, ad Bolbiticũ, Taniatis ad Taniaticum, Peluſium, *Damiata* ad Peluſiacum Orientalius. Heliopolis, Nitriæ, Buſyris, Letus, Adropolis Pherbæſis, aliæque. Heptanomi, Ægyptus media. Sic dicta quaſi ſeptem præfecturæ, quæ Nomi Græcis dictæ. in his olim Memphis ad Occidentalem Nili ripam ſita, in qua præteralia Pyramides celebrantur, hinc Martialis:

Barbara pyramidum ſileat miracula Memphis.

ex huius ruinis orta Babylon Ægypti, quæ Alcairum appellatur, *Cairo*, Turcis *Miſſir*, Arabibus *Ilkaher* ad Orientalem ripam poſita, tantę magnitudinis, ut cognomento maxima nuncupetur. in quatuor partes dividitur *Vecchio*, & *nuovo Cairo Bulac*, & *Charaffàt*. totius urbis circuitum mill: ſupra quadraginta ferunt: hominum verò Milliones ſeptem in ea reperiri: novum Alcairum muris cingitur, præter eam partem, qua veteri, & caſtro coniungitur, quod in clivo poſitum eſt. præcipuum Mahumetanorum fanum eſt immẽſæ pene magnitudinis, reſiduntque in eo quatuor *Mufti*, qui ſacris pręſunt. Vetus Babylonia à Cambyſe ædificata ad Meridiem ſita fuit, cuius ruinæ, & ingentes pyramides viſuntur.

Reliquę urbes Cynopolis, Nilopolis, Heracleopolis, Arſinoe, quam putant *Sues*, portum ad intimum receſſum Arabici ſinus, ubi olim Salomonis claſſes, nunc Turcicæ ſtationem habent. Thebais, ſuperior Ægyptus, quæ ad Nili uſque Cata-

ractas,

ractas, & Æthiopicos montes extenditur,urbes in ea olim celebres Thebe dicta Hecatompylis ob centum portas, Lycopolis,Hipſile, Dioſpolis, Berenice,Coptos,Ombi, & in confiniis iuxta Tropicum Syene *Aſua*. Romani Imperii terminus. Nũc celebres ſunt *Said*,*Coſsir*,*Suguam*, & *Ichima* Cæterum Delta nunc Barbaris *Bahri*, ſive inferior Ægyptus; *Voſtani*,Media,& *Said* ſuperior Ægyptus.

Ægyptii ſe vetuſtiſſimos prædicant, cumque Scythis de gentis vetuſtate contenderunt. Antiquiſſimos eſſe poſt Syros vel Sacra Scriptura teſtatur. Diſciplinarum,& artium complurium, ut dicebam,inventores, ac rerum divinarum, & ſyderum peritiſſimi fuere. ad illos eruditionis gratia profecti Dædalus, Melampus, Pithagoras, Homerus,& Thales Mileſius, qui primus diſciplinas in Græciam invexit. Regibus ſuis initio paruere, qui Pharaones dicti, mox Æthiopibus, & iterum ſuis. Deinde Perſis,& Macedonibus,& rurſus ſuis. tandem, Auguſto debellante, in provinciæ formam redacti, victa Cleopatra cum Marco Antonio Actiaca pugna. Inclinante Romano Imperio Saraceni eam occuparunt: qui Circaſſis ſervis arma,& militares præfecturas tradidere: hi non longe poſtea deſcivere; & regem ex ſuis creatunt, & quoniam antea Mamaluchi, hoc eſt ſervi, dicebantur, Mamaluchorum imperium vocatum eſt. His anno 1518. à Selimo I. Othomannorum Imperatore triplici prælio victis, Turcis Ægyptus ceſſit; quam ad hæc tempora tenent. Qui nunc Ægyptum habitant ſunt Copti antiquorum Ægyptiorum reliquiæ, ſic dicti à Copto Miſtraim regis filio,Græci,& utrique Chriſtiani Schiſmatici; Arabes,Turcæ,& Iudæi,qui mercaturam exercent. Cœli conſtitutio minime ſana ob ſtagnantes Nili paludes, & ſummum Solis ardorem. Præcipui

mon-

monces ſunt Climax, Alabaſtrinus, Niger, & Libyci: Paludes Sirbonis Moeris, & Mareotis. fluvius unicus Nilus.

CAPUT III.

De Nilo amne.

NIlus quotquot in Orbe Fluviorum celeberrimus, originem ſuam tot ante ſecula occuluit, ut illum è Cœlo oriri poëtæ crediderint; & an ibi gentes eſſent meritò ambigerent; hinc Luc:

Et gens ſi qua iacet naſcenti conſcia Nilo.

Quamvis Seſoſtris, & Philadelphus Ægypti reges, primum Cambyſes, & Alexander Magnus, mox Iulius Cæſar, & Nero ſummos conatus adhibuerint, & licet ſuperiori ſeculo, quando in Orientem navigari cęptum, inque Æthiopiam iter patuit, multi operam omnem impenderint, veros Nili fontes invenire non potuere. Crediderunt tamen Geographi oriri à Lunæ montibus ſub gradu XII. lat: Auſtralis iuxta quorum placitum ſic VII. Naut. cecinimus.

Nilus, & Ægyptum nigra qui ditat arena,
Vſque cacuminibus Lunæ devexus ab altis.

At præſenti ſeculo detecta tandem vera origo tam obſcuri retrò fontis. accidit id anno 1618. XI. Kal. Maias. cum David Abaſſiæ Imperator, hortante Petro Pays Luſitano è *Soc:* Jeſu, cum toto exercitu ad opus tot ſeculis expetitum, ac fruſtra tentatum movit. In regno igitur *Goiam* dicto ſub latitud: Boreali grad. XII. in Merid: 65. in loco, quem Agovi populi *Tonkoüa* indigitant, mons eſt, in cuius vertice planities ampla altis montibus in circi formam præcincta. hac in planitie gemini fontes rotundi, quorum diameter quatuor palmo-

morum. aqua eſt pellucida, frigida, & guſtui gratiſſima. ex his in plano nil aquę ſcaturit. ad radices vero montis alter fons eſt, ex quo Nilus profluit. Fontes, qui in vertice ſunt, Nili oculi vocitantur, diſtantque inter ſe iactu lapidis: profundi ſunt. imo putant incolæ totum mõtem cavum eſſe, atque aquis immenſis repletum: idque ex eo deducunt: quia nimirum tota circum terra tremit: ex quo etiam conficiunt, cur aquæ è ſuperioribus fontibus numquam redundent: cum ex inferiori palude ſummo impetu prorumpãt. immo addunt eo anno parum tremuiſſe ob nimiam ſiccitatem, cum præcedentibus tantus fuerit terræ tremor, ut vix ſine periculo adiri mons potuiſſet. Fortaſſe gemini illi fontes erunt Palus Orientalis, & Occidentalis, quarum meminit Ptolemæus.

Non longe à Nili fonte vallis eſt, ex qua alter rivus manat, forſan ex eodem monte, qui in Nilum ſe exonerat. Nilum indigenæ *Abani* vocant, quaſi Aquam parentem. illius curſus ſic procedit. multis aliis auctus torrentibus in Orientem currit ad tria milliaria, ubi alium ab Oriente profluentem accipit. hinc ad Septentrionem reflexus, alios torrentes accipit: peractoque itinere unius diei, in ampliorem amnem *Lama* dictum, occurrit, quo recepto, in Orientem vertitur: mill: ferme centum longe à fonte in ingentem lacum mergitur nomine *Bed*: cuius pars in Goiamæ regno, pars vero in regno Bambeæ eſt. Per lacum tanta velocitate fluit, ut illius aquas à ſtagnatibus diſcernere facile ſit. E lacu egreſſus in Meridiem redit, rigatque Alatæ regionem: ubi in montes incidit, qui primam Nili cataractem faciunt: ex quibus tanto clamore ruit, ut ad X. mill: ſtridor exaudiatur; totque in guttas diſpergitur, ut rotare latè videatur. Mox inter anguſtas duorum mon-

tium

tium fauces ruit, quas ponte impoſito Æthiopiæ Imperator toto exercitu traiecit. his ſuperatis, ad Orientem rigat *Bagamidry* regnum, *Amahara*, *Olaca, Xaoa*, & *Dabot*. Inde flectitur iterum iuxta regnum *Bizamo, & Gumacanca*, proximuſque accedit Regno Goiamæ: nec niſi itinere unius diei ab fonte longius præterfluit. Hinc iter per *Fozolo*, & *Ombaroa* regnum ab Eraz Zelachriſte Imperatoris fratre ſubactum anno 1613, & Ayzolam dictum, quaſi novus orbis, quia nimirum vaſta, & prius ignota regio. His digreſſus ſpatiis, innumeros populos rigat, inque cataractas Ægypti ad Æthiopicos montes venit: ex quibus immenſo ſtridore in Ægyptum cadit: quam cum mediam interſecuit, quinque oſtiis (olim ſeptem) in Mediterraneum irrumpit. ex his navigia patiuntur Canopicum, & Peluſiacum. Ipſe verò navigari per Ægyptum uſque ad Cataractas poteſt. in Æthiopia, ubi minus rapidus etiam navigatur. Nili aquæ dulciores, & ſaluberrimæ præ cæteris ſunt, niſi dum inundat. inundat verò quotannis mēſe Iunio à die 17. uſque ad 24. Septembris. ex incremento de annona judicant ſi enim in inſula quam *Miquias* vocant aqua ad 20. vel 21. cubitos aſcendit. fertilis annus, & uber annona: ſi ad 23, vel 26. ob nimium humorem caritas futura creditur: ſi verò ad 16. tantum, caritas item præ exigua aqua, qua campi ſaturari non poſſunt, futura erit. Nilus multas inſulas facit, quarum præcipua Meroe, circa quam à lævo latere Aſtabores Nilus dicitur: ramus ſcilicet aquæ à tenebris venientis, dextro Aſtuſapes, quod latentis ſignificationem adiicit. Incrementi cauſſæ ſunt pluviæ, quæ illis temporibus, cum hyems Æthiopibus eſt, abundè decidunt. Generat Nilus Cocrodilos: quorum carne Copti maiori ieiunio ve-

veſcuntur. quam noxium animal, & quomodo capiatur diximus Halieut. VII.

CAPUT IV.

De Africæ provinciis Septentrionalibus, cis Atlantem, ſive Barbaria.

Septentrionales Africæ provinciæ terminantur ab Oriente Ægypto, à Septentrione incluſo mari, à Meridie Libya interiore, & Æthiopia, à quibus Atlante diſiungitur. totius hic Africæ tractus nunc Barbaria à barbaris populis appellatur: dividebatur olim in Libyam exteriorem, Africam minorem, Numidiam, & Mauritanias Ceſarienſem, & Tingitanam. Exterioris Libyæ partes Libya proprie dicta, Marmarica, & Cirenaica. Libyæ, quæ Ægypto finitima, urbs olim Paratonium, & in ea Hammonica regio Iovis Hammonis templo, & oraculo nobilitata, quod non ſine labore adiit Alexander. nunc ingentia rudera viſuntur *Heſachbir* dicta, cætera tempus abſtulit. Poſt hanc eſt Marmarica, in qua Batrachus portus, & Naſamones populi, & mox Cirenaica, quæ & Pentapolis dicta à quinque urbibus celeberrimis Berenice, Arſinoe, Ptolemaide, Apollonia, & Cyrene, à qua provinciæ nomen. Hanc Græci ex Thera Ægæi maris inſula profecti, condiderunt. qui diu inter Ægyptios, & Pœnos privata forte vixerunt, mox de agrorum finibus diuturnum cum Carthaginienſibus bellum geſſerunt. deleta Carthagine cum reliqua Africa Romanis paruerunt. mox Ægyptis regibus, tandem Turcis. hæ tres, provinciæ nunc à Barca urbe regnum Barcæ appellatur, infrequens, & incultum: vaſtæque in mediterraneis ſolitudines: atque interius Barcæ deſertum extenditur.

Se-

Sequitur Africa minor, cuius termini ſunt ab Oriente Cirenaica, & ſinus Magnæ Syrtis, *Golfo di Sidra*, à Meridie Atlas mons, & Gætuli, ab Occaſu Numidia, à Septentrionibus Africum mare. olim continebat Provinciam Carthaginienſem, ſeu Proconſularem, Byzacenam, & Tripolitanam. primæ duę nunc unum regnum conflant, Tunetanum dictum: tertia regnum Tripolitanum. quõdam non huius tantum, ſed totius Africæ princeps Carthago, Romæ æmula, & Imperii Orbis appetétiſſima, opibus, & armis florentiſſima, cuius nunc vix ruinæ apparent. uſque adeo nihil magnum, & conſtans in terris eſt. De hac Poëta noſter:

Quantum illa metus, quantum illa laborum
Vrbs dedit inſultans Latio, & Laurentibus armis?
Nunc paſſim vix relliquias, vix nomina ſervans
Obruitur propriis non agnoſcenda ruinis.
Et querimur genus infelix humana labare
Membra ævo, cum regna palam moriãtur, & urbes.

Reliquæ urbes Leptis magna, *Lepida* Abrotonum, Taphræ, Capſa, Thyſdrus, Thapſus, Leptis parva, ex qua Tripolis: Adrumetum *Maometa*, Clupea, *Suſa*, Utica, *Biſerta* Catonis, qui inde Uticenſis, morte nobilis. Populi celebriores fuere iuxta Cirenaicam Naſamones, quos & Meſammones Græci ab arenis, in quibus incolebant, appellarunt. Pſylli, quorum corpori ingenitum fuit virus ſerpentibus exitiale, Barcæi, & ſupra Carthaginem Libyphœnices, qui & Pœni à Phęnice Tyro profecti, duce Eliſa, ſeu Didone, quæ Carthaginem condidit. Fluvii Cyniphas, Triton: Catada ad Carthaginem fluens, Bagradus omnium maximus ad Uticam: & Tuſca, trans quem Numidia.

Nunc Tunetani regni caput Tunetum ad ultimum lacus poſitum: in ipſo aditu ſtagni arx Gu-

-leta ab Ariandeno Barbaroſſa munita, & à Carolo V. una cum urbe capta: nec longe anno 1574. à Turcis recepta, ac diruta. Urbs è Carthaginis ruinis crevit ad eam magnitudinem, qua nunc viſitur. muro cingitur,& arce nova munitur. Tripolitani regni, Tripolis, ex antiquæ Leptis, ſeu Neapolis ruinis adaucta, à Romanis condita creditur. at nova ab Arabibus non longe à veteri cum arce & portu in ſolo æquo, & ſabuloſo.

Trans Tuſcam amnem Numidia cuius à tergo Atlas ab Occaſu Mauritania. Numidorum olim caput Cirta, nunc Coſtantina in mediterraneis ſita, Syphacis regia, dives, & culta: ad litus Hippona *Bona* divo Auguſtino Epiſcopo inſignis.

Mauritania occidentalior Africæ pars ab ortu Numidiam habet, ab Occaſu Atlanticum Oceanum, quem Arabes *Albear-Alquivir*, nimirum magnum mare vocant: à Meridie Atlantem, à Septentrione Mediterraneum. diviſa ab antiquis in duas Cæſarienſem, & Tingitanam. Cæſarienſis caput, Alba Iulia, *Algieri*: Cæſarienſis pars fuit etiam Sitifenſis, in qua Salde *Bugia*. Tingitana à Tingi, *Tanger* dicta, ad Oceanum poſita eſt. Noſtra ætate Univerſa Mauritania in quatuor regna dividitur Algerinum, Tremiſenum, Feſſanum, & Marochanum. cum Algerino adnexum Tremiſenum ab urbe primaria *Tremiſen* nuncupatum. Algerium, quod & Iulia Cæſarea, urbs eſt munitiſſima multis arcibus, & ſuperbo murorum ambitu, fruſtra à Carolo V. tentata. ab Incolis dicitur *Algeſir*. Piratarum infame aſylum, qui totam Europam infeſtant, noſtra incuria, diſcordiaque, cum facile deleri funditus poſſent. numerantur in urbe XII. M. militum, qui piraticam exercent, Apoſtatæ plerumque: XL. M. captivorum Chriſtianorum L. M. Maurorum, & Turcarum. Cæterum

licet

licet hæc tria Africæ regna Turcis pareant, tamen in reipublicæ formam gentes vivunt: reges eligunt, quos Othomanni electos confirmant, à quibus quotannis tributum penditur. Ipſi verò Barbari ſivè Tripolitæ, ſivè Tunetani, aut Algerini, adeo infames, ut vel ipſas Turcarum ditiones deprædentur, Chriſtianoſque Turcis ſubditos miſerrimè vexant.

Feſſanum regnum ad ipſum fretum Hiſpaniæ obiacet, ab urbe *Fez* appellatum, quæ ampla, ſplendida, ac dives, & Mauhmetanorum templo inſignis. in duas partes dividitur: prima *Fez Belè*, nimirum vetus 120. annos poſt Mahumetem ab *Idris Mulè* primo horum Barbarorum rege, quem Arabes *Scerif* indigitant. Secunda *Fez Gedida*, hoc eſt, nova, CCXV. annos poſt Mauhmetem condita à *Mulè Benby* fabricata. duplicique murorum ambitu munita. reliquæ urbes ſunt *Tanger*, *Ceuta*, & Arſilla ad fretum: hæ duæ Hiſpanicæ ditionis. prima ab Alphonſo Rege Luſitaniæ capta anno 1471. 18. Auguſti: anno verò 1662. conceſſa Catherinæ ioannis IV filiæ, quæ Carolo II. Angliæ regi nupſit. tandem ab Anglis relicta, Mauris ceſſit. Eſt etiam extra fretum Sale *Salè*, celebre emporium ad fluvium *Burregreg* ad novem mill: navium patientem, urbs duplex, muro, & arce munita: arx Alcaſſane, dicitur, ubi Alcaidus, nimirum Gubernator ius dicit. præcipuum fanum conſtructum à XXX. M. Chriſtianis captivis, quos ex Hiſpania transduxerat *Mulè Yacob Almanzor*: qui totidem Maurochum ad extruendos aquæductus tranſmiſerat. ad Oceanum *Larache* portu nobilis nuper Hiſpanis erepta.

Maurochanum regnum ultimum ad Oceanum ab urbe *Maroc* nuncupatum. Urbs eſt ampliſſima. & opulenta, & olim inter primas orbis annumerata.

rata. reliquæ *Taradante*, & *Meſca*.

Eſt in Feſſano regno regnum *Dara*, cuius ad mare *Melilla* Hiſpanici iuris. Hæc regna ſuos olim Serifos habuere, nunc Maurochi rex unus impe- rat, cui præter hæc tria regna, parent etiam, alia quæ ſunt in Dactilifera regione *Biledulgerid* Arabibus dicta, ſcilicet regna *Taſſidet, Tegorarim, Segelmeſce, Teſſet, Darha*, & *Sus*. quare inter primos Africæ principes cenſendus, qui merito Imperator dicitur, & Araba voce *Scerif de Sceriffi*: nimirum rex regum, Huius ſedes eſt in urbe *Mechenez*, quam incolæ vocant *Meſqunes*, in ſolo fertili, & amœno ſita, ad amnem *Bovamere*. arx eſt in urbe, in qua Serifus ſedet ædibus regiis ornata, fontibus, & omni genere animantium inſignibus. hic appellatur Iſmaël Muley ultimi regis *Tafilèt* ex matre frater.

Quod ad Barbariæ conſtitutionem attinet, circa Ægyptum, & in minori Africa aër calidus, in Mauritania verò humidus ob pluvias, quæ ab Occidentalibus ventis producuntur idcirco Mauritaniæ ſolum fertile, & paſcuis abundat. In Tunetano regno ſunt & colles fructiferi, & olearum montes refertiſſimi: in Tripolitano palmeta florent quam plurima. in Mauritania olim Maſſæſylorum gens, & Iol, poſtea Iulia Cæſarea Iubæ regia: ad Oceanum Lixus, ubi Antæi regia à Poëtis ponitur, certamen cum Hercule, & Heſperidum horti. Poſt Romanos Africam, & Mauritanias Vandali tenuerunt, quibus ſub Iuſtiniano à Beliſario victis, Græci, & mox Saraceni circa annum 999. occuparunt, nunc incolæ omnes Mahumetani Arabes, Mauri, vel Turcæ animis præſtant, ſed non uſu, atque arte armorum, exceptis piratis, qui perpetuo mare infeſtant.

CAPUT V.

De Atlante, Gætulia, & interiori Libya.

ATlas montium, quotquot ſunt, maxime fabuloſus, à Libycis pene montibus ortus longo tractu Africam, velut Apenninus ſecat, quò tandem in Oceanum, cui nomen impoſuit, irrumpat. quà ad Occaſum vergit, aſper, & ſquallens, qua Africam nemoroſus, opacus, fontibus ſcatens, ac fructibus omnis generis ſua ſponte naſcentibus ditiſſimus. neminem circa incolarum interdiu cerni: ſilere omnia, haud alio, quam ſolitudinum horrore: noctibus verò micare crebris ignibus Ægipanum, Satyrorumque laſcivia impleri, tibiarum, ac fiſtulæ cantu, tympanorum, ac cymbalorum ſonitu ſtrepere veteres tradidere. Duplex eſt maior, & minor: hic Africam à Gętulis. ille hos ab interiori Libya, & vaſtis deſertis dirimit. qui ab incolis *Anchiſa*, & *Monte de dattili* ob copiam horum. alibi *Megies*, & *Canat-gel-gerbena*. Altiſſimus eſt & præruptus, ut non ſolum non habitari, ſed ne adiri quidem poteſt. Leonum, Tigrium, aliorumque ferocium animantium refertiſſimus. Sunt tamen quædam valles, quas pylas Græci, Latini portas vocarunt, per quas tranſiri poteſt, celebriores ſunt iuxta urbem *Reſquela*, & *Agmen*, per has Gætuli tranſeunt.

Gætuli à Meridie minoris Africæ, & Mauritaniarum habitabant: verſus Orientem verò Troglodytæ, & Garamantes, quos omnes à Romanis debellati authores tradunt. Nunc omnis terræ tractus, quem hi tenuere ab Arabis *Biledulgerid* appellatur; à dactylorum proventu: nullibi tanta copia progignitur, tantæ molis, tantiq; ſaporis,

quam-

quamvis revera huius immenſi tractus una tantum regio ita appelletur, quam Arabes *El Gerid* dicunt, à qua toti tractui nomen à noſtris factum. hæc ab Occaſu Oceano clauditur, à Meridie Atro Monte, & Libyæ deſertis. Regna præcipua ad Occaſum *Tovet, Teſſet, Sus, Taffilet, Darha, Segelmeſſe,* & *Tegorarim*, quæ Serifo, ut dixi, parent. ad Orientem *Biledulgerid* proprie dictum. *Zeb, Berdoa*, ubi olim *Troglodytæ:* Borno, ubi *Garamantes* ab urbe Garama: apud hos *Debris* inclyta affuſo fonte, cuius aquæ ex cœleſti vertigine qualitatem mutant, ac converſa Syderum diſciplina: quippe quæ friget calore, calet frigore: à medio enim die ad noctem mediam ferventibus aquis, totidemque horis ad medium diem frigentibus.

Huius regionis aër etſi calidus ſit, tamen, quia ex Atlante, liquatis nivibus, plurimi torrentes decidunt, ſolum fœcundum eſt, & paſcuis opimum: Palmeta immenſa pene regionem omnem, & Atlantis declivia inumbrant. gens mediocris ſtaturæ, ac rudiores, quam ſint Barbariæ populi. molles ſupra modum, & Zelotypi: indumenta, induſium, & veſtis talaris leviſſima. arma acinacis, quem ante pendentem geſtant, & iacula: qui Serifo parent, Sclopis etiam utuntur. merces Dactyli, & pelles Leonum, & Tigrium, necnon mancipia, quæ latronum more rapiunt, ac diſtrahunt. Lex Mahumetana, ſed male à barbaris culta.

Ad Meridiem vaſta, & Deſerta regio, Interior Libya appellata, quæ ab Atlantico Oceano uſque ad Nubiæ regnum excurrit: in ea vaſtæ ſolitudines, aridique campi arenarum. hanc Afri patrio vocabulo *Zaàra*, ſeu *Saàra* dicunt, & deſerta ſonat. hinc Geographi totum hunc terræ tractum appellant Deſertum *Sara*, quod ad Meridiem uſque ad Nigritas currit, viſuntur etiam montes nu-

di, & ſunt Atlantis rami in Meridiem tendentes, amnes *Ghir*, & *Cavalles*. Regionem Arabes in tres partes dividunt *Azgar*, *Zaara*, & *Cehel*. *Azgar* vocant terras in quibus, aquæ, arbores, & paſcua ſunt, *Zaara* ſaxoſas, & aridas, *Cehel* verò arenoſos tractus, & ſteriles. circa fluvios, ac lacus habitationes regnorum nomine Geographi appellarunt, ex quibus nomina deſertis dederunt: præcipuæ ſunt, *Zanhaga*, *Zuenziga*, *Targa Lempta*, & *Berdoa*. Aër calidiſſimus præcipuè æſtate, cũ verticib' Sol imminet, (ſub Tropico enim iacet tota regio) radiis ferventibus, arenas incendit, aquaſque ſiccat: quo tempore gentes in caveas, & cavernas confugiunt, ubi puteos eſſe norunt, qui putrida, ut plurimum aqua, & ſalita ſunt: nec rarò accidit, ut plures dies in itinere inſumendi ſint antequam ad puteum aliquem, vel lacum perveniatur. nulla in orbe terra infelicior, ſunt nihilominus gentes, qui belluarum more inibi vivunt, rudes, & barbari, ſed animoſi, ut venientem Leonem, aut Tigré, firmi in ſtatione, atque irretorta fronte expectent: iaculoque interdum perfodiunt. Mahumetani, ſeu verius nullæ religionis ſunt. Gentes per familias diſtributæ: princepſque familiæ dux eſt, cui ad Reipublicæ formam parent.

CAPUT VI.

De Nigritis, Nigro amne, & Guinèa.

ALteram Interioris Libyæ partem trans deſertum Nigritæ tenent, quorum regio à Borni regno, & lacu eiuſdem nominis, longo tractu ad Oceanum excurrit: mediam Niger fluvius rigat: à Septentrione præruptis montibus, à deſerto dirimitur, & altiſſimis item à Guinea ad Meridiem,

diem, regio ab incolis *Geneo, Zingue*, & *Nenta* dicitur. antiqui à Nigro fluvio Nigritas vocarunt. ni malis à colore dictos, & fluvium ab ipſis incolis appellatum. Romanis minime notuerunt. calore nimirum, & ſolitudinum horrore territi ultra Gætulos ire deſtiterunt. regio ſita eſt in Torrida Zona, fluviis tamen irrigua. Horum princeps Niger, qui Gis Æthiopum creditur. de quo Poëta:

Et Gis Æthiopum fama notiſſimus amnis.

ab Incolis variis nominibus vocatur: veteres Nilo affinem vel origine fecerunt: nam ab eodem Lacu *Zaire* dicto, manare per occultos cuniculos crediderunt. Surgere verò à Nigro lacu, qui ſub lat. boreali grad. 2. Long. 47. ponitur: hinc recta in Septentrionem currere, quò ad Occidentem flexus per obſcura montium viſcera non viſus deſcendat. rurſus ad Borni lacum emergere: hinc Nigras gentes ingreſſum, longo tractu regionem rigare; quò tandem pluribus oſtiis in Oceanum irrumpat. Ut id crederent, eo adducti argumento: quia eodem, quo Nilus tempore inundet, & Cocrodilos non ſecus ac Nilus alat. recentiores ab ipſo Borni lacu oriri putant, & nivibus pluviiſque extumeſcere. præcipui lacus, per quos tranſit, *Borno*, & *Guarda* oſtia vero nobiliora *Senega* Septentrionale, *Gambia* medium, *Rio Grande* Meridionale.

In hoc Libyæ ingenti tractu plurima regna ſunt: cis Nigrum *Geneoha*, & ad Septentrioné *Gualata*, quæ D. Ioannis fluvius dividit: *Tambut*, *Agades*, *Cano*, *Caſſena*, *Guangara*, *Borno*: quod alii extra Nigritas ponunt. Interamnes Ialofes, Biafares populi, & *Gambaya*. ultra Nigrum *Melli*, *Cantory*, *Mandinga*, *Bauganna*, *Beccabena*, *Zegzeg*, *Gago*, *Zanfara*, & *Guber*. quæ ab urbibus, ut fere omnia barbara

ægna denominantur. Ex his Tabuti rex inter cæteros potentiſſimus, cui tributa pendent, regna Gualatæ, Cani, Caſſenæ, Zegzegi, Guberi, Mellis, Agadis, aliique populi. Ialofum rex mirificè à ſubditis colitur, quem nonniſi genuflexi alloquuntur. hi olim velut Arabes, ac Scythæ ſedem perpetuò mutabant, hoc ævo fixi manent, urbeſque & domus conſtruxere, ſegeſque ſanxerunt: regemque hæreditario iure in regnum ſuccedere decreverunt: hinc humaniores facti, & maximè Europæorum commerciis, quibus ſuas merces divendunt: nimirum ceram, pelles, & nitidiſſimum ebur, necnon mancipia bello capta. Ad Meridiem gentes ſunt vagæ, *Caragulis* dictæ, quæ modo hac, modo illac errant, barbaræ, & exleges. Eorum, qui juxta Arſinarium, *Capo Verde*, habitant pagi vetius, quam urbes, & tuguria magis, quam domus è paleis, vel cannis paluſtribus ſtrictè contextis extructæ ſunt, ut plurimum rotundæ, nulloque diſcrimine congeſtæ. quæ quidem urbes, & domus, ex cratibus circumdantur, ut mœnibus: in aditu domorum ſpatia ſunt, veluti cortes noſtræ, palis iunco intertextis præcinctæ. De huiuſmodi caſis Afrorum poëta:

Et ſparſis habitata mapalia tectis.

Quoad aëris, terræq; qualitatem ſpectat: calidus ille, ut in libya: verum circa oras maris humidus, ut & circa fluvii ripas; ex quo vapores perpetuo exhalant. tellus glauca, miliumque producit, & radices quaſdam rapis ſimiles, quas incolæ *Gname*, appellant: ex his victitant indigenæ. Qui ad Septentrionalem Nigri ripam, deſertum verſus, incolunt glauci, & curti. qui ad Auſtralem, nigriores ſunt, & proceriores. iuxta promontorium interamnii robuſti, ac vegeti, meliuſque formati ſunt, non ſecus ac Europæi. Nulla apud gentes con-

continentia,aut ſobrietas, imo adeo ad laſciviam proclivi,ut rarum ſit,necniſi robuſtis datur, ut ad ſexageſimum annum vivant. Fœminæ incontinentiores præ viris ſunt, & honeſtatis loco habent cùm albis hominibus commiſceri: immo à parentibus ad id enixè hortantur: uſque adeo vitium ſi conſueſcat,ut virtus colitur. hominum veſtitus telæ fruſtum circa pudenda involutum. mulierum verò tunica, quæ ventrem, & reliqua inferiora tegit,ornantur torquibus aureis, argenteis, necnon & corallinis, qui cum Europæis cõmercia habent illorum lingua, ſive Luſitanica; ſive Gallica expeditè loquuntur. Lignis cavatis ad piſcationem utuntur: at nandi peritiſſimi, ut illa interdum ſubmerſa ſtatim natatu erigant, ac piſcationem inſtaurent. Europæi qui Nigritas uxores ducunt filios generant, qui medio colore & patrem,& matrem referant. Sunt in tota Libya auri,argentique fodinæ, ſed ab incolis ut plurimum neglectæ:gentis arma iacula,& ſagittæ. qui urbibus præſunt, *Alquiere* dicuntur, legis doctores *Marabut*: quamvis Mahumetani, vinum bibunt, & ſuillam carnem edunt. Montes plurimi, & aſperrimi, ſed innominati: paludes Nigritæ *Guarda*,& Libya,*di Borno.*

Iuxta promontorium ad Meridiem inſula eſt *Gorèa* dicta cuius circuitus ad IIIM. paſſuum non longe à continenti, portu capaci ad Meridiem,& arce ab Hollandis erecta,nobilis. hæc anno 1677. kal. Nov. à Gallis capta, Etræo duce.

Guinèa,quam gentis vocabulo, à calore,& ariditate nonnulli dictam voluerunt,eſt poſita trans montes. qui Nigritas claudunt, & Oceanum *Æthiopicum*. qui hic *Sinus* Heſpericus antiquis dictus. ab Occidente Atlanticus eſt, ab ortu *Camerones* fluvius, & prærupti montes, quibus à re-

gno Biafana,quæ pars Interioris Æthiopiæ,diſcluditur. Montes, quibus à Septentrione cingitur, Claros nonnulli appellant,antiquis Caphas mons: qui vero verſus Occaſum ad mare vergunt ab altitudine *Sierra Liona* à Luſitanis dicti fuere horum ramus in Meridiem excurrens claudit regnum Occidentale Guineæ, cui barbaris Malaguèta nomen.

Poſt hoc ad Orientem ingens regnum Guinèæ propriæ dictæ,quod à longit:grad. 15. uſque grad. 27.excurrit. huic conterminum Ardræ regnum exiguum,cuius metropolis Ardra,quæ & *Ardres*, & *Arſem*,ultimum ad Orientem eſt regnum *Benin* ab urbe principe *Benin*.

Luſitani anno 1417. hos ultimos *interioris* Libyæ fines perluſtrarũt:at multò prius an:1364. Dieppenſes Galli hæc loca detexere: & novis coloniis Gallica nomina impoſuere.*Le petit Dieppe, & le grand Seſtre dit Paris*: quæ loca tenuere ad hæc tempora,& contra Luſitanorum vires,& Batavorum egregiè tutati ſunt. Ex his ingentem Eboris copiam in Galliam devehunt: nec alibi in Europa melius ebur elaboratur, quem Dieppæ: ubi inſignes artificum officinæ. Luſitani varias hic colonias fundarunt:quarum præcipuã appellarunt *S. Giorgio della mina*. quod Ioannes rex D.Georgium mirificè colerent,& non longe à loco,ubi auri fodina,ædificata ſit anno 1481. *Duce* Didaco Azemburcha. Superioribus annis cum Caſtellani Luſitaniam tenerent,Angli, Batavi,& Dani in Guineam irrupere; captaque D. Georgii arce ab Hollandis, Luſitanos expulere, qui in interiora recedentes ab incolis,à quibus *diligebantur* humaniter accepti. Angli tenent promontorium Serræ Leonis Madrebonſam inſulam, *de Comendo*, *Capo Corſo*,*Entacham*, aliaque loca:Batavi

Axime

Axime, *Battà*, *S. Giorgio della Mina*, Naſſaviam arcem ab ipſis conditam,*Cormenten*.Dani Frederiſburgum, & Chriſtiansburgum.

Ardrę regnũ,cuius ad nos certa,ac diſtincta notitia ex Delbæo an. 1669. etſi nõ multũ in litore extẽdatur,in mediterraneis tamen ad extremos uſq; Nigritarũ mõtes protẽditur.urbs regia ad triginta mill: à litore diſtat, in quo navale cui *Praye* nomen. muris cingitur altis, qui etſi è terra,tamen adeo ſolidi,& compacti,ut ſi è gypſo eſſent. foſſa præter morem non ante mœnia,ſed poſt urbem intra excavata. regis palatium magnificum, amplum,& ægregie conſtructum,cui forum, & horti ampliſſimi adnexi ſunt. hortorum ſymmetria pulcherrima,& arbores in quincuncẽ poſitæ. areolæ miris floribus nitent.ad regis ædes nemo accedit, niſi accitus,uno excepto Magno Sacerdote *Marabut* dicto: cui uni aditus patet: quique à rege ſecundus lites civium,& controverſias de religione dirimit. Rex qui anno 1670. regnabat Tezyphon vocabatur,potens inter barbaros, & à ſuis mire cultus. quique legatum miſit ad regem Chriſtianiſſimum Mattheum Lopez Luſitanum interpretem,ut commercia cum Gallis iungeret.

Sol bis in anno per verticem habitatorum tranſit;hinc calor maximus, & intolerabilis,niſi Auſtrales venti nubes elevarent,& pluviæ deciderent Aprili,Maio, & Iunio. Solum circa litora fertile, intus ſaxoſum,& cultui vix parens; hinc rari habitantes. cultius tamen in Ardræ regno: gentes nigræ,& graciles, præcipuè occidentales,corpore non informes. nonniſi pudenda tegunt, panno ab humeris pendente, & inter coxendices intorto: id vero non ſolum propter calorem, ſed ob pluvias, quæ repente deciduntiſi enim quis humida veſte ad Solem dormiret, lethali ſtatim lue corripe-

peretur. Sunt animoſi, memoria, & ingenio pollent, & promiſſis ſtare ſanctum habent: literas tamen ignorant, in Montibus auri fodinæ, maxima in mōte *Taſau*, ex qua ingēs maſſa eruta, quæ præforibus ædis regię poſita idoli loco colitur. gens è fodinis aurum non eruit, ſed eo, quod fluvii vectant contenta eſt. Merces ebur, pelles, cera, & mancipia, quæ ferro, ſecuribus, inauribus, ſpeculis, velis lineis, calceamentiſque permutant. Gentis relligio Idololatria; ſingulis provinciis ſinguli Dii, & ſingulis hominibus ſinguli. hos *Fetiche* vocant. Sacerdotes Marabuti *appellantur*, quorum Deos populo dare munus; & ut plurimū Montem, Arborem, Saxum, plumam, Simiam, *alia*que ridicula numina, quæ non ſanctè colere piaculum ſummum ducunt. Diem Martis ſanctum habent. cumque uxores ducunt, cibo ab aliquo ſe contenturos vovent: quod religioſe ſervant. Regem populi eligunt, electumque mirifice colunt.

Cæterum in toto tractu, qui ab Atlante monte ad Atlanticum, & Æthiopicum Oceanum excurrit, qui & interior Libya dictus præter Gætulos, & Garamantes, qui longe habitabant, fuere ad Occaſum ad Salethum amnem, *Rio dos Cavallos* Siraugæ, Actolalæ, Melano Gętuli: verſus Orientem Natembes: & hi omnes in deſertis *Zaara*. Circa Nigrum amnem ad Septentrionem Arocæ, & Nigrites: interamnii Mauſoli. in Malagueta Maudori, & Daradæ. in Guinea Perorſi, & *Aphri*cerones: de quibus omnibus meminit Ptolemæus.

CAPUT VII.

De Æthiopia, & primum de Nubiæ regno.

OMnis ea Africæ, quæ ad Orientem, & Meridiem pars vergit, Æthiopiam veteres vocitarunt. habet à Septentrione Libyam exteriorem, & Ægyptum: ab Occidente Libyam interiorem, & Oceanum Athiopicum: à Meridie eundem Oceanum: ab Oriente Rubrum mare, & Hippadis pelagus. tota fere iacet in torrida Zona: & antiquis obſcurè cognita. Diviſa in duas partes fuit, Exteriorem ſcilicet, quę & Æthiopia ſub Ægypto, & Interiorem. In exteriore populi fuerunt, ad mare rubrum Troglodytæ, Adulitæ, Molybæ: ad Oceanum Aromata regio & Axania. intus Evonymitæ, Sebri, Gapachi, Triacontaſchoenum, ubi nunc Nubiæ regnum. trans Nilum Canduce, Apiri, Orbadari, & Meroë inſula, Memnos, Auxumitæ, Strutiophagi, Mirrhifera regio, Agyſimba, Elephantophagi, Duratitæ, Catadræ horum plurimi ſub Abyſſinorũ Imperio. Peſendaræ, & regio Cinnamomifera. In interiore Rapſis, Ichthyophagi, Antropophagi, qui nunc *Caſri*. regiones Ochema, & Theon in Monomotapa. Montes præcipui Æthiopici, Elephas, & Lunæ Montes. Fluviorum princeps Nilus. & paludes Occidentalis, & Orietalis. Athiopes ab Æthiope Vulcani filio cognominati feruntur: etſi aliià nigro colore, ut Græcum verbum ſonat, dictos credunt. ultimos hominum, & inculpatos ſæpe Homerus vocat. Hæc tam ampla, & dives regio hoc ævo in plurima regna, & regiones dividitur: ſunt Nubia, Abiſſinorum Imperium, litoralia *Abex*, & *Aian*. Barbaria: *Monomotapa*, *Caſraria*, regna *Biafara*, *Loango Gongo*, & *Angola*,

 Nu-

Nubia Ægypto contermina habet à Septentrione,& Occaſu Athiopicos montes , & Libyæ Deſerta:à Meridie Abiſſinos, ab ortu Nilum, & montes quibus ab litoralibus, *Coſte d'Abex* diſcluditur. tellus calida,& arida, atque ob id, ut & reliqua Africæ Meridionalia, inhabitabilis ab antiquis putata : tribus tamen irrigua amnibus Nilo, Nubia in Nilum propè Tropicum influente, & Sira amne,quem Nubia excipit:circa hos fluvios, urbes,ut plurimũ,ſitæ Caput olim Nubia, ex qua Nubæ populi:hoc ævo Dãcala ampla, & populoſa ad Occidentalem Nili ripam ſita : ædes ligneæ, terraque coagmentatæ,quæ ad XM. perhibentur. tecta magnis lapidibus ſtrata ad Solis radios arcendos:qui quidem lapides iuxta Nilum reperiuntur. Reliquæ urbes *Gorham, Zigide, Iadie, Darga, Demba, Salut, Sabaha, Tazila, Canſila* : Deſerta duo *Zea* ad Occidentem inter Siram amnem, & Montes Æthiopicos,qui & Garamantici dicuntur, & *Gorham* ad Meridiem.

Gens exilis corpore, nigra, & ut plurimum ore deformata ob puſtulas quibus tertio repetitis laborant. Divites tenui tela,rudi verò ignobiles veſtiuntur: quam ſummis caloribus deponunt, relicto tantum circa pudenda lineo,velo ſerico,cuius percupidi ſunt,indumento : ornantur auro, quod amnes vectant è montibus,cuius ingens copia. in bellis animoſi, in quibus equis utuntur, qui miræ pernicitatis. ſunt, & hi præcipua merces, ut & Cameli, qui tota Africa laudatiſſimi, eſt & herba orticæ ſimilis, cuius grana potentiſſimum venenum. integrum ſumptum illicò enecat: in decem diviſum infra horæ quadrantem occidit ad unum omnes.

Regem habent,quem ſibi vectigalem Othomãni iactitant: qui tamen ſæpe à Nubis fortiter pul-

ſu-

ſi. Gentis Relligio olim Chriſtiana, nunc etſi Chriſtianos ſe dicant, & calido ferro impreſſo Crucis ſigno baptizent, Iudaizant tamen, & Mahumethi labe pariter deturpati.

CAPUT VIII.

De Abyſſinorum Imperio.

Vaſtiſſimum olim Abyſſinorum Imperium, ſed malè à veteribus cognitum: terminos enim à Meridie uſque ad Lunæ montes, ubi Nili fontes eſſe crediderunt, ampliſſime protulere. at ſi ultra Æquatorem non tantis extenſum ſpatiis, vaſtiſſimum tamen erat, quippe quod innumera regna, ac provincias complectebatur, & ab interiori Libya ad Rubrum mare excurrebat. nunc fines eius ſunt à Septentrione Nubia, & Ægyptus, ab Oriente regna *Abex*, *Aian*, ab Occidente Interior Libya, à Meridie Galles populi. regio tota poſita eſt in Zona torrida, & Nilo amne, *Maleg*, *Tacaze*, qui in Nilum influunt, & *Axoaxe*, in Oceanum influente, aliiſque irrigatur: altiſſimis montibus, quibus à littoralibus diſcluditur, & ab Ægypto, aſpera: in Mediterraneis ſunt Belxa, & Lathra, & Ganca montes, & is, in quo Nili fontes eſſe diximus. Nonnulli Abaſenos dictos putant, ab Abuſenis Arabiæ populis, quos traiecto ſinu in Africam commigraſſe veriſimile eſt. Abaſenos verò in Arabia fuiſſe Stephanus tradit; aut certe in ipſa Africa fuere ad ſiniſtrum Arabici ſinus latus, ubi Arabia Troglodytica: hos verò Abyſſinos dictos putant. Alii ab Arabica voce *Elleabaſchi*, qua Mauri Abyſſinorum regem vocant, nominatos volunt Abaſſos, mox Abaſſenos, & Abyſſinos. Regna, quæ hac tempeſtate Imperatori parent, ſunt

Samen,ſive *Cemen*,*Tigra* regni pars, *Bagemder*, vel *Bagamidri*,*Amahara*, *Xaoa*,quod & *Heleca*, & *Sexna* dicitur,*Hadea*, ſive *Cambat*, *Enaria*, ſeu *Narea*, *Damot*,*Goiam*, ubi Nili fontes. *Dembeia*, ſeù *Dembeà*.Provinciæ ſunt hæ,nobis vix cognitæ, *Emfraza*,*Mazaga*,*Tzagadea*,*Vagara*, *Valkaiet*. Litora Rubri maris,quæ appellãtur *le Coſte d'Abex*,e *d'Aian*, à Turcis erepta,& à vicinis Mauris. regna verò ad Meridiem,quæ ab antiquis Geographis recenſentur,quorum præcipua ſunt *Baharmo*, *Gumar*,*Buzana*,*Nareat*,à populis, *Galles* dictis adempta, his nunquam ferociorem hoſtem habuit Abyſſinorum rex. Gens barbara, & bellatrix, quæ antea Lunæ montes habitabat, & continuis irruptionibus Æthiopes fatigabat, nunc potentior facta multiſque regnis occupatis, toti inhiat Imperio. Cæterum Athiopum Imperator *Sabæ* Reginæ filium ex Salomone procreatũ ſe iactat. ſigillo utitur in quo Leo Crucem tenens inſculptus,hac epigraphe lingua Æthiopica:Leo de Tribu Iuda eſt victor.pro corona torque utitur aureis, & argenteis armillis compacto, & unionibus *intexto*, qui inter gemmas, ſoli apud Athiopes in pretio ſunt. De titulis huius regis, & regnis aliter, ac re-vera eſt ſcripſerunt: verus hic eſt: *Imperator*,& rex regum Æthiopiæ,cum ipſe ſcribit; cum verò ad illum ſubditi dant literas: *Potentiſſimum*, & celſiſſimum regem regum Æthiopiæ vocant. plerumque Crucem gerit non pro ſceptro, ut nonnulli putarunt, ſed ut inſigne *Diaconatus*, quocum Eccleſiaſticis communicat, inter quos in ſacris peragendis aſtat. quam prærogativam *præfectis* regnorum, cruce tradita, impertit. Hinc fortaſſe, vulgò dictus *Prete Ianni*; quaſi presbiter Ioannes, quo nomine vocabatur primus, qui ab Europæis cognitus eſt, Sed id etiam errore vulgi
hic

hic enim in Aſia regnavit in regno *Tenduc*. Gentis religio Chriſtiana, ſed Iudaicis, Mahumetanis, & Gentium ceremoniis miſere deturpata: etſi Iudaicæ plus vigeant: infantes ſi maſculi poſt XL. dies baptizant, ſi fœminę, poſt LXXX. Patriarchā ab Alexandrino conſecrari iubent: nec ſecus ac Coptium in Ægypto. Dioſcori, & Euthicis errores ſectantur. Sunt apud eos quamplurima cœnobia, ſub regula D. Antonii. Superiori ſeculo ad Catholicam fidem Imperator, & quamplurimi ope PP. Societatis Ieſu adducti: mox tumultuantibus Schiſmaticis, PP. partim eiectis, partim enectis ad hæreſim rediere. Rex hæreditario iure regnum adit: numerantur in gentium annalibus Imperatores XXIV. poſt Sabam Reginam, & eum, quem hæc à Salomone ſuſcepit ad Chriſtum natum. à partu verò Virginis ad hæc tempora LX. quibus Baſilides regnat cognomento *Seltan-Saghed*, qui anno 1607. natus eſt.

Mos fuit apud Æthiopas regios pueros ſervare in *Amba-Guexem*, nimirum in monte *Guexem*, quem malè nonnulli *Amara* vocant: Amahara enim regni nomen, in quo mons ſitus eſt. hic vero mons ad inſtar turris, e vivo lapide aſſurgit: in vertice planities, cuius ambitus paſſuum IIIM. in hac è ſaxo ædes fabricatæ, at pellibus tectæ, ut cæteræ regionis ſunt. in his regii olim pueri educabantur. ſunt bini lacus quorum unus aquam victui, alter ad reliquos uſus miniſtrat, ſolum fert hordeum, fabas, & triticum, ſunt cedri, aliæque arbores: tumulus in planitie leniter ſurgit in quo Eccleſiæ extructæ, ubi Monachi degunt.

Aër varius pro varia locorum poſitione, ſed ut plurimum temperatus: &, quod mirum eſt, frigus potius, quam calor timendus. grando multis in locis decidit, nix vero numquam, niſi in ſummis

mon-

montibus,ſolum uber, & ferax, & alicubi ter in anno hordeum,milium,legumen, nec non & triticũ fert.Eſt tritici quædã ſpecies, Tef populis dicitur,grano Sinapis lõge minor:& huius mira copia,& gentibus potior victus: *Sylvæ* medicas herbas habent,præcipuè Senam:quæ in buxi formam naſcitur:cuius frondes per Nilum in Babyloniam devehuntur: hinc per totam Europam diſtrahuntur. Hæbræi, penes quos negotiatio, ex tribus partibus Senæ,quæ venit ab Æthiopia,duas comburunt, ut tertia rarior ſit, & maiori pretio diſtrahatur. Citria,Cedri,mala aurea paſſim naſcuntur in Æthiopia. abundat tellus Elephantibus, Leonibus,Lupis,Simiis, felibus agreſtibus, qui feroces ſunt, & crudi. Equis item Mulis, Bobus, & Ovibus. Gens procera inter Afros, naſum habet acutum,aures parvas & colore nigricat. etſi nonnulli albicent. comas nutriunt viri, & fœminæ: virorum capilli criſpi,& curti.veſte talari utũtur, & galero exiguo caput tegunt. Sobrii non minus in veſtitu, quam victu:uni tamen ſiceræ ſpeciei, *Sana* vocant, nimium indulgent.

Merces,quas extrahunt ſunt ferrum,plumbum, ſal,aurum. hoc ex fluviis colligunt, etſi fodinas magnas,& opulentas habeant, quibus Turcarum metu non utuntur, Sal ex montibus educunt. ex regno *Tigrè*, & *Angot*, ubi montes ſalis plurimi ſunt. Sale etiam inſtar lateris facto,pro moneta utuntur. Arma,quibus pugnant haſtilia,enſes,pugiones, & clava: & licet inter prætorianos ſint nonnulli, qui ſclopis armentur, male tamen eos tractant. Cum pugnant unam tantum aciem conſtant:etſi primi inimicos fundunt. fugientes perſequuntur omnes, ſi verò ſuperentur, qui retro ſunt illicò fugiunt, ac commilitones deſerunt,ſatius arbitrantes ſi ſe ad meliora reſervent. Tan-

dem

dem qui nunc Æthiopiam incolunt ſunt veteres incolæ, Iudei, Indi, & Mauri, penes quos mercatura.

CAPUT IX.

De Arabia Troglodytica, Azania, Barbaria: & Inſulis Africæ Orientalibus.

OMnis Africæ Orientalis ora, quæ ab Ægypto ad Praſſum uſque promontorium *Monzabique* cognita à veteribus fuit, in tres partes diviſa fuit, Arabiam Troglodyticam Azaniam, & Barbariam. Arabia Troglodytica ab Ægypto ad Aromatam, hinc Azania: reliqua erat Barbaria: Prima nunc appellatur Abaſſia, ſive *Coſte d'Abex*. Secunda Aiana, *Coſte d'Aian*, quod deſertum ſonat: tertia Zangebara, *Coſte di Zanguebàr*. Abaſſia Rubro mari ab Ortu, ab Occaſu montibus Æthiopicis, quibus ab Abyſſinis diſiungitur, à Septentrione Ægypto, & Meridie Aiana, & montibus *Dalli*, & *Felles*, qui Ptolemæi Garbata, & Elephas urbs præcipua *Suaquen* fortaſſe antiqua Sabath. portu nobilis, ex quo Chriſtiani Æthiopes ſolvebant, cum Hieroſolimam peterent, quibus à Turcis erepta, his nũc paret. Sunt *Arquiquo*, & *Dangali* à Mauris occupatæ, quæ regnis dant nomina, *Meſte*, Zeila, Dardura, ad fretum ipſum poſitæ. Aiana montibus à Septentrione iam dictis, & ab Occaſu, quos *Zog* dicunt, qui Barbariam ab hoc latere etiam cingunt, ab Ortu utraque Oceano clauditur. Regna in Aiana *Magadoxo*, & *Adea* ab urbibus vocitata, quæ Mauris parent, & *Brava* reſpublica, unica poſt Carthaginienſes in Africa. quæ duodecim viris adminiſtratur, *Xeques* vocant, quos eligunt ex poſteris ſeptem Fratrum Arabum, qui ex Feli-

ce Arabia huc appulſi rempublicam fundarunt. In Barbaria, quam Parama fluvius ab Aiana dirimit, regna ſunt *Melinde*, *Quiloa*, *Monbaze*, *&* *Monzabique*, Praſſus olim: Inſula eſt, cuius long: paſſum MD. latitudo paſſuum 400. à continenti totidem diſiuncta, freto haud profundo, quare terræmotu, aut tempeſtate avulſam crediderim. hæc Quiloæ regi parebat, cum urbe illi impoſita, anno 1497. à Vaſquo Gama Luſitano Emmanuelis Regis duce detecta eſt, & à S. Georgio appellata, quoniam verò navigationi Indicæ accommoda viſa eſt, armis occupata, arce impoſita anno 1508. inſuper Eccleſia ædificata, & regio ſumptu Oenodochium, ubi ægroti milites munifice curantur. portus capax, ſed aditu difficilis, nec niſi peritis loci gubernatoribus adiri poteſt.

Huiuſce longiſſimi tractus aër calidiſſimus: remittitur interdum pluviis, & ventis orientalibus: circa ſolſtitia, nocte incolæ ſe laboribus exercent, operique vacat; diem quieti dant caſis pellibus tectis incluſi, aut cavernis frigidiuſculis, hinc antiquis Troglodytæ appellati. Multis in locis, maxime in vallibus ſolum fertiliſſimum maxime Milii, Oryzæ, & Tritici, cuius tamen grana minutiſſima: necnon & fructuum præcipuæ aureorum malorum. Circa Æquatorem gentes magis nigræ, & maiori ſunt corpore, quam in Septentrionalibus, ubi paſſim nudæ, & rudes. ad Meridiem induſio utuntur, & galero Turcico. communis victus piſces, & herbæ. in Montibus aurifodinæ ad littora Ambar, vulgo *Ambra griſa* reperitur: quæ merces Arabes, aliosque ad negotiationem, & commercia vocant. qui gentibus ex ære, & ferro manufacta, èque Europa advecta diſtrahunt. Hic mira Elephantum copia, ut ex Ebore, veluti muro, ad IIIM. paſſuum circuitus reperiatur. Non una

om-

omnibus lingua, nec una religio: ſunt Mahumetani, Gentiles, & Chriſtiani, qui à Luſitanis ad Fidem vocati. gens bellicoſa haſtis, iaculis, & enſibus utitur: nec unus exigui ſpe præmii in plures irrumpere dubitat. In litoralibus Zangèbaræ Luſitani præter Monzabiquum, tenent, arces Quiloæ, & Melindæ, aliqua loca, quibus Goæ Prorex præfectos mittit.

Præcipuæ ad Orientale Africæ latus inſulæ sũt, Dioſcorides, Menuthias, Borbonia, Mauritiaque Dioſcorides, quæ nunc appellatur *Zocotorà*, ad fauces Erithræi poſita iuxta Promontorium Aromatam, à quo mill. fermè C. diſtat, detecta ab Eduarto Lerma anno 1507. montibus aſpera, & ſterilis: nec niſi in vallibus colitur, ubi paſcua ſunt. abundat Palmetis, quorum Dactylos Goam uſque incolæ devehunt. qui Arabes ſunt, & Mahumetis aſſeclæ, parentque Serifo, qui Mechæ imperat. naſcitur hic etiam Aloë, cuius vini magnam per Europam, & Aſiam Luſitani, & Arabes convectant. Sunt circa ad Occaſum duæ inſulæ exiguæ *Dos Hermanos* duæ aliæ ad Meridiem *dos Hermanos* Luſitani vocant: binæque aliæ ad Septentrionem.

Menuthias, quæ & Cerne Plinio appellatur, ab Arabibus, & Perſis *Sarandib*, ab incolis *Madacaſe* Luſitani, quoniam anno 1506. Duce Almeyda in Europam redeunte, die Divo Laurentio ſacra detexere, Inſulam S. Laurentii dixerunt. & rurſus quoniam Septentrionalem partem indigenæ Madacaſe, Meridionalem Melagache; totam Madaſgaſcar iidem nuncuparunt. Gallis à Delphino Henrici IV. filio, Delphini inſulam dici placuit. Illius ſitus eſt in Torrida Zona præter exiguam partem Meridionalem; iacet inter parallelum XI, & XXI. Meridianum verò fere LXV, & LXXV, lon-

longitudo à promontorio Auſtrali à D. Sebaſtiano appellato, ad Boreale *Capo Natal* eſt mill: ſupra M. lat. 360 quare inter maximas orbis inſulas cenſetur prima: Montes in ea celeberrimi *Vingagora*, & *Bohiſtmene*, qui veluti Apennini longo iugo inſulam ſecant. Fluvii verò *Mataguru*, *Itapule*, *Managhure*, *Mananpani*, *Mandrerei*, *Mananbue*, *Onghlabe*, *Ranumena*, *Manſiatre*, aliique. Promontoria præter prædicta, *Capo S. Antonio di longa punta*, *di S. Andrea*. Portus, *Prunes*, Delphini, *de Brettoni*, *di S. Agoſtino*, *di S. Vincenzo*, *di Nanſio*, portus rotundus, *le Rond*, & D. Andreæ. In plures populos dividitur, qui præcipuè ſeptentrionales nobis incogniti: numerantur tamen ad Meridiem Machiores, & Fangatores, *La ſè* regio, & regio ſaxoſa. inſuper Carcanoſſi, ſupra Antavares, & Matane regio. in Mediterraneis ingens deſertum, & incognitum. Gens paſſim à primatibus regia autoritate gubernatur, cum vitæ, bonorumque domini habeantur. Eſt autem duplex genus hominum album unum, nigrum alterum. Albi homines in tres claſſes diviſi: ſunt autem *Roandriani*, *Anacandriani*, & *Ondzatſi*. Nigri in quatuor: ſunt, & hi *Voadzri*, *Lohavohits*, *Ontſoa*, & *Ondeves*. Roandriani ſunt principes, ac primates: Anacandriani, ab illis quidem profecti, ſed degeneres, & veluti nothi, & hos etiam dicunt, *Ontampaſſemaca*, quaſi viri de terra Mecchæ, à qua cum Roandrianis ſe profectos aiunt. Ondzatſi rubri pelle, & ut iam dixi longis capillis, ſed viles, & ad ſervilia primatum miniſteria deputati. Voadziti ſunt ditiores inter nigros, & plurium pagorum domini: boves, cæteraque animalia occidere poſſunt, *Lohavohits*, & ipſi divites, ſed ius iugulandi non habent: ſed ad Roandrianos, & Anacandrianos eunt, ut id liceat, *Ontſoa* infra hos, *Ondeves* mancipia.

Cum

Cum primorum ſubditi moriuntur,bona omnia ad illos tranſeunt: nec filiis niſi ager relinquitur. Magnate verò mortuo, ex eodem Roandriano-rum genere alter eligitur. qui electores munere donat, barbaris dicto. *Laſic-duve*, vi cuius,illis deinde mortuis,omnia repetit. Magnates comediis delectantur, quas quidem,*Secates* dicti, Hermaphroditis ſimiles agunt:ore ſunt maſculo, ſed ſine barba, & muliebri veſtitu amiciuntur: agiles ſupra modum, & vario corporis motu, & nugis placent. Magnates ſe crebro inviſunt; quibus in officiis fœdiſſimus apud barbaros mos, ut hoſpiti unam ex præcipuis concubinis offerant: quod ſi Europæi religione tacti donum repudiét, inurbani habentur.Inter illos perpetuum bellum, & ſæpe ob fœminas geritur.Urbes palis, tanquam muris obvallant,& foſſa profunda muniunt: ſuburbia palis tantum : urbes è tabulis compingunt, & *Donac* vocant. pagi ſunt mobiles;quatuor enim caſas circumferunt, quò viſum opportunum. principes in urbibus degũt. Lingua omnibus una; ſe circumcidunt, & nomina, quæ ſibi imponunt Hæbræa, ſed barbare detorta: quare facilè, eos, qui albi ſunt, veteris tranſmigrationis Iudæorum reliquias eſſe.Unum Deum colunt, quem omnia creaſſe dicunt:cui nulla fana erigunt,ſed tantum ſacrificant more patrio:in menſis, primum fruſtum, ceu victima, in terras proiicitur Diabolo, quem *Beliche* dicunt, ſacra. hunc nigri etiam invocant. apud quos incantatores, & necromanti. Nudi omnes incedunt præter pudenda:fœminæ, elegantiores ſe induunt, apud has etiam ante matrimoniũ nulla honeſtatis cura, nec proſtitui dedecus,niſi à viris cohibeantur. viri uxores emunt, & qui ditior plures.

Aër calidiſſimus;& alienigenis noxius;nunquã

graa-

longitudo à promontorio Auſtrali à D. Sebaſtiano appellato, ad Boreale *Capo Natal* eſt mill: ſupra M. lat. 360 quare inter maximas orbis inſulas cenſetur prima: Montes in ea celeberrimi *Vingagora*, & *Bohiſtmene*, qui veluti Apennini longo iugo inſulam ſecant. Fluvii verò *Matagnru*, *Itapule*, *Mananghure*, *Mananpani*, *Mandrerei*, *Mananbue*, *Onghlahe*, *Ranumena*, *Manſiatre*, aliique. Promontoria præter prædicta, *Capo S. Antonio di longa punta*, *di S. Andrea*. Portus, *Prunes*, Delphini, *de Brattoni*, *di S. Agoſtino*, *di S. Vincenzo*, *di Nanſio*, portus rotundus, *le Rond*, & D. Andreæ. In plures populos dividitur, qui præcipuè ſeptentrionales nobis incogniti: numerantur tamen ad Meridiem Machiores, & Fangatores, *Laſè* regio, & regio ſaxoſa. inſuper Carcanoſſi, ſupra Antavares, & Matane regio. in Mediterraneis ingens deſertum, & incognitum. Gens paſſim à primatibus regia authoritate gubernatur, cum vitæ, bonorumque domini habeantur. Eſt autem duplex genus hominum album unum, nigrum alterum. Albi homines in tres claſſes diviſi: ſunt autem *Roandriani*, *Anacandriani*, & *Ondzatſi*. Nigri in quatuor ſunt, & hi *Voadziri*, *Lohavohits*. *Ontſoa*, & *Ondeves*. Roandriani ſunt principes, ac primates: Anacandriani, ab illis quidem profecti, ſed degeneres, & veluti nothi, & hos etiam dicunt, *Ontampaſſemaca*, quaſi viri de terra Mecchæ, à qua cum Roandrianis ſe profectos aiunt. Ondzatſi rubri pelle, & ut iam dixi longis capillis, ſed viles, & ad ſervilia primatum miniſteria deputati. Voadziri ſunt ditiores inter nigros, & plurium pagorum domini: boves, cæteraque animalia occidere poſſunt, *Lohavohits*, & ipſi divites, ſed ius iugulandi non habent: ſed ad Roandrianos, & Anacandrianos eunt, ut id liceat. *Ontſea* infra hos. *Ondeves* mancipia.

Cum

Cum primorum ſubditi moriuntur,bona omnia ad illos tranſeunt: nec filiis niſi ager relinquitur. Magnate verò mortuo, ex eodem Roandrianorum genere alter eligitur. qui electores munere donat, barbaris dicto. *Laſic duve*, vi cuius,illis deinde mortuis,omnia repetit. Magnates comediis delectantur, quas quidem,*Secates* dicti, Hermaphroditis ſimiles agunt:ore ſunt maſculo, ſed ſine barba, & muliebri veſtitu amiciuntur: agiles ſupra modum, & vario corporis motu, & nugis placent. Magnates ſe crebro inviſunt; quibus in officiis fœdiſſimus apud barbaros mos, ut hoſpiti unam ex præcipuis concubinis offerant: quod ſi Europæi religione tacti donum repudiet, inurbani habentur.Inter illos perpetuum bellum, & ſæpe ob fœminas geritur.Urbes palis, tanquam muris obvallant,& foſſa profunda muniunt: ſuburbia palis tantum: urbes è tabulis compingunt, & *Donac* vocant. pagi ſunt mobiles;quatuor enim caſas circumferunt, quò viſum opportunum. principes in urbibus degũt. Lingua omnibus una: ſe circumcidunt, & nomina, quæ ſibi imponunt Hæbræa, ſed barbare detorta: quare facilè, eos, qui albi ſunt, veteris tranſmigrationis Iudæorum reliquias eſſe.Unum Deum colunt, quem omnia creaſſe dicunt:cui nulla fana erigunt,ſed tantum ſacrificant more patrio:in menſis, primum fruſtum, ceu victima, in terras proiicitur Diabolo, quem *Beliche* dicunt, ſacra. hunc nigri etiam invocant. apud quos incantatores, & necromanti. Nudi omnes incedunt præter pudenda:fœminæ, elegantiores ſe induunt, apud has etiam ante matrimoniũ nulla honeſtatis cura, nec proſtitui dedecus,niſi à viris cohibeantur. viri uxores emunt, & qui ditior plures.

Aër calidiſſimus;& alienigenis noxius:nunquã

gra-

grandinat, vel ningit: tellus ſylvis, & dumis obſita, at culta miræ fertilitatis. Piſum, Fabas, & orizam fert: præterea Saccharum, & Tabachum, quod niſi Maio, & Iunio conficiatur, putreſcit. ferri fodinæ paſſim, & aureas eſſe veriſimile ex coniecturis. ferocia animalia nulla, niſi ſerpentes magnæ molis, ſed veneno carent: abundat bobus: capris, hædis, ſuibus, cęteriſque animalibus, quæ in Europa naſcuntur. Gallis item Indicis, Anatibus, & columbis ex Europa allatis. Boves gibbi ſunt, veluti Cameli: gibbus vero ex abdomine eſt, quo butyrum cōficiunt. merces, quas Galli diſtrahunt lapides pretioſos, & torques è ſtamno, vel oricalco: accipiunt verò præter animalia pro victu, aurum, argentum, & Ambar. Viri bellicoſi, mortemque contemnunt: arma iaculum longum, & breve, quo cominus utuntur. adeo inhumani, & crudi, ut inimicorum uxores, liberos funditus deleant.

Galli ad Orientem in lat: grad. 20. Delphinam coloniam extruxere, in telluris angulo, qui ambitu ſuo ſeptem leucas occupat. ſita eſt in valle amœna, & fertili CL. caſæ Coloniam integrant ordine pulchro diſpoſitæ, & hortos, & pomaria, quæque habet. ad Septentrionem arx impoſita quatuor munita propugnaculis. habent inſuper ad Occidentem circa Tropicum Arcem Britannorum *Des Bretons*, & aliam ad Orientem etiam iuxta Tropicum dictam *de Gallions*.

Ad Orientem ſita eſt inſula Maſcaregna à Luſitanis, Burbonia à Gallis appellata: ambitus eſt leucarum LX. in medio altiſſimos montes habet, qui longe à nautis conſpiciuntur, & inſtar Vulcani ignem vomunt, quare inſulæ pars ad Orientem vergens peruſta, & ſterilis: reliqua fontibus rigua, quorum aquæ ſalutares, & aër ita felix, ut ægroti illuc

advecti aut ſtatim convaleſcunt, aut melius ſe habent. Sylvę ingentes quarum Arbores Ebenum, palmæ, & Belzuinum. tellus paſcuis optima, & Orizam quater in anno fert, & Turcicum hordeum producit, Braſilias verò Fabas nonniſi poſt ſeptem annos, Boves à Gallis advecti, & ſues, hœdique in maximum numerum excrevere; ſunt etiam apri, quos canibus venantur: perdices minores, ſed dulciſſimæ. Mare piſcibus abundat: teſtudines adeo magnæ ut vix tres homines unam dumtaxat poſſint invertere: magnæque multitudini ad victum ſufficit. Eſt verò adeò procelloſum, & tam violenti turbines, quos incolæ *Huragans* vocant, ut naves ſorbeant, domos evertant, & arbores eradicent. Inſulam Galli tenent. pagi in ea. *S. Gilles, S. Paul, l'Aſſumptione*. Mauritia ita appellata ab Hollandis anno 1598. ad Orientem etiam ſita ab Hiſpanis primum inventa. palmarũ dives, & Ebeni probatiſſimi. portus in ea cõmodus ab Anglis *Vuarwich* dictus, qui Iacobo Neck Duce huc appulere. Hollandi tamen hic Coloniam habuere: teſtudinibus ingentibus, & mira piſcium copia abundat circa Inſulam mare.

CAPUT X.

De Æthiopia interiore, & primum de Congi regno, & inſulis Oceani Æthiopici.

EXpoſita Athiopia ſub Ægypto, inferior ſupereſt ab antiquis vix cognita. prima pars eſt Interiori Libyæ contermina, ubi veteres Geographi Heſperios Æthiopes, & Elephanthophagos poſuerunt. hic varia nunc regna, quorum præcipuum, *Congo* cui reliqua olim ſubdita, atque ob id uno vocabulo comprehendimus. Fines ab Occi-

den-

dente Oceanus Occidentalis, & Æthiopicus, & Guineæ montes, qui fortaſſe Arangas Ptolemæi: à Septentrione Libya, ab Ortu Abyſſinos veteres poſuere: à Meridie Cafri. & Monomotapa. Regna in quæ tota regio diviſa, ſunt ad Septentrionem *Biafára*: in quo alia numerantur nobis incognita: *Loanga*, *Auſicens*, *Bramas*, *Cacongo*, *Congo* proprie dictum, & *Angola*. Congi metropolis in *Pemba* provincia poſita olim *Congo*, & *Banze*, ſeu *Ambas*, ſcilicet caput regni, regiſque ſedes: nunc *S. Salvatore* nomen à Luſitanis inditum, cum triginta ſex Luſitani, regiis copiis adiuncti inſignem de rebellibus victoriam retulere. Sita in monte urbs eſt à litore diſſita millia paſſuum L. ampla, & populoſa: domus inſulæ omnes, è ligno, & terra aggeſta factæ: quemadmodum urbis mœnia, quæ fruſtra Luſitani ſaxo cingere aggreſſi, cum ſaxa aliunde afferre arduum: quæ vero regionis ſunt ſecta in cinerem abeunt. Eccleſia tamen Epiſcopalis è lapide facta.

Rex Congi induſtria Alphonſi regis ad Fidem adductus anno 1459. eique ſcutum cum regiis inſignibus miſſum, quod adhuc ſervant. Gentis religio Chriſtiana præcipue in Angolæ regno; ubi Luſitani plurimum poſſunt, ſunt nonnulli Idololatræ, qui Solem adorant, & Mahumetani. Angolæ rex Luſitanorum vectigalis, qui cum anno 1667. illos offendiſſet, bello petitus, victuſque, cuius mox caput Ulyſſiponem miſſum anno 1668. Cæterum Luſitani in Congo tenent Urbem *S. Salvatore*, *Moſingan*, & *Cambambe*: in Angolæ regno, & *S. Paulo* arcem in inſula *Loanda*. Maritima etſi in Zona torrida, temperiem habent, quam Occidentales venti, & crebræ pluviæ inducunt: atque ob id fertiles terræ, præcipue quæ fluviis rigantur, qui plurimi, ut *Zaire* à lacu cognomine

erum-

erūpens, *Coanza* & *Loſe*,qui ex *Aquilunda* palude oriuntur. Mediterranea vero arenoſa,arida, & penè deſerta. populi nigri, ſimo naſo, capillis curtis, & criſpis ore ob puſtulas deformi: ſunt tamen aliqui glauci, & rubris capillis. nobiles pannis levioribus, & ſericis ex Europa aductis ſe ornant potius,quam veſtiunt, plebei palmis contextis pudenda tegunt. Auro, & Argento conchas præferunt, quas circa Loandam inſulam piſcantur: & quia raræ, & pulchræ,his pro moneta utuntur. Merces,quas diſtrahunt Ebur, Zibettum, & mancipia. bellicoſi omnes maxime nigri, arcu utuntur, & longis enſibus, more Luſitanorum. ſub ſignis ad flabelli figuram ex pennis ſtrutionis, & pavonis confectis pugnant.

Prima Oceani Æthiopici inſula eſt D.Thomę ſic à Luſitanis dicta,quia die D.Thomæ Sacro inventa anno 1405. Vaſconſelo duce. Deſerta, & inculta cum eſſet, transducta colonia coli cępit, ut florentiſſima nunc habeatur: circularis pene, & in Æquatore ſita, quare perpetua dierum, noctiumque æqualitas. latitudo Leucarum XVII. ambitus verò LX. Colonia, quam nativo idiomate *Paovaſan* Luſitani dicunt ſita eſt ad oram Orientalem in ſinu navium capace, & à ventis tuto, iuxta fluvium eiuſdem nominis, cuius aqua inter reliquas inſulæ optima. urbs diviſa in duas partes, in prima, quæ civitas dicta, nobiles, & magiſtratus, in reliqua, quæ eſt veluti ſuburbium, artifices, & nautæ morantur. Domus ligneæ, & Eccleſia Epiſcopalis. Sunt aliæ habitationes diſperſæ per inſulam in quibus Saccharum conficiunt. Terra enim abundat cannis ſaccharum producentibus. in medio inſulæ altiſſimi montes arboribus denſi: ſupra arbores nubes ſidunt, quæ certis horis reſolutæ per folia aquam ſtillant, quam ad ſaccharum

con-

conficiendum adhibent incolæ: aër adeo ſalubris, ut inſulani ad C. annum vivant: exteris noxius tamen, præcipue mulieribus: quapropter Luſitani nigras uxores ex Æthiopum gente ducunt. Circa hanc inſulam ſunt tres aliæ, nimirum inſula Ferdinandi Poo, & Principis, ab Infante appellata ad Septentrionem: ad Meridiem *Annobon* deſerta ob Cocrodilos.

Secunda ad Occidentem Æthiopici Oceani eſt inſula D. Helenæ, ſic dicta, quia die 21. Maii D. Helenæ Sacro à Ioanne Pimentel Luſitano illuc tempeſtate impulſo detecta fuit. à nautis maris caupona appellata, cum perfugium, & ſolatium ſit in vaſto itinere Indico. Duris rupibus aſpera, & deſerta. Luſitani Limones, & mala aurea, nec non & ficus plantarunt, quas ab India advexerant, quæ plantæ mirifice creverunt. ædiculam item erexerunt: quam infirmis deſtinarunt: qui omnes convaluerunt. bini Cafri, & Iavæ incola cum duabus fęminis hic relicti ad tantum numerum crevere, ut ægrotos latrociniis vexarét; quare ſublati. Angli inſulam occuparunt Luſitanorum negligentia atque arce munivere: advectis bobus, aliiſque animantibus, & arboribus ut victui ſufficerent.

Tertia eſt Inſula Aſcenſionis, durus mons, & ſterilis: quia verò teſtudinibus abundat, navigantibus utilis: Teſtudines magnæ, & gratæ: inque litus veniunt, ut ſabulo ova deponant: quæ ſolis radio tepefacta aperiuntur. inter hanc inſulam, & D. Helenæ mira copia piſcium, qui alis volant de genere Hirundinũ ſunt etiam in inſula aves rapaces, quæ piſcibus, quos venantur, veſcuntur. *Sunt* etiam Inſula S. Matthęi, & Nova Helena.

* *
*

CA-

CAPUT XI.

De Cafris, & Monomotàpa.

VLtimus Africæ angulus, cuius baſis Lunæ montes, vertex promontorium Bonæ ſpei, in duas partes dividitur. Litoralia ex utroque latere Cafraria dicitur, *le Coſtiere de Cafri*. Interiora, quæ præruptis montibus cinguntur, Monomotapa. Cafraria igitur, quæ tota antiquis latuit, ni forte ſint hi Androphagi Æthiopes poſteriorib⁹ ſeculis cogniti, à Septentrione regno *Zanguebar* è latere Orientali, ab Occidentali verò Congi regno. ab Ortu Meridie, & Occaſu Æthiopico Oceano alluitur. eius longit. eſt fere mill. 2500 Cafri dicti ab Incolis Congi eo, quod nulla conſanguinitatis habita ratione matrimonia celebrent: Mõtes multi, quibus à Monomotapa diſcluditur: celebriores ſunt, quos Picos Fragoſos vocitant. Fluvii præcipuè ad Orientalem oram *Cuàma*, *Spirito Santo, dell'Infante*. Ad Meridiem promontoria celebriora Bonæ Spei, antiquis, ut nonnulli putant Heſperion Ceras, quaſi cornu Occidentale à Luſitanis primum vocatum Tormentorum promontorium propter horrendas tempeſtates, quas ibi perpeſſi, mox *Capo Lion*: iuſſu tamen Ioannis II. regis, Bonæ ſpei dictum: primus, qui illud ſuperavit nõ ſine periculo fuit Vaſquez Gama Luſitanæ claſſis præfectus an: 1487, alii 1489. ſuperatum putant. Toto Orbe procellis, & undarum fremitu notiſſimum: nec non & ventis, qui ſex menſibus ab Occidente, totidemque ab Oriente fremunt. longe tranſmitti ſolet, ut evitentur naufragia: etſi hoc ævo felicior ſit navigatio. Batavi arcem, & exiguam coloniam poſuere, perfugium, ſimul &

tutamen navigationis Indicæ, quod ſuo malo Luſitani facere neglexerunt. alterum promontorium ad Orientem huius eſt *Capo dell'Agugl1e* ab acutis ſcopulis appellatum, ubi acus Magnetica recta Septentrionem petit. Cæterum regio paſſim deſerta, præcipuè Occidentalis, ubi deſerta *Baſo*, *Cencritan*, & *Caveo*. In Orientali nonnulla loca culta, & feracia, maximè valles Terræ dictæ *del Natal*, quod circa Natalitia Domini à Gama tranſmiſſa: eſt tamen naufragiis maxime Soſæ infamis: ob ſubitas, atque horrendas procellas. Sylvæ Elephantibus adeo plenæ, ut in ſylva, quæ eſt iuxta Promontorium Bonæ ſpei pluſquam 12. millia numerentur: quorum quidam miræ magnitudinis, atque his populi veſcuntur crudis, ut & humana carne. habent boves, & pinguiſſimos: ſed hos ad ſarcinas convectandas adhibent: aut exteris pro ferro, & ſecuribus vendunt. Nudi paſſim incedunt: idque uſu magis, quam ad evitandum calorem: nam etſi circa Tropicum calidus ſit aër, in Meridionalibus tamen ob ventos, & pluvias nõnumquam frigidiſſimus. ad Orientem juxta Zanguebaram, regnum, cui nomen ab Urbe *Sofalà*, rex Luſitanorum vectigalis: qui ad oſtia Cuamæ arcem habent, quam anno 1500. ædificarunt. Reliqui Cafri, ſine religione, & ſine politia vivunt: omnia communia: quod niſi apud Barbaros, feliciſſimum eſſet: gens ferox, & atrox jaculo, & clava utitur. qui robuſtior, & animoſior principis apud eos locum tenet. Medicarum herbarum, quæ plurimæ naſcuntur, periciſſimi. atque his unis morbos omnes, & vulnera etiam externorum citiſſimè, & feliciſſimè curant. naſcitur apud illos radix quædam Siſeri ſimilis, qua panis loco utuntur: etſi juxta *Sofalà* triticum etiam naſcatur. gens partim nigra, partim glauca: qui circa promontorium

rlum incolunt ſimo naſo, vultuque difformi: verba male proferunt, & diſtorta: omniumque maxime barbari. Aurum habent in fodinis, ſed negligunt, quod amnes vectant contenti. illud una cum Ambra, & Ebore, mancipiiſque, cum æreis manufactis, pannis Cambayæ, ſericoq; commutant. Monomotapa, aliis Benomotaxa, à Septentrione Lunæ montibus, & antiquo Abyſſinorum regno, ſeu *Gallis* populis terminatur: à reliquis partibus Caſrorum montibus cingitur. iacet partim in Zona torrida, partim in temperata Auſtrali. præcipui montes ſunt memorati à Luna dicti, quos Afri Beth appellant. qui variis ramis in diverſa procurrunt. Lacus ſunt *Sachaf, Vaby*: fluvii Zamber, & *Camiſſa* Afris, Luſitanis *dello Spirito S.* & *dell'Infante.* regna præcipua in quæ totum Imperium Monomotapæ dividitur, ſunt ab *Agag, Camur, Metachaſi, Bava Monomotapa, Begamedro*, denominata. Urbs Imperii metropolis Monomotapa, à qua Imperio nomen, Afri ut plurimum *Vuberatab* dicunt. ſita ad Meridionalem ripam amnis *Zamber*. domus ex ligno, terraque aggeſta, & bitumine ſolidatæ. tecta ad inſtar tentorii acuminata: portæ ad eas partes verſæ à quibus ventis perflari poſſunt: externi muri domorum omnium ſimiles, & coloribus, figuriſque mire exornati. colores gummi, quod apud illos naſcitur, permiſcent, ut pluviis, ventis, ac tempori reſiſtant. Arx ubi rex habitat muris, & turribus munita arte ſupra barbaros: ædes inſculptæ, & auro, atque aulæis, aliiſq, ornamentis ex Sinis, & Perſide advectis magnificè adornatæ.

Aër vaporibus, qui è lacubus, & fluviis exhalant tepeſcit. Solum paſcuis abundat, boves alit: & Elephantes, ex quibus ad quatuor millia quotannis venatores occidunt. Sunt & ſtruriones

magni;equos tamen non alit.gens glauca,& non curta: ſono plurimum delectatur: pelle veſtitur ad umbilicum uſque,pellibus tamen quas gerunt caudam non adimunt: ſed ad ornatum ſervant. plures uxores ducunt: & liberi paternis bonis ſuccedunt. Mulieres honeſtæ,& induſtriæ. puellæ præter pudenda nudæ incedunt quoadusque nubant. Fodinæ auri multæ, ſed gens eo tantum contenta,quod amnes vectant: tanta verò huius copia, ut Rex Monomotapæ à Luſitanis dicatur auri Imperator. populi vectigalia non ſolvunt, ſed immunes omnes;cum tamen regem inviſunt dona ferunt, quæ plurima vectant ſubditi dynaſtæ. Imperator ſẽper in armis XX. mill: militũ habet ex montanis delecti, qui mira pernicitate pedum Equitum defectum compensãt. Regis concubinæ ſupra mille. quæ prior filium genuerit, regina. Religio, Idololatria. Patres S. Ieſu, Chriſti fidem ſeminare cœperunt non ſine proventu: ſed Europæorum bellis res interciſa. Sunt plurimi Mahumetani.

CAPUT XII.

De Inſulis Oceani Atlantici.

PRimæ quæ occurrunt ex adverſo Africæ, qua Atlas mons in Oceanum irrumpit, ſunt Fortunatæ: ſic ab antiquis dictæ ob miram aëris ſalubritatem, ac ſoli feracitatem, vel quod ſolæ cognitæ, cum reliquum Mundi Hemiſphærium lateret. rurſus noſtro orbi cognitæ anno 1405. à Guglielmo Betancour Gallo. Præcipuæ ſunt hæ, *Canaria* à canibus ingentis magnitudinis appellata: atque ab hac omnibus nomen factum. *Madera, Teneriffa, della Palma, del Ferro, Gomera, Forteven-*

ventura, *Lancellotta*, *La Gratioſa*, *la Roccha*, *Le Selvagie*. Canaria vinum producit generoſiſſimum, paſſares optimos: urbem habet cognominem Epiſcopi ſedem, & populoſam ob commercium navium, quæ utraſque Indias petunt. Teneriffa omnium maxima, & frequens: celebrior item ob montem excelſiſſimum, vulgo *Il Pico di Teneriffa*. cuius vertex tubo optico ad XC. Leucas conſpicitur. ex illo omnes inſulæ videntur, & aliam, quam numquam nautæ invenire potuerunt. Ferri inſula ab ariditate dicta: nullæ enim in inſula aquæ: niſi quas arbores quædam, quæ unicæ in natura, effundunt. Arbor vaſtiſſima aſſurgit latitudine mira: frondes amplæ: & rami longiſſimi. in vertice continuo nubes ſubalbida inſidit: adeo conſtanter, ut nec ventis, nec procellis dimoveri poſſit: ex ſe ſtatis horis reſolvitur in aquam, quæ per folia binis horis guttatim decidit: hanc incolæ vaſis excipiunt, & potui ſervant: quæ in ſubiectā circa truncum foveā cadit animalibus deſervit, ita fontes miraculo penſante natura. Madera à Luſitanis detecta anno 1420; & à ſylvis Madera dicta. quibus incenſis, adeo fęcunda facta eſt, ut mirum ſane ſit. urbem habet cum Epiſcopatu. hęc ad Luſitanos ſpectat: reliquæ vero Canariæ ad Caſtellanos.

Sequuntur ad Meridiem Heſperides, ſive Gorgones: quæ quoniam ſitæ ſunt ex adverſo Arſinarii *Capo Verde*, idcirco dicuntur *l'Iſole di Capo Verde*. Detectæ anno 1455. à Ludovico Cadamoſto Veneto miſſo ab Henrico Ioan: I. filio. mare quod circa alluit, appellatur à Luſitanis *Sargaſſo*, quod totum herba conveſtitum hederæ ſimili, prati ſpeciem referat. Sunt præcipuæ hæ *S. Antonio*, *S. Vincenzo*, *S. Luca*, *S. Nicolò*, *Iſola del Sale*, *di Buona viſta*, *di Maggio*, *S. Giacomo*, *del Fuogo*, *de Brava*.

Quæ à Sale nuncupatur, eſt adeo humilis, ut tota tempeſtatibus obruatur: decedentibus mox aquis, quæ ſtagnis remanent in ſalem ſolis radiis tenuata abeunt, ut tota veluti lucida glacies reſplendeat. Omnium maxima Divi Iacobi ubi Colonia Luſitanorum cum Epiſcopo, & Gubernatore. In inſula ab igne nuncupata portus commodus, & arx ad tutamen navium impoſita. Aër maleſanus, & calidiſſimus febres acutas Cholicos dolores, lienteriam ingenerat. nebulis denſus, quæ tetro odore exhalant: à Iunio ad medium Octobrem pluviæ continuæ, ventis, & turbinibus permixtæ: tonitruſque adeo horribiles, ut intrepidos etiam perterreant. Inſulæ ad Luſitanos ſpectant: qui ex illis nonniſi ingentem ſalis copiam aſportant. Ad Septentrionem poſitæ ſunt Flandricæ, quæ & Azores, & Tertiæ *Terſere*; quod tertio loco ſint detectæ. Sunt verò celebriores *Corva*, *Flores*, *la Gratioſa*, *Terſera*, *S. Michele*, *S. Maria*, *Pico*, *Fajal S. Giorgio*, in Terteria urbs Angra Epiſcopalis: ubi Præfectus Luſitanorum ad quos pertinent. urbs ſita ad radicem montis, qui in mare prorumpens portum efficit, quo, & munitione celebris.

CAPUT XIII.

De Animantibus, & Monſtris Africæ.

Domeſtica animalia, quæ in Europa, Aſiaque ſunt, reperiuntur etiam in Africa. eſt inſuper Camelus, qui, etſi plurimus in Aſia: in Africa tamen probatiſſimus. Arabis *Gimel* appellatur: Aſiatici duos in dorſo gibos habent: Libyci, qui *Arabes* vocantur uno in dorſo, altero in pectore onerantur: in hoc cum quieſcunt, incumbunt. Fœmina XI. menſes partum gerit, editum mira induſtria edu-

educant Afri.vix natis genua in ventrem flectũt, lapideſque imponunt:quo in ſitu ad XX.dies manent. ita illos erudiunt in genua accidere, cum onerandi ſunt:modico lacte paſcunt: ut ſitim pati dociles fiant.non bibunt vero Cameli niſi prius aquam pede turbent. pili continuò decidunt; ut vero renaſcantur ricinio oleo illos inungunt. hordeo veſcuntur, interdum herbis: ac bovum more quæ nocte comederunt,die ruminant. Maiores Cameli *Elhegen*, *Ategin* vocant: adeò fortes ut mille pondo ferant.minores,quos nos Dromedarios,illi *Dechet* dicunt.hi non ſarcinas:ſed homines vectant, & ſunt miræ pernicitatis, uterque die CXL. millia conficiunt.Vere concipiunt:quo tempore ab illis cavendum. tunc enim præteritorum reminiſci videntur.& eos,à quibus olim læſi violenter mordent.Ne domeſtica quidem lædenda bruta,dante illis natura ad vindictam tempus. tandem Cameli lac Hydropiſi egregiè medetur.

Ferocia animalia,quæ vaſtis in deſertis: atque inter luſtra Atlantis, & montium Lunæ nutrit, ſunt Leones,Leopardi,Tigres, Strutiones, Dracones,Serpentes magni, Adives, innumeraque, & nova ſemper monſtra.Leo ſylvarum rex, & ferocitate,& agilitate terribilis:& eo præſertim tempore,quo coit, non in bruta ſolum, ſed in homines etiam graſſatur. eius ſanguis tam calidus, ut febri perpetua laboret. verum animoſus cum ſit, ac ferox, ignem tamen reformidat. ita comparatum à Natura, ut audaciſſimus quiſque habeat, quo concidat. Venatores facibus ardentibus eum perſequuntur, quouſque in paratos caſſes irruat: involutumque capiunt: præcipue cum parvulus, cum maior ab igne timor,& ob gingivarum mollitiem invalidus morſus eſt. paſtores, atque armentarii igne circa greges accenſo, animalia tu-

tantur. Leonem Arabes, ex cuius pelle quæſtum faciunt, *Aced* vocant. Leopardi Leone ferociores, ſed nonniſi irritantes diſcerpunt: ex animalibus canem dumtaxat devorant. Adives ſunt lupis ſimiles, ſed grandiores, ac veluti canes latrant. Leonem ſequuntur, ut ex reliquiis prædarum illius, & ipſi paſcantur. hinc, ut illorum latratus gentes audiunt, Leonem propè eſſe pro vero habent: illos perſequitur Leo: ſed pernicitate pedum elabuntur.

*S*trutio ab Afris *Noama* dictus, avium maxima, tota Africa reperitur, præſertim in deſertis: mole equum ſuperat, & equitãti viro par: capite eſt parvo, & rotundo, collo longiſſimo, & gracili: reliquo corpore magno, & rotundo. alæ, & cauda nigris pennis, & niveis ornantur. illæ tamen ad volandum inutiles ob corporis gravitatem: greſſum tamen maxime iuvant: hinc agiliſſimi pedes, ut cervis bifurcati: quibus lapides retrò in ſequentes iaciunt. Ova in ſabulo ponunt: quibus non incubant: ſed oculis viciſſim mas, & fœmina fovent. *S*úrdi omnino: ſeque tutos putant, ſi caput inter arbores condant: atque ob id nullo negotio capiuntur. tantis, diverſiſque cibis ſe nutriunt: ut etiam ferrũ ſubigere dictitetur. Afri è *pennis*, quas Europæis vendunt, & ovis, quibus vaſa conficiunt, & fanis ſuſpendunt quæſtum faciunt.

Dracones, qui plurimi in Atlante, & *Lunæ* mõtibus, ex coitu Aquilæ cum lupo progigni Afri credunt: tantumque intumeſcere lupi uterum, ut crepet: editus partus Aquilæ inſtar alas habet: caudam ſerpentis: pedes inſtar lupi, ventrem vero ingentem habet: pellem coloribus diſtinctam: longitudine nonnulli XI. pedes æquant. qui in Lunæ mõtibus agiliores, & maximè venenoſi, ubi ingentes etiam ſerpentes: qui una cum Draconibus

bus bellum cum Elephantibus gerunt. quorum ſanguine mirifice delectantur. pugna eſt huiuſmodi, qua nonnumquam victores cum victis cadunt: Draco ſe intra ramos arboris occulit, cuius fronde Elephantes veſci conſuevit: dumque Elephas frondem carpit, advolat ille & caudam circa Elephantis pedes circumvoluit: hoſteque ita apprehenſo, ſanguinem ſugere ſatagit. Elephas, ut ſe circumplexu liberet, pedes vel in ſaxum, vel truncum illidit. at Draco ſpiras, nodoſque geminat: in os irrumpit, rodit, ſugit, & aërem intercipit, quo pereat. tunc Elephas dolore, & laſſitudine gravatus ſe deiicit: & non raró accidit, ut & Draconem opprimat. hinc ad montium radices iuxta arbores mortui Dracones, & Elephantes reperiuntur: non aliter ſerpentes pugnant, qui præ caudæ longitudine inter utroſque pedes ſe complicant.

Elephas etſi in ſylvis naſcatur inter domeſticos tamen propter facilem indolem, & quandam penè dixerim intelligentiam, recenſeri poteſt: in deſertis *Zaara* plurimus naſcitur: totaque Africa, qui in India maiores ſunt ab Afris *Elfil* dicitur. Corpore inter reliqua bruta, quæ terris repunt maximus: capite tamen parvo pro corporis magnitudine, quod ſcapulis adiūctum ſine collo videtur. oculos exiguos, ſed micantiſſimos habet: aures vero patulas, quæ Raiam aſſimilant: pendentque in longum. erigit tamen cum iraſcitur. loco naſi longam appendicem porrigit (propoſcidem vocamus) quam contrahit, explicat, vertitque, ut libet. hac cibos carpit, tanta dexteritate, ut acum etiam colligat, inque guttur ſatis capax mittit: armatur binis dentibus: incolæ Morphi. Ebur, nos appellamus: adeo magni interdum ut libras quadrigentas pendant. pedes flectit, & ut

erigit. Equis inimicus: qui, illo viſo, fugiunt adeo robuſtus, ut L. mill: uno die conficiat, à gubernatore radio regitur: qui aurem vellit, & quà pulſus incedit. alimenta Dactyli, & arborum folia: apud nos caſtaneis etiam, & legumine veſcitur. Monſtra, quæ Africa generat ſunt plurima: quæ ex coitu diverſorum animalium proveniunt. de quibus, & eorum cauſis nos lib. 2. Halieuticorum.

Non aliter Libyæ in vaſta, quà corniger Ammon
Regna tenet, ſiccis ſitientia ſemper arenis,
Et Meroës deſerta iacent, ſaltuſque Syenes,
Cum ſtimulante ſiti, ſub ſtagna, & flumina raræ
Convenere feræ, Tigreſque Urſique rapaces,
Pardalis, atque Leæna, venenatique Ceraſtæ:
Plurima per denſas nutrit quas Africa ſylvas,
Hic ubi iam rivos potarunt gutture anhelo,
Permixtim rabie impulſa, cæcoque furore
Miſcentur, variumque genus non debita poſcit,
Hinc illa inſueta generantur imagine forma
Monſtrorum, viſu turpes, rictuque tremendæ.

LIBER VIII.

CAPUT I.

De America.

AFrica jam perluſtrata, veterique Orbe per Europam, Aſiamque peragrato, in novum per tot ante ſecula incognitum, velificandum. ubi novæ gentes, novæ urbes, nova monſtra, fluvii, montes, mariaque nobis deſcribenda. Alterum igitur Orbis Hemiſphærium ingentem inſulam, utroque Oceano complectitur: quam Americam noſtri, Atlantidem veteres appellaſſe certiſſimis argumentis comprobatur: Apud Platonem enim in Timæo Sacerdotes Ægyptii narrant Soloni Athenienſi, qui annis circiter DC. ante partum Virginis vixit, inſulam fuiſſe quondam contra fretum Herculeum Africa ſimul, & Aſia maiorem nomine Atlantidem. poſtmodum verò immani terræ motu, ingentique unius diei, ac noctis illuvione demerſam fuiſſe: ac inde mare, quod eam inſulam, & Gaditanum fretum interiacebat, immeabile, & inſcrutabile redditum, limo paulatim impediente. quem inſula ſubſidens præbuiſſet. Diodorus verò lib. V. tradit, Phœnices, ve-

tuſtiſſimis inde temporibus, cum extra Columnas Herculis Africæ litora legerent, ingentibus ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus fuiſſe abreptos; ac per multos dies vi tempeſtatis jactatos, tandem ad inſulam perveniſſe ingentis magnitudinis, in alto Oceani pelago contra Africam in Occaſum verſus iacentem: cuius ſolum amœnum, ac frugiferũ, & amnibus navigabilibus irriguum, ſumptuoſiſque ædificiis inſtructum. hæc ſane nonniſi de America intelligi poſſunt: neque veriſimile eſt Solonem, qui teſte Strabonè de ea librum ſcripſit, neque Diodorum hæc aut ſomniaſſe, aut confixiſſe. Præterea Author libelli de Mundo, qui Ariſtoteli ab aliis, ab aliis Theophraſto aſcribitur: atq; ab Apuleio latinus factus: aſſerit præter Aſiam, Europam, atque Africam, magnas eſſe inſulas, Americas haud dubio: Carthaginienſes verò illius terræ aditu reliquos Europæ populos prohibuiſſe, idem Diodorus narrat: quam navigationem Pœnos cum Romanis bello implicitos intermiſiſſe crediderim: ut ævo Romani Imperii omninò latuerit.

Anno 1492. Chriſtophorus Columbus Ligur, è vico *Arbiſola* impetratis à Ferdinando Caſtellæ rege tribus navibus, Gadibus ſolvit die 3. Auguſti: inque Canarias venit: ubi rem diù meditatus fuerat E Canariis in Occidentem iter intendit: ſuperataque plurium dierum malacia, in mare herboſum pervenit: qua novitate perculſi Hiſpani, in illum coniurant. & parum abfuit, quin necarent. ſed confirmatis utcũq, animis, continuatur iter, & XI. Octobris eiuſdem anni terram ſumma omnium gratulatione conſpexerunt. Prima, quæ occurrit, fuit inſula *Guanahani*, ab ipſo appellata *S. Salvatore*. Mox Cubam inſulam, & Hiſpaniolam detexit, hic arce ædificata, in Hiſpaniam rediit.

ite-

iterumque in Americam: tandem cum quintum navigaſſet dictus Dux Varaguæ, & Vegæ, quæ eſt in Iamaica inſula: cuius etiam Marchionatus titulo, inſignitus. Hæc prima novi Orbis detectio: in quem variæ deinde gentes venere: terraſque patriis vocibus nuncuparunt. Dicta America ab Americo Veſpucio Florentino: qui anno 1497. ab Emanuele Luſitaniæ rege miſſus Braſiliam luſtravit, novumque Orbem de ſuo nomine nuncupavit. Fuit etiam vocata India Occidentalis. Tellus univerſa in duas peninſulas dividitur medio Iſthmo, *Panamà* barbaris dicto: quæ ad Septentrionem tendit dicitur America Spetentrionalis: quæ ad Meridiem Auſtralis. Habet autem America ab Oriente Atlanticum Oceanum: qui nobis eſt ab Occidente: ab Occidente Oceanum Meridionalem, ſive Mare Pacificum, *del Zur*, à Meridie Megellanicum fretum: à Septentrionibus terram incognitam, ſeu verius Arctoos ſinus, quibus ab Arctica tellure diſcluditur. Americæ ſitus eſt inter parallelum Auſtralem 34. qui per Megellanicum fretum tranſit; & Borealem 66. qui per ultimum promontorium novæ Galliæ, *Charles* dictum, percurrit: inter Meridianos verò 236. per extremam Californiam, 348 per Braſiliæ promontorium S. Auguſtini tranſeuntes. Zonas occupat Torridam totam, & magnam partem Auſtralis, & Borealis temperatæ.

Septentrionalis dividitur in Mexicum, ſive Novam Hiſpaniam, Novum Mexicum, Floridam, Virginiam, Novam Galliam ſeu Canadam. Inſulæ, quæ ad illam ſpectant ſunt California, Antilles, & Lucayæ. Montes præcipui *Suala*, & *Apalache*: amnes Canadenſis, *Canadà*, ſive D. Laurentii. Panucus, *S. Spirito, Yare, Barania, Rio del Nort.* Lacus *Nicaragua*, Mare Dulce, *& del Nort*.

CA-

CAPUT II.

De nova Hiſpania, novo Mexico, & California Inſula.

PRima & præcipua pars Americæ eſt Nova Hiſpania: indigenis appellata Mexicum. Gentiū enim annales referunt primos regionis habitatores fuiſſe ſylveſtres homines patria voce *Chichimecas* dictos, hos vero ex parte pulſos à populis à caverna quadam ad Septentrionem poſita egreſſos, inque ſeptem familias diviſos, totidemque ducibus ſubiectas, quorum unus, *Mexi* appellatus, terræ nomen, urbique dedit. Fines ſunt à Septentrione Novum Mexicum, & Florida, ab Occidente Pacificum mare, ab Oriente Mexicanus Sinus. à Meridie Panamæ Iſthmus, quo cum Auſtrali America nectitur, regio tota eſt in Torrida Boreali, & uſque ad Tropicum Cancri excurrit. Montes habet ignivomos, quorum celeberrimus *Guatimala*: Fluviis irrigatur auriferis, & ingentibus lacubus Mexicano, & Nicaragua. Vaſtiſſimum hoc Americæ regnum in plures provincias, variis ſubinde temporibus, detectas & ſubactas, Hiſpani partiti ſunt. hæ à præfectis regio tribunali, *Audientiam* vocant, gubernantur. Prorex Mexici ſedet, à quo reliqui pendent, qui in univerſo regno ius dicunt. Provinciæ ſunt hæ *Panuco*, cuius caput urbs cognominis: *Tlaſcala*, cuius Angelorum urbs, *la villa de los Angelos* Epiſcopalis. *Guaxaca* cum urbe eiuſdem nominis Epiſcopatu inſigni: *Chiapa* cuius *Ciudad regal* Epiſcopi ſedes. *Tabaſco*, cuius urbs *Noſtra Signora della Vittoria*. Lucatan, cuius Merida Epiſ: *Vera pax* ab urbe Epiſc; dicta: *Honduras*, cuius *Truxillo*: *Nicaragua*

gua cuius *S. Leon* Epiſc.*Coſtarica*,cuius Carthago; *Varagua*, cuius *Santa Fè. Guatimala*, cuius *S. Iago* Epiſc. *Soconuſco*, cuius *Guevetlan*. *Mecoachan* ab urbe Epiſc. Nova Gallecia,cuius *Compoſtella Guadalaiara* ab urbe Epiſc. *Zacatecas*, cuius *Durango* Epiſc. *Chametlan*, & *Culiacan* ab urbibus denominatæ. Mexicum propriè dictum, totius regionis princeps Academia, & Archiepiſcopatu inſigne: huic memorati Epiſcopi ſubiecti ſunt. Olim hæc urbs vocata *Tenuchtilan*, vel ut alii referunt *Themiſtitan*. quæ vox indigenis ficum in petra ſonat. Cum enim Oraculum conſulerent, quo in loco urbem ponerent:ferunt reſpondiſſe oraculum: in ea lacus parte urbem ſtatuendam, ubi ficus in ſaxo radicem fixiſſet.ædificata igitur urbs in medio lacu ſalſarum aquarum Mexico nuncupato:& ad inſtar Venetiarum ad ingentem magnitudinem crevit. Urbem anno 1531. 13. Auguſti expugnavit Ferdinandus Corteſius Hiſpanis copiis, funditusque evertit. aliamque ex illius ruinis excitavit ad ripam lacus, ex quo Mexicum denominata. Situ eſt amœno, molliter circum aſſurgentibus clivis arborum refertiſſimis. domus ligneæ, & penè ſimiles, triplicique contignatione aſſurgunt,quod rariſſimum in America: viæ latæ, & rectæ: & quæque ars ſuam habet: anno 1629. inundante lacu penè abſorta:nunc cenſentur hominum XLM. capita. muro, & turribus munitur, atque arce,cum æde regia, ubi Prorex ſedem habet:aulæa quibus ornatur,ex iunco tam mire intexto,ac picto,ut noſtris non cedant.

Etſi in Torrida Zona ſita ſit regio, adeo tamen Orientalibus,atque Occidentalibus ventis perflata,ut aër mitis ſit,& ſanus:miraque ob id Soli fertilitas: arbores,& poma ferunt,& flores, copulante natura cum Autumno Ver, fructus ſunt dulciſ-

ſimi,

ſimi,& tam varii,ut multi nos lateant. Vinum tamen,& oleum Tellus non fert. Sed aliunde comportantur. Divitiæ, quibus abundant, & quas diſtrahunt, ſunt Aurum, Margaritas, Oloſericum, Goſſipium, Sal, Balſamum, Saccharum. Gens induſtria,& laborioſa; atque idcirco dives: maxime Criolles (ſic vocant, qui à primis Hiſpanis progeniti) penes quos negotiatio Hos Hiſpani metu rebellionis à muneribus publicis, atque armis arcent: unique mercaturæ vacare ſinunt. Ex quibus tamen magnam pecuniam, nonnumquam contrahunt.

Religio Catholica, atque eximiè culta. olim Mexicani ſupra omnes ſuperſtitioſiſſimi: quorum præcipua Idola *Vitziliputzili*, & *Tezcaldiputza*: primum ſatyrum pingebant cum alis ſedentem: inque ventre alium vultum, magnum fingebant, cui humano ſanguine litabant, mirisque cæremoniis, ac deridiculis colebant. Arma olim gentis iacula, & enſes: nunc noſtris utuntur, noſtroque more pugnant. regio tota Catholico regi paret.

Novum Mexicum appellant omnem illum Americæ tractum, qui ad Occidentem in Septentrionem excurrit, qua parte incognitum adhuc eſt: habet à Meridie Novam Hiſpaniam, & Floridam, ab Oriente Novam Galliam, ab Occidente mare Rubrum, *Vermeio*, Hiſpanis dictum, quo ab Inſula California ſeparatur. mons in eo Suala, qui à Florida illud diſterminat: amnes *Tecon*, & *Coral*, præter memoratum *Norto*. Primus hanc regionem luſtravit Auguſtinus Ruiz anno 1581. at anno MDLXXXIII. ab Antonio Eſpeio nomine donatam. Loca quæ cœperunt innoteſcere ſunt *Aſtablan*, *Nova Granata*, *Real del nuovo Mexico*, *Rey Coromedo*. *S. Michele*, & Portus D. Claræ. Aer ſummè frigidus,& nebulis præcipue Septem-

bri,

bri, & Octobri denſiſſimus. Solum ſaxoſum, & cultui ineptũ, iuxta amnes valles riguæ: ubi paſcua, quibus boves aluntur miræ magnitudinis, ac figurę. Caput inſtar ſuis: iubæ circa collum, ut Leonis: dorſoque gibbus, ut in Camelis. caro optima: hac incolæ veſcuntur: pelle veſtes faciunt, & tuguria tegunt: nervis pro funibus utuntur. ſtercore ſiccato, pro lignis ad accendendum ignem: quare merito dixerit poëta:

Omnis, & in vacca ſpes vitæ gentibus una eſt.

Eſt etiam animal Unicorni ſimilis, cuius pelle etiam ſeſe amiciunt. gentes ſtatura mediocres, vultu macilento, & plumbeo, idque evenire crediderim ex eſu cuiuſdam radicis frigidiſſimæ Herbæ Sanctæ ſimilis. nam ſi ab uſu illius abſtinent hilariores fiunt, & non longe poſt ſtupent. tellus inculta, nec auro, argentoque dives; quare facili negotio ab Hiſpanis deſpecta; Angliſque relicta: qui litora occuparunt: & terras omnes, uſque ad Fretum *David* dictum. Per has oras Hollandi, Anglique ſæpius navigare in Scythicum Oceanum tentarunt, ut compendioſiore via in Europam remearent: ſed maris æſtus: (*Correntes* vocant) in Iaponiam, quæ proxima, eos deduxerunt. & glacies immenſæ, ingenſque frigus ab incœpto deſiſtere coëgerunt.

Gens pacis amans: nec arma novit, niſi clavam, & iaculum ad venationem. tuguria ſepibus potius, ut à feris, quam munitione, ut ab hoſtibus caveant, circummuniunt: qui intus colunt idololatræ: animamque immortalem cenſent, qui verò litora Chriſtiani: ſed Batavorum, Anglorumque erroribus imbuti. Divinis cæremoniis addicti omnes natura videntur.

California, quam veteres peninſulam putarunt, tota mari abluitur, Rubro ab Oriente, ab Occi-

ci-

cidente,& Meridie Pacifico mari.inter Orbis maximas, quæ parallelos occupat ſupra XX. & tota pene eſt in Zona temperata Boreali. præcipua promontoria *C. S. Lucas* Meridionale: *C. Blanco* Boreale.portus *S. Madalena. S. Diego. S. Franceſco, Draco* Terram aſperam,incultam,ac ſterilem, eo argumento comprobari poteſt, quod nulla Europæorum gens ibi ſedem certã defixerit: quod certè feciſſent,maximè, qui vicinia tenent Hiſpani,ſi auri, aut argenti dives reperta fuiſſet.

CAPUT III.

De Florida, Virginia,& Inſulis Mexicani ſinus.

Florida dicta Hiſpanis, quod die Pentecoſtes anni 1512 detecta fuerit: antea *Laquaza* ab incolis vocabatur. ab Occidente Novum Mexicum,à Septentrione Novam Galliam,ab Oriente Virginiam, & Oceanum, à Meridie Mexicanum ſinum habet. Provinciæ in ea numerantur *Apalache,Tagil,* ſeu *Tegeſta*, & *Coſſa*. Hiſpani ad litus Orientale Tegeſtæ duas urbes habet D. Matthæi, & D. Auguſtini. hæc portu capaci, & tuto inſignis.Cœlum temperatum,in quo & venti, & pluviæ perquam raræ. Solum arenoſum, & humile, innumeris tamen amnibus irriguum. ubi ſi frumentum feratur, & hordeum bis in anno provenit.gens quoniam radice,*Halte* dicta, veſcitur,culturam negligit. Ingentes ſunt ſylvæ immenſis Quercubus, & Cedris opacæ. Gens æreo colore, quem unctione cuiuſdam unguenti contrahit: à natalibus enim nivei veniunt. corpore Hiſpanis proceriores:capillis verò nigris ſunt omnes. fœminæ altiores, ac robuſtiores. Hermaphroditæ multi, qui ſarcinas ferunt, & curſorum munere

fun-

ſunguntur. Libidini indulgent ſine more; neque id turpitudini ducunt. Piſcatui, & venationi dant operam, &, cum opus, viriliter pugnant ſagittis, & iaculo: pelle amiciuntur, præcipue pudenda. veſcuntur verò Cocrodilis: pars regionis Hiſpanis, pars Anglis, quæ ad Virginiam vergit Gallis paret.

Virginia ad Septentrionem ſequitur. hoc nomine ab Anglis donata, quod ſub auſpiciis Eliſabethæ Angliæ Reginæ detecta fuerit anno 1584. etſi antea à Ioanne Verazzan auſpiciis Franciſci I. Galliæ regis luſtratam Galli annales referant, dictamque *Mocoſam*. fines ab Occidente *Florida*, & *Canada*, quę illam etiam à Septentrionibus claudit, à Meridie, & Oriente Oceanus. regio montoſa: ſed præter *Apulatay*, qui ad Occidentem ſunt, cæteri innominati. amnes plurimi *Saſqueſahanugh Pavavomeck, Toppahanock, Pamaunk*, & *Povohatan* à regno, quod medius ſecat, appellatus. Urbs olim gentium caput *Pomeiok*, quæ nihil aliud, quam tuguriorum aggeſtio palis vallata: caulas diceres non urbem: ut fere omnes ſunt in America. Angli ædificarunt *Iameſtorunen* in peninſula fertili, & amœna: muris, & propugnaculis munitam. Sunt etiam urbes *Mariland*, & *Tragabigzanda*. Aër temperie gaudet: riget interdum hyeme, ſed non ultra dies octo glacies durant: æſtate calet, ut in Meridionalibus Hiſpaniæ. Solum frumento, & leguminibus aptum. qui interiora colunt, e radicibus, quas *Tſinaun*, & *Okapenauk* tritis, ac pinſis panem conficiunt. Herba Sancta plurima; quam *Vppenuc* vocant. Gens præter pudenda, nuda incedit: gaudetque faciem pingere variis coloribus: & comam alere; quam inſtar gallorum ſupra caput attollunt: velamenta capitum, ut plurimum, ex pinnis, ut paſſim uſus apud Americanos. Deos plures eſſe credunt, ſed omnes uni

ſu-

ſubeſſe tanquam principi, quem *Keuuas* dicunt: cui etiam templa ponunt, *Machicomuk* vocata. Solem & Lunam non ut Deos, veluti Floridæ populi, ſed Semideos venerantur. Deos ex hominum genere eſſe arbitrantur: hinc humana illos forma repræſentant. Naſcitur in Virginia quædam herba, ex qua tela lucidis, & tenuiſſimis filis fit. hanc cum pellibus animalium, quorum venationi vacant, cum manufactis, & aqua vitæ commutant.

Inſulæ ad Americam pertinentes iuxta Mexicanum ſinum, & Oceanum, in tres claſſes dividuntur, aliquæ Antilles, aliæ Lucayæ: Caribes reliquæ appellantur. Antillarum præcipuę *Cuba*, *Hiſpaniola*, *Iamaica*, & *Portorico* Cuba, quæ contra Floridæ Meridionale promontorium iacet, maxima: patetque in longum mill: fermè 700. detecta fuit à Columbo 27. Octobris anni 1492. quam Fernandinam à regis nomine dixit: ſed antiquum nomen invaluit, quo illam gentes vocabant. ingens Apenninus ab Oriente in Occidentem mediam ſecat, ſylvis, & fontibus inſignis. Urbs præcipua Havana portu nobilis, in quem naves omnes ex America conveniunt. ut hinc ſociato agmine in Europam ſolvant. ſæpe antequam arce muniretur, à Gallis una cum Claſſe depopulata, atque inceſa. reliquæ urbes *Santiago* ſedes Epiſcopi, qui ſubeſt Archiepiſcopo S. Dominici: *lo Spirito Santo*, cum portu capaci. S. *Cruz*, & *Baracoa*. tellus omnium ferax, quæ ad hominum uſum opportuna. Ad Meridiem Cubæ eſt Iamaica, in quam Columbus appulit anno 1494. ab Hiſpanis vero capta anno 1509: quo tempore populorum refertiſſima, & egregiè culta: ſed nunc penè deſerta tranſlatis alio gentibus: Sacchari dives, & Herbæ Sanctæ: amnes, non ſecus ac in Cuba, aurum vectant. anno 1655. ab Anglis Hiſpanis adempta:

qui

qui cultum terræ deſides negligunt. urbes celebriores Hiſpal auri, *Seviglia dell'oro, Oriſtan*, & *Melilla*. Iamaicam circa plures minores inſulæ *Bivora, Ranes*, & *Fornicæ*.

Hiſpaniola ſic ab Hiſpanis appellata: ab incolis verò *Ayti*, & *Quiſqueya*: quæ vox magnam terram ſignificat, detecta fuit à Columbo anno 1492. in longitudinem patet mill. 450. à *Tuberone* promontorio, ad *Lenganum*. Tota in quinque provincias dividitur: Sunt autem *Bainora*, cuius urbs *Guanives* cum portu: hic Columbus arcem ædificavit, relictoque præſidio 39. militum, in Europam rediit. illi omnes ab incolis ob acceptas iniurias, trucidati. *Cubaho* cuius *Iſabella*; ab Iſabella Regis Ferdinandi ſponſa nuncupata: ædificata à Columbo anno 1493. *Caiaho* auro dives. *Guacayatima* cuius *Xoama*: & *Caſſima* cuius, & totius inſulæ metropolis *S. Domingo*. ampla, & elegans ad mare ſita, Archiepiſcopatu, & portu nobilis. Solum fertile, & paſcuis abundat; aurum alit: ſed lignorum inopia extrahi nequit. aër ſalubris, & temperie ſua gaudens. olim tellus culta, & populoſa: nunc infrequens, translatis alio gentibus ad metalla eruenda, & ad ſervitia Hiſpanis præſtanda.

Portoricco detecta & ipſa à Columbo an: 1493. ab indigenis *Boriquen* dicitur: ad Orientem Hiſpaniolæ ſita, & ingenti monte in duas partes diviſa: urbes habet *S. Giovanni de Portoricco*, ubi Præfectus, & Epiſcopus, qui *S.* Dominici Archiepiſcopo ſubeſt. portus eſt capaciſſimus, & tutiſſimus: & *Guadianilla*. Solum, ut Hiſpaniolæ, fertile: eademque aëris temperie gaudet. Inter hanc, & Hiſpaniolam *Mona* inſula fontibus inſignis una cum reliquis Hiſpanis ſubeſt.

Lucayæ inſulæ à præcipua *Lucaioneque* dictæ, innumeræ ſunt: inſignes tamen XI. *Lucaioneque, Ciguа-*

guatai, Guanahani, Triangulo, Samana, Maiagnana, Ymeta, Cotomero, Curatèo, Abacòa, Bahàma. naſcitur hic planta incolis *Laruma* nuncupata, cuius folia ulceribus medendis iuvant.

Caribes ſic appellatæ, quod incolæ ſint anthropophagi; hos enim Americani *Caribes* vocant: poſitæ ſunt ad Orientem Antillarum: duplicique ſerie extenduntur: aliquæ à Septentrione in Meridiem tendunt & *Barlovento* nuncupantur; quia nimirum ſupra ventum poſitæ; aliæ ab Oriente in Occidentem extenduntur iuxta litus Americæ Meridionalis, & *Sottavento* appellatæ quia infra ventum. hic autem ventus flat ab Occidente in Ortum toto hoc tractu. ab indigenis *Alizèe* dictus. Primarum præcipuæ *S. Martino* aquarum ſalubritate, & Nicotianæ herbæ ubertate nobilis: primi tenuere Hiſpani, mox Galli, deinde Angli. nunc deſerta. *S. Bartolomeo*: eadem herba: & portu celebris. naſcitur hic quædam planta è fruticum genere, incolis *Manyoc* nuncupata in ſeptem ſpecies diviſa, quæ violas imitatur, optima: ex hac farinam, & panem album conficiunt. *Barbada* Angliæ paret. *S. Christophoro*, quæ partim Anglis partim Gallis parebat. quibus item ambobus ſubeſt *Guadalupe, Marta*: *Galant* montibus interciſa Gallis tantum; ut etiam *Martinica*. Tabago Hollandis ſubdita: quam anno 1628. Eſtræus depopulatus eſt. Reliquarum ſunt celebres *La Trinità, Margarita*, & *Tortue*. Mira in omnibus his inſulis ſacchari feracitas, Nicotianæ ex qua pulverem *Tabacco* dictum faciunt, plantam Indi *Petùn* indigitant.

Gentes Barbaræ, & feroces, quibus parentum carne nihil delicatius: frequenti tamen noſtrorum commercio mollitæ. Et Chriſtianos ritus etiam nonnulli amplexati ſunt.

CA-

CAPUT IV.

De nova Gallia, ac regionibus Septentrionalibus.

Quidquid terrarum ſupra Floridam, Virginiamque ad fretum uſque, *Huſdon* dictum, porrigitur Nova Gallia à Gallis vocatur, & *Canadà* à fluvio adiacenti: quamvis Canada pars ſit totius regionis: hæc autem vaſta regio anno 1504. à Nortmandis piſcatoribus illuc tempeſtate deiectis, detecta fuit. anno tamen 1523. & ſequenti auſpiciis Franciſci I. miſſus Ioannes Verazzanus Florentinus. (Fato factum ut Italis inventoribus aliis Novus Orbis pateret) ut iter per Septentrionem in Pacificum Oceanum aperiret; ſed annona deficiente circa gradus latitudinis L. ſe vertit: Novamque Galliam tenuit, Francicique iuris fecit. Huius latiſſimæ provinciæ fines à Septentrionibus Boræi ſinus, & Groenlādia: terræque aliæ non dum ſatis notæ. à Meridie Virginia, & Florida, ab Occidente Novum Mexicum, & loca incognita. ab Oriente Atlanticus Oceanus. Montes præcipui in ea Nivoſi à nivium copia nuncupati: lacus ſuperior, Mare dulce. Lacus *S.* Ludovici. *d'Eric*, & *Puans*: Fluvii *Canadà* à noſtris S. Laurentii dictus; quia die feſto huic Divo ſacro prima Navis Gallica in eius oſtia ingreſſa eſt. *Saguenay*, & Triamnis; quod tres in unum confluant. Eſt præterea in terra nuper detecta ingens amnis, qui ſub lat grad. 48. oritur barbaris *Mechiſſipi*: Gallis magnus Fluvius, & *Colbert*, qui ad Septentrionalia alios excipit, quorum *F. S. Franciſco* è lacu ortus ſub lat. 52. deſcendit: antequam vero in Mexicanum ſinum per Floridam: (Hanc partem Novæ Galliæ recentiores attribuunt) irrumpat duo-

bus

bus oſtiis inſulam facientes:alium amnem & ipsũ magnum excipit: *Ohio*, & pulcher amnis appellatur. hic non dum ex toto luſtratus. Novæ Galliæ partes hæ recenſentur: ad Septentrionem *Nova Britannia*, *Eſtotilandia*, ſive Tellus *Laboratoris*. *Corterealis*, quæ ob ſoli ſterilitatem, & frigoris inclementiam parum cognitæ. Canada proprie dicta, cuius metropolis *nova Breſt*, Nova Gallia propriè dicta, cuius *Quebec* urbs egregie culta, & munita, ſita in colle, unde nomen; barbari enim tumulos *Quebec* vocant. cępta ædificari anno 1608. tranſmiſſa è Galliis colonia:arceque addita à Ludovico dicta, ubi præfectus ius dicit: Epiſcopatu item, & Academia inſignita. *Acadia*, cuius Portus Realis, *Port Royal*, ſtatione, & mercatu nobilis, arceque munita. Nova Anglia, cuius Londinum, Nova Hollandia, cuius *Aſtelodamum*, nova Suedia, cuius Chriſtiana. Præter has ad Occaſum, & Septentrionem vaſti tractus ſylvis denſiſſimi; ubi ferarum more homines vivunt; quare ſylveſtres à noſtris vocitati. in has gẽtes nuper Galli per memoratum amnem Mechiſſipum penetrarunt, & crebris caſtellis excitatis, gentes in fidem Galli regis accepere.

Quoad Cœli, terræque habitudinem attinet, etſi in eodem Galliæ climate ſita regio, frigidior tamen eſt, & inclementior: ut nonnumquam ſtrata barbarorũ corpora lapideſcant. Solũ, ubi Gallorum coloniæ inſederunt, quamvis vaporibus, ac ceſpitibus obſitum, excultum cum fuerit, abunde minutum triticum, & legumina progignit. In ſylvis duplex animalium genus, & frequens, & victui opportunũ, Agreſtes Cervi, *Orignac* vocant, & Caſtores. Orignacus, quem & *Eslan* vocitant, terreſtre animal: cuius caro ſive elixa, ſive aſſa Cervi ſaporem refert, magnitudine mulum, & capite

imi-

imitatur:collo tamen longiore, graciliori corpore, longis cruribus, pede biſurco, cauda nimis curta. nonnulli nigro pilo, & rubro: alii, glauco, & niveo: cornibus ramoſis, ceu cervus armatur: quorum pondus 150. libras pendet. multis obnoxium morbis præcipue caduco *Caprachuchi* barbari dicunt. ex hoc mirè ſe liberat: ſiniſtro pede ſub aurem ſe fricat, quoad uſque ſanguinem eliciat: quo emiſſo, venæ veluti ſectione facta, ſaluti reſtituitur. Mares grandiores, & æſtate ad eſum optimi veniunt: fœminæ verò hyeme, quæ geminos interdum enituntur. pellis bovina melior ad veſtes, & ſimilia conficienda. Caſtor amphibium animal, magnitudine inſtar arietis: pedibus tamen brevioribus: quorum anteriores, ceu manus facti: poſteriores veluti anſeris: cauda latior, ceu ſolea, & parvis ſquamis intecta, caro optima præcipue, ſi aſſetur. pellis ſubnigra, & interdum alba, quæ pluris æſtimatur. ferunt Caſtorem verſutia non inferiorem ſimiis, & longe dociliorem.

Quoad habitus, moreſque hominum attinet: triplex hic genus, indigenæ ſylveſtres dicti: ex Europa oriundi: & qui Europæo patre matre vero barbara nati ſunt hi rudiores, ac difformes ſunt, quam barbari ipſi, degenerante in peius natura. Ex Europa oriundi elegantiores, flavis capillis, atque ſtaturæ altioris ſunt: pacem univerſim amãt: nec niſi ad repellendos barbarorum incurſus arma ſumunt: religionem ſequuntur eius regionis, ex qua profecti parentes: Catholica cultior ob Gallorum potentiam, qui maiorem partem, & munitiorem poſſident. merces, quas diſtrahunt, pelles animalium, oleum Balænarum, ſalitos Aſellos: vel potius pro Vino, Aqua Vitæ, & manufactis commutant.

Barbarorum celebriores ſunt Hurones, & Iro-

quenſes: qui vaſtas ſylvas incolunt, & rigidiſſimum aerem:maximè Hurones,qui idcirco tuguria arctius texunt, & ſolidiori tegmine conveſtiunt.ſylvæ ingentes,ac profundæ arbores tantæ molis alunt, ut ex cortice integram navem compingant *Canot* vocant: Feræ innumeræ Orignaci, Caſtores,Lupi,Urſi, Cervi,Cuniculi albi, & nigri. ex his Caſtores in paludoſis infinitis pene agminibus errant. gentium una cura, una exercitatio, venatus eſt:Non informes adeo, ut fertur; nam præter longum,& incultum capillum,& glaucum colorem, ut Europęi à Natura non inſcitè ornati. crudi tamen, & bellicoſi: ducesque habent, qui fortiſſimi,*Sagamos* vocāt. Anthropophagi,nec Deos ullos eſſe credunt. qui prope Colonias Europæorum habitant mitiores, & religione imbui cœpti.

Ad Orientem Novæ Galliæ plures ſunt inſulæ, præcipua eſt Terra nova à Ioanne Verazzano detecta anno 1524. & acquiſita Galliarum regi:memorant tamen 20. ante annos à Normandis piſcatoribus inventam.Inſula vaſta,& inculta, & circum ſyrtibus aſpera: in quarum maxima *le gran banc* dicta Aſellorum piſcatio:ex quibus ſale conditis *baccalà* conficitur, perque varias provincias diſtrahitur præcipua habitatio appellata Placentia *Plaiſanſe* ab amœnitate ſitus nuncupata.incolæ Normandi, vel Cantabri. Inter hanc, & promontorium Acadiæ *Breton* dictum, ubi Verazzanus à barbaris devoratus, eſt Inſula *Del Capo Breton*, in qua portus, & arx S. Petri. ad Septentrionem eſt Inſula S. Ioannis nemoribus denſa,ad Meridiem *Sabde*.ad oſtia Canadæ Inſula Aſſumptionis,cuius portus *L'Orſi*,iuxta hanc inſulam mira Aſellorum fit piſcatio,

C A-

CAPUT V.

De regionibus circa Polum Arcticum.

PRima, quæ circa Polum occurrit ſupra Americæ Septentrionalia, eſt Groenlandia: ſic à Norvagis dicta à ſoli viriditate;quia nimirum lætis paſcuis abundet. Sit ne inſula, an pars continentis Borealis terræ non dum perſpectum. hanc autem detectam à Norvagis circa annum 770. vel ut aliis 982. ab nobili quodam viro Henrico, qui cum homicidii accuſaretur, in Thulem primùm, mox in Groenlandiam navigavit,annales gentis referunt. Miſſa mox colonia à Norvagia, ac leve novis colonis tributum impoſitum. qui cum rebellaſſent anno 1256.ſubmiſſi à rege Magno,verum anno 1389.ob ſævitiam Margaritæ reginæ deſitum à Mercatoribus illuc commeare,amiſsaque Groenlandia,neque amplius detecta colonia. cum vero alii, & alii navigaſſent,tandem anno 1636.detecta eſt fere tota tellus:diviſaque in Orientalem, *Oſterburg*, & Occidentalem, *Veſterburg*, prima Europæ finitima, ſecunda Americæ. quæ anno 1605. detecta fuit una cum Freto *Davis* dicto,& inſula *Combertantia*. Loca præcipua ſunt *Alunlongfioerd*, *Bearefioerd*, *Skogefioerd*, *Lormundſioerd*, *Neydenfioerd*

Solum ſabuloſum,& petroſum,& quoniam variis in locis fumat, credibile eſt Sulphuris ineſſe venas:arbores nullæ, at Urſi innumeri albi, & nigri, nigri terreſtres,albi etiam in mare excurrunt, piſceſque venantur. Sunt ſupra modum feroces. Canes tam magni, ut inſtar equorum currus trahant.mare Balęnis abundat. Gens humilis, & difformis viſu, colore glauco, odore gravi, ac fere

ſtolida. qui in Daniam advecti, numquam Danicam linguam didicere potuerunt: pelle veſtiuntur, quam tenuiſſimis nervis inſtar tunicæ conſuunt. venatione victitant, & piſcatu: ſinguli lintres ex oſſe Balænarum, & pelle factas palmula citiſſimè agitant, lintres acerrhæ perſimiles. arma iacula oſſe acuto armata. ad Fidem Chriſti venere anno 1189. ab Epiſcopo Henrico: ſed amiſſo commercio, ad Idola prolapſi Solem, & Lunam adorant.

Ad Orientem Groenlandiæ eſt tellus dicta *Spitzberg*, à crebris montibus arenoſis, detecta ab Hollandis anno 1596. tellus VIII. gradus à Polo diſtat, ſterilis inhabitabilis, neque arbores naſcuntur. mare Balęnarum refertiſſimum. hinc Septentrionales piſcatum conveniunt menſe Maio, redeunt Auguſto, & Septembri: Sol quatuor menſes ſupra Horizontem vertitur. Vere, & Autumnò turbines & tempeſtates horrendæ, & frequentes ſunt. nobis à perpetua nive Niphadia appellata Halieuticorum VII.

Pictones, Armoricique, tenent quique alta nivales
Litora Norvagi, Batavuſque ferocior, & qui
Diviſi è toto penitus ſunt Orbe Britanni,
Arctoam ſupra metam, propiuſque ſub axem
Niphadiam veniunt, vicinaque litora, magni
Qua nive perpetuò montes ſtipantur acuti.
Huc autem properant piſcatum maxima Cete,
Exiguas ubi ſolſtitio Sol fecerit umbras:
Nam tunc Oceani tandem concreta liqueſcunt
Cærula, continuò cum Sol verſatur in Orbem
Alta ſuper maria, & numquā caput æquore condit,
Ni tribus exactis per multa volumina ſignis.

Sequitur ad Orientem iuxta Moſcoviæ litora Nova Zemia, ſic ab Hollandis dicta, quaſi nova via, *Nova Zembla*, cum enim hi novum iter, ac com-

compendiarium ad Sinas,& Iapones per Glaciale Oceanum quærerent,in has terras pervenere anno 1594. Eſt igitur terræ tractus non dum exploratus,inſula creditur,qui à latitud. grad.70. in Septentrionem excurrit, ad Meridiem eſt tellus *Vaigaſt* appellata, quæ inſula traditur à Nova Zemia diviſa: Hanc inter Novam Zemiam, & Moſcoviæ continentem ingens fretum patet, quod dierum 50, quibus glacies ſolvuntur,ſi tranſmittatur, in Scythicũ mare pervenitur, quo in *Sinas*, & Iapones brevis eſſet navigatio. Verum toto pene anno illud occludunt perpetuæ glacies, quæ dum ſolvuntur,tonitrua,cęlique fragores referunt,ſi non & ſuperant. quapropter non ſine ingenti periculo tranſmitti vel tunc poteſt:& quidem parum abfuit quin Batavorum naves infringerentur.

Samoiedæ quotannis æſtate in has terras commigrant, hyeme in Moſcoviam redeunt: quare hinc in Americam primos transfretaſſe putat Furnerius, eum proximæ regiones Groenlandiæ non multum ab Americæ oris Septentrionalibus diſtent.

Loca præcipua Novæ Zemiæ ſunt Promontorium Septentrionale, D. Laurentii, ora item D. Laurentii. Promontorium *Mucherons*, & *Grave*. Freti amplitudo varia: aquæ ex Occidente in Orientem fluunt,& ob fluvios *Scythiæ*, Sarmatiæque,longe etiam à litore dulces.Cœlum perpetuo rigore, & hyeme riget, ut vel Auguſto menſe intolerabile frigus Batavi ſentirent. Solum ſterile, urſorũ tantum fęcundũ. Gentes,quæ circa fretum habitant ſtatura breves, capite amplo, ore patulo,oculis exiguis:fere imberbes,colore nigricant uno verbo turpes viſu: at Samoiedæ turpiore ſunt.pelle vituli marini veſtiuntur, naviculis pi-

 ſcan-

ſcantur, adeo levibus, ut quiſque navem ſuam, & remos in humeris ferat, cum glacies tranſmittunt. Idololatræ omnes Solem, & Lunam adorant, & arborum truncos, quos ipſi in humanam effigiem male elaborant. piſce victitant, imo & ex oſſibus Balænarum caſas, ſive tuguria compingunt, arma, veſtes, & oleum, quare nos Halieuticorum VII.

Qualis ad Arctoos ſeptem damnata Triones
Gens inculta virum glaciali cingitur unda.
Hic quia perpetuis candeſcunt arua pruinis,
Atque navem totos per menſes aëre ningit,
Nulla Ceres flavo conveſtit culmine campos,
Non latis Pomona comis, non palmite Bacchus
Umbrat humū viridi: & ſquallentes nulla per agros
Depaſcunt armenta: leves canentia tantum
Æquora, perque nives, decurrunt undique cani,
Et eadem duris minitantur dentibus Urſi.
Idcirco gens illa cibos, & cætera vitæ
Commoda venatu inquirit ſtudioſa ferarum:
Omnis & in caſa ſpes vitæ gentibus Orca eſt.
Agreſtes è pelle caſas: è pelle carinas
Compingunt: ſunt oſſa trabes: quæ litore fixa
Suſtentant muros, pellitaque tecta domorum.
E tenui veſtes aptant ſibi pelle, feroſque
In cultros dentes acuunt: pinguedine lychnos
Implent, & longas evincunt lumine noctes.
Ante focum reliquos artus, & viſcera ſiccant:
Et ſiccata molunt, faciuntque è polline quadras.
Non cu[illegible] quibus Cerealia dona repenſent.
Scilicet ipſa homines ſolertes fecit egeſtas.

Ad Septentrionem Iaponiæ, ad Occidentem vero Americæ eſt ingēs Tellus *Ieſſo*, & *Eſo* vocitata, detecta fuit ab Hollandis anno 1643, ſita eſt inter gradum latit. 43. & 48. min. 30. ſupra adhuc ignota iacet. notiora loca ſunt Promontorium *Eureen* Auſtrale: pagi *Sivarca*, & *Tacapſi*, oppidum

Ma-

Matomey, Antonianus Picus. Freta *Piechum*, & *Vienſe*: inter quæ inſula iacet dicta *des Eſtats*, nimirum Provinciarum. ad Orientem huius Tellus Societatis. Supra incluſum mare panditur, & promontorium Patientiæ. quæ gentes terras incolunt Pigmæorum de genere, longis tamen capillis, & barba, ut totum fere os obtectum ſit; hinc terribiles, atque informes apparent, & eo magis quia oculis nigris, colore glauco, fronte ſint patula. tum viri, cum fœminæ argenteis inauribus & annulis ornantur. cæterum non tam barbaræ, ut viſus fert: exteros amant, commercia facile ineunt. & Iaponicos mores ſapiunt; quare facile crediderim ex Iaponia primum transfretaſſe. religio adhuc ignota, ſed facile Idololatria gentes infecerit. Agriculturæ nullæ apud gentem uſus, piſcationi ut plurimum vacat: carne Balęnarum, aliorumque piſcium victitat, & herbis ſponte provenientibus. qui ad Septentrionem habitant, caput, Iaponico ritu radunt, ac eodem prorſus modo veſtiunt; illis tamen minime ſimiles. navigãt lintre monoxyla: Balęnas, & alios piſces oſſeis harpagonibus venantur ferrea acie armatis: merces, quas diſtrahunt Iaponibus oleum Balęnarum, linguas fumo ſiccatas, avium plumas, & ſtoreas. contra Iapones, qui ſemel in anno ad Mercatum conveniũt, orizam, ſaccharum, veſtes, & vaſcula Iaponica, inaures, aliaque.

Ferunt Monachum quemdam Mathematicum ope Cacodæmonis in Polum Terrę delatum: ibique vidiſſe ingentem rupem Magneticam, circa quatuor inſulas, per quas quatuor Euripis Oceanum rapidiſſimo curſu, impetuque violentiſſimo deſcendere, illius autem aquas numquam cõgelaſcare, etiamſi circa totus concretus ſit. circa verò rupem altiſſimis aquarum fluctibus æſtua-

re;ut interdum rupem totam occulere videatur: mox profundiſſimis vorticibus ad Tartara reſorberi,clangore,fremituque horrendiſſimo.

CAPUT VI.

De America Meridionali, & primum de Caſtella aurea.

AMerica Meridionalis in trianguli ſpeciem à Panamæ Iſthmo in Antarcticum polum excurrit: cuius Baſis à Panama per Auream Caſtellam ad Braſiliam tendit: unum latus Orientale per ipſam Braſiliam: alterum Occidentale per Peruuiam in Magellanicum fretum,ubi trianguli vertex: A Septentrione, & Oriente Atlantico Oceano,*Mar del Nort*, ab Oriente Pacifico, *Mar del Zud*,à Meridie Freto Magellanico, quo ab Auſtrali inſula ab igne dicta dividitur. Fere tota in Zona Torrida poſita eſt; extrema cuſpide in temperatam Auſtralem excurrente. ſita inter Parall: Borealem XII,& Auſtralē LIV. inter Meridianos 292,& 349. Primi, qui hanc nobis aperuere Columbus tertia navigatione anno 1497, & Petrus Alauza,qui plurima luſtravit:at qui famam adepti Vincentius Pinzonus, qui trans æquatorem navigavit:Americus Veſpucius:Franciſcus Pizarrus,qui Peruuiam ſubegit.Gonzales Pizarrus,qui in Amazones venit:tandem Ferdinandus Magallianes, & Iacobus *le Maire*, qui freto tranſmiſſo novum iter aperuere. Provinciæ, in quas dividitur,ſunt Caſtella aurea *Caſtiglia del Oro*, Guiana ſive Caribana,Braſilia, Paraguayia , Peruvia, Chile,Tellus Magellanica.

Caſtella aurea ab una illius parte Uraba dicta, ob Aurifodinas, appellata. illius termini ſunt à

Sep-

Septentrione Oceanus: ab Oriente Guiana, & Caribana, à Meridie Amazonum regio & Peruvia: ab Occidente Pacificum mare. regio montibus frequens, quorum celebres ſunt Nivoſi *Sierra Nevada*. Fluvii *S Giovanni, Rio Grande*, in quem influit *Antavay*. *Orinoque*, ſive *Paria*, qui ad Occidentem auctus *Berſquizem* amne in Oceanum irrumpit. Provinciæ vero, in quas vaſtum regnum diſtribuitur, ſunt Panama regio: cuius caput *Panamà* in Iſthmo ad Meridiem ſita, portu commodo cum magni fervent æſtus: nam cum ſubſidunt aquæ, in ſicco ſtant naves, quæ Hyemis tempore ad proximum portum *Perica* ſtationem habent. Domus duplici contignatione factæ, civium capita ad DC. ab Anglis non ſemel direpta. Epiſcopi ſedes, qui Limano Archiepiſcopo ſubeſt. eſt præterea ad Septentrionalem Oceanum urbs *Nombre de Dios*. Secunda eſt Carthaginis regio, cuius Carthago princeps urbium in litore Septentrionali. Sic dicta ob ſimilitudinem ſitus cum Carthagine Hiſpana: cuius portum inſula tegit, ac tutatur: ipſa in peninſula ſita eſt amœna, & commoda; iſthmus, quo continenti adhæret, eſt paſſuū 250. ædificia ad Hiſpaniæ morem facta, & egregie culta, Epiſcopatu gaudet. qui Archiepiſcopi *S.* Fidei *de Bogota* ſubiectus eſt. Hic olim pagus piſcatorum bellicoſiſſimorum, quos nonniſi magna ſuorum clade ſubegit Petrus Heredia anno 1532. ferunt in pugna fœminam unam Indam octo Hiſpanos obtruncaſſe. Tertia regio *S.* Marthæ, ab Urbe cognomine, quæ ad mare ſita portu nobilis, & Epiſcopatu ſupra memorato Archiepiſcopo ſubiecto. Quarta eſt regio fluminis Hacha exigua, & præter oppidum in colle, & portum non longe poſitum, nihil memoratu dignum habet. Quinta *Venezuela* regio: cuius urbes *Cara-Va-*

lenzuela, & *Noſtra Dama de Carvadela*. prima in lacu inſtar Venetiarũ fundata eſt, ampla, & dives: Epiſcopus, ad Archiepiſcopum S. Dominici pertinet. Sexta *Camana* ab urbe *Camana*: Septima Paria, quæ prima à Columbo deteƈta, nunc parum nota: Oƈtava *Nova Andaluſia*. Nona *Nova Granata*, cuius urbs metropolis *S. Fè de Bogota* ad radicem montis ſita non longe à lacu Gutavia. ampliſſima inter Americanas, & populorum refertiſſima Archiepiſcopatu gaudet, & Academia.

Vaſtiſſimi huiuſce traƈtus aër varius, ad litora humidus, & non ſanus, in Mediterraneis ſalubrior. tellus paſſim montibus aſſurgit: alicubi tantæ fertilitatis, ut triticum bis ferat, alibi verò omnino ſterilis: valles pecuariis, amnes piſcibus abundãt: in multis aquæ ſaluberrimæ, in aliis verò noxiæ: Comanæ oculos lædit; illius qui Darien urbem præterluit, cum exundat, roſpos in ſtagnantibus generat. *Sylvæ* Leonibus, Tigribus, aliiſque ferocibus feris inhabitantur. Hominibus æreus color, nigrum capillitium, & hirtum, inque ſuperciliis pauci admodum pili, ante Hiſpanorum adventum nudi incedebant, teƈtis tantum pudendis, vel cucurbitæ cauda, vel conchyliis: nunc humaniores, tenui panno amiciuntur. Natura violenti, choreiſque, & crapulis ſupra morem indulgent: plurimi corvis, cicadis, lacertis, Veſpertilionibus, & quod mirum magis eſt araneis veſcuntur: uſque adeo in ferarum naturam degenerant homines cum ſe ſemel humanitate exuerunt. Mulieres domeſticis vacant, & agrorum cultui, maxime cum viri bella cum finitimis gerunt. In Montibus Aurifodinæ, quas Hiſpani exhauſere plures alii, & auri, argenti, & æris in ſecretis eſſe inditio ſunt aquæ fluviorũ, quæ hiſce divites fluunt. Superiori ævo maria unionibus

abun-

abundabant, in præſentia rari admodum inveniuntur. Eſt quædam arbos, quæ inciſa balſamum ſtillat, Ægyptio præſtantius. venena ex herbarum ſucco, & ſerpentum ſanguine conficiunt. quibus illitæ ſagittæ, ſi quem vulneraverint citiſſime necant, niſi percuſſum membrum illico abſcindatur. Ditio tota Catholico regi ſubeſt, præter montana, ubi barbari locorum difficultate tuti libertatem ſuam tuentur: hi idololatræ, Solem marem Deum, Lunam fœminam adorant. reliqui Chriſtianis ritibus imbuti.

CAPUT VII.

De Caribana, Guiana, & Caienna Inſula.

CAribana, ſive Caribum regio, & *Guiana*, à Gallis Francia Æquinoctialis appellatæ, habent à Septentrione, & Ortu Oceanum, ab Occidente Auream Caſtellam, & terram incognitam à Meridie Amazonum regnum. Tellus montibus aſperrima, quorum præcipuus *Matavera*. Fluvii Paria, quo à Caſtella dividitur, *Vviapoco, Cayenna, Aperuacque, Cavio. Eſſekèbe.* Celebre promontorium *del Nort*. Caribana parum nota; & non niſi circa ripas fluviorum frequentius habitatur in tuguriis. Magis ignota Guiana, maximè in mediterraneis. huius principem urbem ferunt *Monòa el Doràdo*, cuius mèminit Hiſpanus quidam nomine Ioannes Martinez. hic hanc refert hiſtoriam anno 1531. ob crimina, quæ patraverat naviculæ impoſitus, fluvii arbitrio relictus. cumque diu navigaſſet ab indigenis captus, inque urbem, ubi *Inca* gentium illarum rex morabatur. urbem *Monoa* gens vocabat: ipſe ob ingentem auri copiam, & ſtatuas aureas addidit Hiſpano vocabulo cognomen *el Do-*

rado. illam magnam, opulentam, & frequentiſſimam, & ad lacus ripam ſitam, memorat: lacum verò inſtar maris amplum leucas 200. quem Geographi *Parimen* appellant. Verum hæc pro more gentis ab homine conficta, atque omnino fabuloſa ſapientiores credidere. Notiores populi in hoc terræ tractu, *Galibis*, & *Yaos*.

Regio ſita in Torrida Zona iuxta Æquinoctialem; temperie tamen gaudet propter ventos flantes ex Oceano: Guianæ aër ſanior. Solum cultui reſpondet, amnibuſque irriguum eſt: fontes nitidi, & ſalubres, præter quoſdam, qui ſerpentes, vermeſque venenatos progignũt. Fructiferæ arbores frequentiſſimæ: Ficuſque fructus ferunt magnitudine ovi, ſaporis verò egregii. frequens item Aloë, gens *Auperiebis* dicit, goſſypium, ſericum, balſamum, & Piper. Reperitur præterea quædam arbor, quæ pomum fert, *Mancenilla* dictum, viſu iucundiſſimum, ſed peſtiferum, vix guſtatum, ſtatim enecat. iuvat hìc monitum Poëtę meminiſſe:

Nimium ne crede colori.

Gentes corpore probè tornati. colore ſunt glauco, atque ingenio prompti, nudi ut plurimum. aliqui avium pennis invicem aſſutis pudenda tegunt: caputque eiſdem pennis in petaſi formam iunctis operiunt. *Tonſy* appellant. qui mediterranea colunt bellicoſi. *Galibis*, quæ amant Arma, Arcus, & Sagittæ. Caribes ſine lege, & religione vivunt: Guiani verò Idololatræ: Sacerdotes Pecaios vocitant: qui captivos ſacrificant, ut diis ſervitum eant. Reges habent, quibus ducibus in bellum proficiſcuntur. & *Caribes* quidem tanta vigilantia, & arte caſtra promovent, ut noſtris non cedant. *Galibis* ſatis cauſſarum habent, ut bellum indicant, ſi vicini ad tripudia invitati non venerint. Aurum, & Argentum parvi pendunt. vi-

rides autem lapillos ſtudioſè quærunt: his enim Epilepſiæ,& morbo caduco mederi credunt Gentium victus *Ozacù* genus placentæ ex ficis, quod aqua dilutum albeſcit ut lac:& *Caſſava*. quæ loco panis paſſim in America ex radice quadam fit,ex qua preſſa, aqua primum elicitur, alioquin venenoſa:aqua decocta veneno caret.at gratior cibus humana caro, quam vix igni admotam cupidiſſimè vorant.

Ad oſtia Caienni fluvii eſt *inſula* Caienna, in qua Galli coloniam poſuere anno 1652. addita arce à Ludovico XIII. appellata *Forte Luiggi*. capta ab Hollandis ſecundùm an: 1676, at eiecti ab Eſtræo anno ſequenti. Inſula fertilis, & amœna. Nicotianæque Herbæ dives.

CAPUT VIII.

De Braſilia, & Amazonum regno.

NOminis ethymologia ab arbore *Braſil* gentibus nuncupata, ex qua rubeus color elicitur,derivat:quę quidem appellatio prę illa valuit, qua,Regio S. Crucis vocitata à Petro Alvaro Capralio: qui in hæc litora tempeſtate eiectus, primus anno 1501. Braſiliam detexit: Termini à Septentrione, Oriente, & Meridie Oceanus: ab Occidente, incognita loca, & vaſtæ ſolitudines. regio tota litoralis: Nam mediterranea ob gentis ferociam prorſus inacceſſa:amnes nonniſi ad litora noti;magnique ex aquarum mole habiti, quales *Maranhon,Tapicuru, Marandahug, Siope, Rio di S.Franceſco,Rio Real,Rio Ianeiro*. Situs eſt in Torrida Auſtrali à Gradu II. uſque XXIV. trans Tropicum Capricorni,à Luſitanis,cuius Imperio ſubiecta,in XIV. præfecturas diviſa: quæ ab urbibus

prin-

principibus nomen mutuantur: præcipuæ *Maranhon*, *Parnabuco*, cuius *Olinda*, *le Rio Ianeiro*, cuius *S. Sebaſtian*, quæ quidem Epiſcopatu inſignes. Metropolis totius provinciæ, ſedeſque Prætoris Urbs S. Salvatoris, Archiepiſcopali ſede, cui memorati Epiſcopi ſubiecti, & Academia inſignis: ſita in colle non longe à litore, ubi portus cum arce nuper extructa. Prætor in Arce *S.* Antonii urbi adiuncta ius dicit: urbs ab Hollãdis anno 1623. intercepta, atque incenſa: ſequenti ab Hiſpanis, Federico Toletano Duce, recepta: & novis munitionibus inſtaurata: ædificia ex ligno: mœnia verò & arces ex lapide ædificata.

Aër, etſi Solis radiis accendatur, ventis tamen ab Oceano flantibus gratam temperiem præſefert: ſolũ pingue, & ferax: alicubi tamẽ nemoribus dẽſũ, & paluſtre: in ſylvis *Cocos* & *Braſiles* ex quibꝰ rubra tinctura frequẽtes ſunt: in planis Nicotiana herba: in paluſtribus cannæ, ex quibus ſaccharum exprimitur. gentis color ex glauco in viridem vergit: naſus ingens, & patulus: vultum foraminibus fœdant: in quibus virides lapillos inſerunt, quos morbos fugare credunt. Mulieres medias malas terebrant, & labrum inferius, quà Herbæ Braſilianæ fumus evaporat. nudi etiam pudenda præter quoſdam, qui Tigris, vel urſi pellibus ſeſe integunt: ſine lege, ac Politia vivunt, & veluti brutæ pecudes, nullo affinitatis diſcrimine, miſcẽtur, ut ne liberi quidem à matribus: nec à filiabus patres abſtineant. Ut venenatos ſerpentes vitent lectum inter arbores ſuſpendunt funibus è corticibus textis: ibĩque penduli dormiunt. Qui Luſitanis parent, humaniores facti, & Chriſtianis ritibus imbuti Cæterum gens bello, & venationi dedita: bello captos vorant, nec humana carne, quid delicatius eſſe putant, fœminas ad libidinem

ſer-

ſervant. Capita haſtis præfigunt pro trophæis, ſpolia in tuguriis appendent: hæc *Aldèes* vocant, quæ tam vaſtæ, ut quatuor tantum pagum componant. his verò ferociores, ac fortiſſimi quique imperant. ex Mediterraneis notiores *Tubinambi*, & *Margaiati*.

Amazonum regnum, Imperium nonnulli præ magnitudine vocant, clauditur à Septentrione Caſtella aurea, & Guiana, ab Oriente Braſilia, ab Occidente Peruvia, à Meridie regionibus, quæ ſunt circa Argenteum amnem. Situs eius in Torrida Auſtrali non longe ab Æquatore. Nomen hinc ortum: cum enim Franciſcus Orelhan anno 1542. Amazonum amnem ſecundo fluvio navigaſſet, in ripis belligeras fœminas aſpexit, progreſſuſque ulterius mixtim Viros, & mulieres armatos vidit: ac viris mulieres imperitare animadvertit: quod cum Carlo V. ſignificaſſet, vocatum eſt Amazonum regnum. Cæterum Amazonius amnis in montibus Peruviæ ortus non longe ab urbe Quito in Orientem, ac Septentrionem ruit: acceptiſque Aquarico, & Cutarayo, in Meridiem, variis Mæandris obvertitur: auctoque Maragnone ingenti fluvio, qui Peruviam findit, in Oriẽtem revertitur, variaſque inſulas perluit: longo deinde tractu, à Septentrionibus Suanam, & Nigrum amnem, à Meridie *Tetaun*, *Topyn*, *Maderam*, Tapoioſum, alioſque excipit: tandem immenſo alveo in Oceanum irrumpit, Braſiliamque ab Amazonibus dividit: circa oſtia innumeris pene inſulis incurſat, quæ impetum non parum retardant. ruit tamen, ingentique æſtu dulcibus aquis per mare fluit. Fluvii circuitum non minorem Leucarum 1800. plurimi crediderunt. Tellus populis frequens, & maxime culta. ferunt ex uno pago, alterius fremitum, & clamorem artificum exaudiri.

loca

loca parum nota niſi,quæ iuxta amnem ſunt: qualia *Corupa*, *Apania*, *Canſuara*, *Carabuyana*, *Mataia*, *Topinomaa*,aliaque.

Cœlum non tam calidum, quamvis propè Æquatorem ſit. Solum fertiliſſimum ob irriguos amnes,quibus alluitur: prata paſcuis ditia: valles amœnæ nitidiſſimis fontibus: immenſiſque arboribus opacæ.amnes piſcibus abundant, præcipue teſtudine,& vitulo: Medicarum herbarum campi refertiſſimi. Naſcitur *Toke*, & *Mandioke*, ex quibus panem gens conficit.præterea Cocus, Cedrus, Ebenum, Nicotiana, & Saccharum, quæ populorum præcipuæ merces: mira item Goſſypii copia, ex quo tenuiſſima velamina texunt, quibus ſe conveſtiant: reſina odorifera, & ingens vis Gummi. Muſcæ vero,& inſecta, quibus vexantur reliquæ Americæ regiones, hic nullibi reperiuntur. Gens mitior, & humanior, quam alibi, doli neſcia,& exterorum amans. Idola habent lignea lapideo ſcalpo facta,quæ adorant,nullis tamen cæremoniis. illos autem Deos ob hominum utilitatem in terris olim vixiſſe fabulantur. armis dediti, bellumque cum finitimis gerunt non calybe aut ferro, ſed ſagittis, & iaculo, quod tanta vi emittunt,ut corpus totum perfodiant.

CAPUT IX.

De Peruvia regno.

PEruuia, gentibus *Perù*, nobiliſſima Americæ pars,quæ divitiis ſuis univerſę Europæ famem explevit, ab Æquatore uſque ad Capricorni Tropicum longo tractu extenditur, à Septentrionibus Caſtellam auream ab Oriente Amazonas habet,à quibus præruptis montium jugis diſcluditur;

tur: à Meridie regionibus, quæ ſunt circa Argenteum amnem, & Chile, ab Occidente Pacifico mari terminatur. Montes præcipui *Quaquei*, & *Nivoſi*; lacus *Titicàca*, & *Olage*. Amnes *Dola*, *Tumbex*, *Xoxa*, *Deſeguaderus*, quo memorati lacus ſociantur. Univerſa autem regio in plures provincias diviſa, quarum celebriores ſunt *Quitus*, *Lima*, & *Charcas*. Quiti provincia, *S. Franceſco de Quito*, plures præfecturas complectitur, nimirum *Pcpayan* ab urbe eiuſdem nominis, cuius Epiſcopus Bogotæ Archiepiſcopo ſubiectus: *Canela*, quæ tota montibus aſſurgit: *Quinos*, in qua urbes amplæ, & inſignes *Baëza*, *Archidena*, & Hiſpal ab auro vocitatum: quæ Hiſpanorum coloniæ divites, ac frequentes. *Pacamoros*, cuius *S. Iago de las Montanas*, *Yguarſungo*, cuius *Loyola*. *S. Ioannes ad Salinas*, cuius Valliſoletum. Quitus proprie dicta in plano ſita Epiſcopi ſedes, qui Limano Archiepiſcopo ſubiectus, & Academia inſignis.

Limæ Provincia has complectitur præfecturas *Chiapiapoian*, cuius urbes amplæ *S. Ioan della Frontera*, & *S. Iago de las valles*. *Cuxum* ab urbe Cuſco Epiſcopatu, & Academia nobili. Hæc olim totius Imperii metropolis *a Mangocàpa* Peruviæ rege, *Incam* vocant, ædificata inter montes *Caremgam*, & *Guanacorem*: urbem medius amnis ex his defluens præterluit. maximum in urbe forum quadratum, quatuorq; lateribus ſeu viis quatuor Mundi cardines, ac præcipuas Imperii provincias aſpectans. inſigne olim Solis Fanum viſebatur, ubi Sacerdotes, *Characas* dicunt, Infantes Apollini immolabant. in hoc delubro Peruviæ Imperatores Idola populorum, quos ſubiugaverant, reponebant: putabant enim, diis obſidibus, manſuros ſub imperio populos. Tertia præfectura eſt Vallis *Vilcabamba* cuius, Victoria *S.* Fidei, *Caravaya*, cuius

S. Gio-

S.Giovan del Oro. Collas regio ad Septentrionem Titicaiæ, cuius *Collao*. Vallis *Quilea* cuius *Arequipa* Epiſcopalis. Vallis *Camana*, cuius *S. Michel dela Ribera*. Vallis *Ica*, cuius *Valverda*. Vallis *Chimo*, cuius *Trugillo* Epiſcopalis qui cum Anquipano ſubeſt Limano Archiep: Vallis Zana, cuius *Miraflores*. Vallis Limæ, ab urbe totius regni principe. hæc anno 1533. vel 1535. ut alii referunt, antequam in hæc loca Hiſpani adveniſſent, nihil niſi pauca Piſcatorum tuguria: quoniam verò ſitus opportunus, & ſolum fertile, aquiſque irriguum, placuit Hiſpanis urbem condere, cuius fundamenta iacta prima poſt Epiphaniam die, in cuius memoriam *los Reyes* dicta: ſed vetus nomen invaluit. urbs non ſatis ampla, ſed populorum refertiſſima. muris cinctam multi narrant: alii ſine mœnibus, ſed arce tutam, quam nondum completam aſſerunt. tormenta bellica 400. in propugnaculis locata perhibent. quæ ex duabus metalli partibus, ex tertia argenti fuſa ab Helvetiis Opificibus tradunt. ædes feneſtras non ad vias, ſed in hortos patentes habent, ipſæ humiles, & tapetis contectæ ad radios ſolis arcendos: Aqua, quam hauriunt optima, & contra Nephritim validiſſimum pharmacum. Civitas Archiepiſcopatu, & Academia inſignita, regióque tribunali, cui totius regni Prorex præſidet.

Provinciæ *Charcàs* dictæ tres ſunt Præfecturæ. *Chuquiabo*, cuius *la Paz*, cuius Epiſcopus Platenſi Archiep. ſubeſt. Vallis *Cochabamba*, cuius *Oropeſa* Platæ regio. cuius Plata Archiep. Charcus proprie dicta, cuius urbes ad mare *Tobiſo*, & *Arica* arce munita; quoniam hic, argentum, quod ex provincia extrahitur, in navibus imponitur, in Hiſpaniam deferendum. caput vero in Montanis *Potoſi* ad radicem montis ſita. Mons *Potoſi* etiam

ab

ab Indigenis nuncupatus: in plano inſtar coni aſſurgit, ambitus paſſum biſmille, altitudo vix mille continet. Solum circa ſterile, nec aliud niſi herba barbaris *Icho* appellata, naſcitur. at mons argento ditiſſimus, cuius fodinæ detectæ anno 1545. in quibus pluſquam viginti millia hominum argento eruendo, purgandoque laborant. Cœli qualitas varia in tam longo, diverſoque tractu: maritima ob ventos efflantes temperata: in montanis alicubi ſummus calor, alibi verò frigus riget: etſi loca in eadem latitudine poſita ſint. iuxta litora rari imbres: in montibus fermè continui: & nivis vis ingens. Aquæ ſalubres, & nitidæ. valles Cereri Sacræ frumentum hordeumque ferunt: nec fructiferæ deſunt arbores, quæ poma noſtris ſimilia progignant. apricis in collibus vineæ luxuriant: Equos non fert tellus, nec ſi aliunde afferantur, alit: ſtatim enim oculorum morbo corripiuntur. mox macie, nec ultra biennium vivunt. Gens exigua mole, animo puſillo, malegrata, levis, nec honoris ſtimulo tangitur: præſertim in campeſtribus: in montanis enim aſtuta, & laborioſa. mulieres formoſæ, quæque montana incolunt niveo pariter vultu: & quamquam occiput prominens, acutumque habeant, venuſtati non derogat. operi incumbunt etiam nudę non ſecus, ac viri. Nobiliſſimi quique adhuc antiquæ libertatis, ac dominatus veſtigia ſervant *Incarum*, & *Caciquum* appellatione: qua olim reges, ac dynaſtæ, præfectique provinciarum utebantur. quo tempore ſtatus Imperii ſuavi iugo, & ad modum Reipublicæ Romanæ ſimilis, apud gentes erat. Caciques in villis habitant: quos Hiſpani honores, ac titulos indulgentius habere ſinunt: ne animos vehementius irritent, inque turbas, ac defectionem illos provocent.

An-

Antequam Hiſpanis ſubicerentur, Idololatræ Solem,& Lunam venerabantur:quibus bello captos ſacrificabant. Nec tamen apud illos Mundi creatio,diluvium,futurumque extremum rerum omnium excidium omnino incomperta. ad hæc tempora paſſim Catholica religio, apud Peruuianos florentiſſima: præter reliquias Idololatriæ, quæ adhuc in montanis rudes, barbaroſque homines inficit. Regio tota Hiſpano regi paret, qui Proregem illuc mittit, & præſidia aliqua in arcibus tenet ad continendos in officio populos præſertim Caciques,qui in nihil vehementius intendunt, niſi dedita occaſione exterorum iugum excutiant.

Quoad antiquos reges attinet, qui longo tempore regnarunt, maximus vixit ad annum 1524. *Gunacapa* nomine: qui Quiti provinciam regno adiecit: hic fato decedens maiorem natum filium *Guaſcarem* hæredem aviti Imperii reliquit: minorem verò *Atabalipam* Quiti regem creavit. Hi ſeptem annos concordi fœdere regnarunt. mox dominandi cupidine incenſus Guaſcar Fratri bellum movit: quem poſt varias clades victum habuit:hic è manibus fraternis elapſus bellum integravit: hoſtemque ad *Tompepambam* ingenti clade cęcidit:captus Guaſcar, urbeque principe Cuſcho, & immenſis Parentis Theſauris *potitus* Atabalipa. At quia nulla in rebus humanis integra fęlicitas, eodem pene tempore invaſus ipſe à Pizzaro Caroli V. duce: comiſſaque ad *Caxamalcam* pugna, cæſus, captuſque eſt. Infelix princeps, ut ſe ab exteris redimeret, tot vaſa aurea,& argentea victori ſpondet, quot ſufficerent ad cooperiendum forum regiæ ædis Caxamalcæ: quęq; tanta altitudine aſſurgerent,quantam ipſe extenſo brachio æquaret, id victori, quod ſupra

vi-

vires viſum, ratum habitum. Gueſcar vero maiora ſpondet victori, quod cum ab Atabalipa reſcitum eſſet, cædi fratrem à ſuis juſſit. ira ob id percitus Pizzarus, illum crudeliter excruciari, occidique iuſſit, omnique auri, argentique theſauro potitus eſt. tantaque fuit divitiarum copia; ut quinta pars, quæ regi obvenit, fuerit quatuor centum millia Caſtellanorum: Equitatui contigerunt octo millia ſcutata aurea, & ſexcentum ſeptuaginta libræ argenti. Peditatui quatuor centum millia quatercentum quinquaginta Caſtellanorum: & biſcentum octoginta libræ argenti: Centurionibus quatuor mille ſcutata aurea, & argenti libræ triginta. Pizzarro maior pars data tamquam duci: cui & ex ſolido auro tabula lecti regii conceſſa. hæc pendidit vingintiquinque millia Caſtellanorum.

CAPUT X.

De Chilenſi regno, & Terra Magellanica.

AD Meridiem Peruviæ iuxta litora Oceani extenditur Chile: quæ vox indigenis frigus ſonat, à Septentrione Peruviam habet, à Meridie Magellanicam terram, ab Occidente Pacifico mari alluitur: ad Orientem prærupti, altiſſimiſque montibus clauditur: Andes vocant, qui Chilem ab regionibus circa Argenteum amnem ſeparant: hi montes perpetuis nivibus albent: vertices tamẽ ultra nubes aſſurgunt, tantuſque in his calor, ut è viatorum membris ſcintillet: qui ut tenuiſſimũ aërem refrigerent continuò naribus aquam admovent: ſecus enim interirent, ut ſæpe iumentis contingit. Longitudine tellus ſupra millia paſſuũ MCC. patet: latit: vero à litore Oceani ad extremos

mos montes millia paſſuum 250. ſitus eſt in Zona Auſtrali temperata non longe à Tropico Capicorni. hæc autem Americæ pars detecta fuit anno 1540. a Didaco Almagro: ſequutiſque temporibus, variis coloniis habitata: præſertim iuxta amnes, qui plurimi à montibus Orientalibus in Pacificum mare devolvuntur: inſigniores ſunt *Copiapo Guaſco, Topocalma, Molo, Ytaca, Biobo, ſoten, Tolten Valdivia*. Cæterum regio in plures valles, ſeu præfecturas dividitur, quæ ab urbibus nobilioribus nomen ſortiuntur. Urbes verò hæ *Serena* portu inſignis à Valdivia duce deducta anno 1544. *Mendoza* à Garzia Mendoza, parum frequens ob difficiles vias inter præruptos montium vertices perpetuis nivibus obſitos. *Santiago* Epiſcopatu inſignis, & Navali ad amnem Topocalmã; hinc frequens, & celebre Emporium deducta colonia anno 1541. à Petro Valdivia. Hoc duce anno 1550. poſita etiam Urbs à Conceptione dicta; ubi ſoliti ius dicere Chilenſes Præfecti. portus hic nobilis, quem obiecta inſula tutatur. *Infantes* urbs præſidio contra barbaros firmiſſima. Urbs Imperialis, ſic à Valdivia nuncupata Aquilarum augurio anno 1551. Epiſcopi ſedes. qui cum *S.* Iacobi Epiſc: Platenſi ſubeſt. *Valdivia* à Duce ſuo dicta, *Orſono* ſterili, & frigido ſolo poſita, ſed auro divite. Caſtrũ in inſula quæ *Chilue* incolis dicitur, quamque inter, & continentem ſinus inſulis, ſeu potius ſcopulis conſitus; quare vocatus *Arcipelago*.

Aër in Septentrionalibus calidus: in aliis verò, & præcipue in montanis adeò frigidus, ut viatores interdum enecet: nives, imbres, fulgura, & tonitrua frequentiſſima: Solum fertiliſſimum, omniaque ſatorum genera fert. arbores fructus præſtantiores, quam in Hiſpania producunt. in

val-

vallibus paſcua innumeris pecudum gregibus paſcendis aptiſſima. montes Tigres, Vrſos, ſtrutiones, noxiaque animalia in luſtris habent. Populi robuſti, & proceri: feroces item, & facile ita inflammantur tum caloris, tùm frigoris diu patientiſſimi: qui Hiſpanis parent humaniores, literiſque vacant: bellicoſi, & libertatis amantiſſimi. hinc ſæpe ad aſſerendam libertatem ad arma cõcurrunt: qui ſui iuris ſunt, duces eligunt fortiſſimos quoſque, ac robuſtiſſimos, qui diu ingentem trabem humeris ſuſtinuere. qui in coloniis, & in ditione Chriſtiani: reliqui Idololatræ humanique generis infenſiſſimum hoſtem Cacodæmonem adorant.

Ad Meridiem, uſque ad extremum Americæ angulum eſt Tellus Magellanica Patagonum dicta: *Patagònes* incolæ dicti, & gigantes habiti. fines à Septentrione Chile, & regiones circa Argenteum fluviũ, ab Occidẽte Pacificus Oceanus, ab Oriente Atlanticus, à Meridie Fretum Magellanicum: primum detecta à Ferdinãdo Magellano anno 1520, qui primus fretum tranſmiſit, verùm anno 1582. Didacus *Valdès* à Philippo II. miſſus coloniam deduxit, arcemque iuxta fretum ædificavit à D. Philippo dictam. at ob immenſa regionis frigora, utraque deſerta: nec tellus amplius explorata: dicitur etiam *Chica*: cuius incolæ, ut ferunt, tantæ proceritatis, ut novem, ac decem pedum menſuram impleant. ex quibus quidam ſeſquicubitales ſagittas citra nauſeam per guttur ad imum ſtomachum ingerũt. cymbis monoxylis fretum navigant: & piſcibus victitant, gens barbara, rudis ſine lege, & religione.

Fretum ab uno ad alterum Oceanum Leucarum 133. longitudine patet: minor latitudo unam æquat. aditus ex parte Orientis facilis: difficilis

verò ab Occidente, & Pacifico mari ob crebras rupes, quibus totum fretum ſciſſum eſt. Contra Ignea Tellus aſſurgit ab ignivomis montibus appellata: veteres Auſtralis continentis partem crediderunt: aſt anno 1616. inſula reperta à Iacobo *le Maire* Hollando; qui totam circumnavigavit; ingreſſus per fretum à ſe *le Maire* vocatum, quod inter illam, atque alteram inſulam interluit.

CAPUT XI.

De regionibus circa Argenteum amnem.

ARgenteus fluvius, quem indigenæ *Paraguaj* dicunt, detectus primum ab Americo Veſpucio anno 1501; & ſequenti anno à Ioanne *Solis* perluſtratus: qui illum de ſuo nomine *S*olis amnem vocitavit. anno 1525. Sebaſtianus Cabot Anglus felicius contra fluvii æſtum diù navigavit. à Didaco Garſia Luſitano propter nitidas aquas Argenteus appellatus, *Rio della Plata*; Plata enim Hiſpanis argentum ſonat. In latitudine Auſtrali graduum XV. lacus eſt ingens *Xaraye* barbaris appellatus: in quem ex Amazonum regno amnis ruit: hinc per longitudinem lacus in Meridiem lapſus ingenti ſane alveo innumeros recipit amnes: præcipui ex Oriente ſunt *Guexacapos*, *Parana*, *Vmay*, Niger amnis, barbaris *Vraguay*. ex Occidente *Omapuleas*, *Vgnatus*, *Pilcomayo*, *Parannamirus*, *Berneio*, *Zarcaranna*, tandem pluſquam centum auctus fluviis curſu milliariorum ferme 1650. peracto immenſo ſuperbus alveo mare ingreditur: oſtio lato millia paſſuum 120. mare diceres antequam in mare irrumperet: tanta venientis æquæ velocitas ut ad millia paſſuum CL.

trans

trans oſtium dulceſcat Oceanus. maximus profecto toto Orbe fluvius, qui varias inſulas diſciſſis alveis facit, & plurimas circa oſtium præterluit.

Quæ circa hunc amnem regio, & vaſtiſſima quidem illa, *Paraguay*, à fluvio ſumpta appellatione, vocatur. Illius termini ab Occidente Peruvia, & Chile: ab Oriente Braſiliæ mediterranea incognita: à Septentrione Amazonum regnum à Meridie Oceanus Occidentalis, & tellus Magellanica. Ad Septentrionem circa amnis fontes ſunt populi *Xarayes*: ad Orientem *Paraguaes*, & *Guaranies*, ad Occidentem regio *Sanctæ Crucis*, Montana, *de la Sierra*: & *Tucuman*. *Xarayes* adhuc ignoti latent. Paragues in plures item populos dividuntur, quorum hæc nomina *Guebreuſes*, *Survenſes*, & *Paiembosi*. huius tractus caput, immo & totius regionis urbs ab Aſſumptione nuncupata, Præfecti ſede, & Epiſcopi nobilis. *Guaranies* hos complectuntur *Pervacapabas*, *Anniriros*, *Potros*, alioſque, qui ad fidem Catholicam primum adducti: nunc tota regio devaſtata cum oppido *Olivero*. Ad Occidentem ſunt *Santani*, *Quiloaca*, *Chorruaes*. hic oppidum ad amnem ſitum, Hiſpanis *Siete Currientes*. Præfectura S. Crucis nomen ab urbe Epiſcopali mutuatur. In Tacumana populi *Tembues*, *Iurtes* oppida S. *Michele*, *S Iago del Eſtero*, *S. Trinidà de buonos Aires*. hæc duo Epiſcopis inſignia, qui cum reliquis *Paraguayanis* Platenſi Arch. ſubſunt.

Aër calidus, præcipue cum Sol Capricorni Tropicum perluſtrat. in Tucumana non magis, quam in Hiſpania fervescit, quamvis regio campeſtris, idque ob ventos: qui interdum, ita vehementes, ut arbores eradicent, domoſque ſubvertant hinc gens Troglodytarum more foveis inhabitat. Solum circa Argenteum amnem ob innumeros

alios, quibus irrigatur, fluvios, feraciſſimum: triticum ex Europa advectum mirifice crevit: inque tantam ſobolem advecti pariter excrevere boves, ut pelles in Hiſpaniam deferantur. vineis etiam lætiſſimi colles: auro tamen caret: nec niſi ferro, atque ære dives. Sylvæ Tigribus, ferocibuſque animantibus habitatæ, tanta frequentia, ut mirum dictu ſit. Gentes, quæ ad Æquatorem vergunt magnitudine Hiſpanis pares: quæ ad Magellanicam terram ſpectant, miræ proceritatis. Induſio ex goſſypio, vel lana, aut pelle inaurata, quam ex Hiſpania deferunt, ſeſe veſtiunt. Verum Patagones plumis pudenda tegunt; caputque operiunt. moribus faciles, ac mites: at ſi ſemel læſi, non facile conciliantur: ingenio tam rudi, ut ne literas quidem ediſcere potuerint. Arma, quibus pugnant ſupra fidem conſtantes, ac feroces, Arcus, Sagittę veneno, ut plurimum illitæ, & fundæ: caſæ humiles, & inter ſe proximæ: quibus integræ familiæ habitant. pagos ſæpibus è vepribus factis obvallant. hæ gentes magna ex parte Hiſpano regi parent: qui duobus Præfectis, quorum unus in urbe Aſſumptionis reſidet, alter in oppido S. Iacobi in Tucumana, rem adminiſtrat. Religio Catholica plurimum viget: in Mediterraneis verò adhuc, vel Idololatræ, vel ſine religione, & lege barbaræ gentes vivunt.

FINIS.

INDEX
CAPITUM
LIBRI I.

CAP. 1. *Quid ſit Geographia ; quid Terra globus. pag.* 1.
CAP 2. *Qui circuli in Terræ globo deſcribantur, p.*2.
CAP. 3. *De Zonis . pag.* 3.
CAP. 4. *De Meridianis, & Parallelis, longitudine, & latitudine Terræ , pag.* 5.
CAP. 5. *De climatibus. pag.* 7.
CAP. 6. *De diverſis Terræ habitatoribus . pag.* 12.
CAP. 7. *De quatuor Mundi Cardinibus, & de ventis. pag.* 14.
CAP. 8. *De variis locorum menſuris, deque amplitudine Terræ. pag.* 17.
CAP 9. *De Terraquei globi diviſione. pag,* 18.
CAP. 10. *De Oceano. pag.* 20.
CAP. 11. *De celebrioribus Oceani ſinibus. pag.* 22.
CAP. 12. *De Mari Mediterraneo . pag.* 23.
CAP. 13. *De Fretis, Euripis, & Boſphoris : inſuper & Iſthmis . pag.* 25.
CAP. 14. *De Globo, Mappis Geographicis, & diſtantia locorum inveſtiganda. pag.* 29.

LIBRI II.

CAP. 1. *De Montium altitudine. pag.* 37.
CAP. 2. *An montes magis accomodi ad mortalium uſum, an verò planities ſit. pag.* 49.
CAP. 3. *De Iſthmorum perfoſſione, an ſit poſſibilis. p.* 57.
CAP. 4. *An Freta ab exordio Mundi, an caſu facta. pag.* 59.
CAP. 5. *An olim Oceanus Navigatus; & de illius profunditate. pag.* 62.

LIBRI III.

CAP. 1. *De Prima Orbis parte Europa. pag.* 73.
CAP. 2. *De Hiſpania. pag.* 74.
CAP. 3. *De nova Hiſpaniæ diviſione pag.* 76.
CAP. 4. *De fluviis, montibus, urbibus Hiſpaniæ, deque gentium moribus, ſolique ubertate. pag.* 80.
CAP. 5. *De Gallia.* 83.
CAP. 6. *De recenti Galliæ diviſione. pag.* 87.
CAP. 7. *De Fluviis, montibus, urbibus præcipuis Galliæ: deque gentium moribus, ſolique ubertate. p.* 90.
CAP. 8. *De novo Belgio, ſive inferiori Germania.* 93.
CAP. 9. *De Inſulis Britannicis. pag.* 96.
CAP. 10. *De nova Maioris Britanniæ diviſione, urbibus, fluviis, cultuque ſoli, & gentis pag.* 98.
CAP. 11. *De Hibernia, & Thule. pag.* 102.
CAP. 12. *De Veteri Germania. pag.* 104.
CAP. 13. *De Fluviis, Sylvis, & montibus Germaniæ, deque eius antiquo ſtatu. pag.* 110.
CAP. 14. *De Germanico Imperio, pag.* 114.
CAP. 15. *De novis Germaniæ provinciis cis Rhenum. pag.* 116.
CAP. 16. *De Provinciis ultra Rhenum circa Danubium: & primùm de antiquo Norico, & Vindelicia. pag.* 119.

cap.

CAP. 17. *De Provinciis inter Rhenum, & Albim. pag.* 125.
CAP. 18. *De reliquis Germaniæ provinciis ad Balticum mare, & Cimbria Cherſoneſo. pag.* 130.
CAP. 19. *De Scandinavia peninſula, & Suediæ regno. pag.* 133.
CAP. 20. *De Sarmatia Europæa. pag.* 138.
CAP. 21. *De Polonia regno pag.* 140.
CAP. 22. *De exordio regni Poloniæ, ducatuſque Lituaniæ, ac Pruſſiæ: deque gentis politia. pag.* 145.
CAP. 23. *De Montibus, & Fluviis Poloniæ, Soli, Cœlique indole: necnon & gentis. pag.* 147.
CAP. 24. *De Moſchovia, ſive Alba Ruſſia. pag.* 151.
CAP. 25. *De Fluviis Montibus, Cœli, ac Soli indole. pag.* 156.
CAP. 26. *De Moſchorum regno, & gentis ritu, ac moribus. pag.* 160.
CAP. 27. *De Scythia Europæa, ſive Præcopenſi, & Taurica Cherſoneſo. pag.* 164.
CAP. 28. *De Scythiæ minoris regno, gentis, Soli, ac Cœli indole. pag.* 168.

LIBRI IV.

CAP. 1. *De Italia. pag.* 171.
CAP. 2. *De antiqua Italiæ diviſione. pag.* 175.
CAP. 3. *De reliquis Italiæ populis pag.* 178.
CAP. 4. *De Romani Imperii ortu, & Magnitudine. pag.* 184.
CAP. 5. *De Præſidiis Imperii, & urbe Roma. pag.* 191.
CAP. 6. *De Nova Italiæ diviſione. pag.* 195.
CAP. 7. *De Meridionalibus Italiæ Provinciis p* 202.
CAP. 8. *De Fluviis, & lacubus Italiæ. pag.* 222.
CAP. 9. *De Montibus, & Sylvis Italiæ. pag.* 228.
CAP. 10. *De Sicilia, Sardinia, Cyrne, cæteriſque inſulis Italiæ adiacentibus pag* 232.

CAP.11. *De Illirico, Pannonia, & Dacia.* pag. 240.
CAP.12. *De Hungariæ Regno. pag.* 243.
CAP.13. *De Tranſylvania, Valacchia, Moldavia, & Scythia Iſtriana. pag.* 249.
CAP.14. *De Boſna, Servia, & Bulgaria. pag.* 252.
CAP.15. *De Græcia antiqua. pag.* 255.
CAP.16. *De Macedonia veteri, & nova, deque Albania. pag.* 260.
CAP.17. *De Epiro, & Theſſalia veteri, & nova.* 264.
CAP.18. *De Ellade, ſive vera Græcia. pag.* 267.
CAP.19. *De Peloponneſo veteri, & nova* pag. 272.
CAP.20. *De montibus, & fluviis Græciæ, ſoli aëris, ac gentium indole. pag.* 276.
CAP.21. *De Creta, & Inſulis Græciæ adhærentibus. pag.* 281.
CAP.22. *De Thracia veteri, & nova. pag.* 288.
CAP.23. *De Urbe Byzantio, atque Imperio Conſtantinopolitano. pag.* 293.
CAP.24 *De Imperio Turcico, & gentis origine, ac moribus. pag.* 295.

LIBRI V.

CAP.1. *De Aſia nomine, ſitu, magnitudine, ac diviſione. pag.* 301.
CAP.2. *De Minori Aſia latiſſime accepta. pag.* 303.
CAP.3. *De Anatolia nova diviſione, ac ſtatu. pa.* 309.
CAP.4. *De Cypro, Rhodo, & Sporadibus inſulis. p.* 312.
CAP.5. *De Maiori Armenia, Colchide, Iberia, & Albania, novaque Turcomania, & Georgia. pag.* 318.
CAP.6. *De veteri Syria, & eius partibus. pag.* 324.
CAP.7. *De nova Syria pag.* 331.
CAP.8. *De Meſopotamia, Aſſyria, & Caldæa. pa.* 334.
CAP.9. *De Aſſyria regno, primaque Mundi Monarchia: novoque Terrarum ſtatu.* 337.
CAP.10. *De Arabia veteri, & nava. pag.* 341.

cap.

CAP. 11. *De Veteri Perſia. pag.* 349.
CAP. 12. *De Perſarum regno, ac ſecunda Mundi Monarchia. pag.* 353.
CAP. 13. *De noua Perſiæ diviſione, gentium more, ac Cæli, Solique indole pag.* 357.
CAP. 14. *De antiqua Scythia, eiuſque diviſione. p.* 361.
CAP. 15. *De Tartaria, & eius partibus.* 364.

LIBRI VI.

CAP. I. *De veteri India. pag.* 370.
CAP. 2. *De noua Indiæ diviſione, & primùm de Mogolis Imperio. pag.* 373.
CAP. 3. *De veteri, ac novo Indorum regno, ſoli, ac gentis Indole pag.* 376.
CAP. 4. *De India peninſula Occidentali, & Luſitanorum regno. pag.* 378.
CAP. 5. *De reliquis Indiæ regnis ad Orientem poſitis. pag.* 382.
CAP. 6. *De Tapobrana, & Maniolis inſulis. pag.* 386.
CAP. 7. *de Sindis Inſulis. pag.* 389.
CAP. 8. *De Moluccis Inſulis. pag.* 392.
CAP. 9. *De Philippinis, & Marianis inſulis, Noua Guinèa, & Salomoniis. pag.* 394.
CAP. 10. *De veteribus Sinis, & novo China regno. pag.* 398.
CAP. 11. *De Sinarum regibus, inſignibus, & tumulis, pag.* 403.
CAP. 12. *De Fluminibus, Montibus, Soli aëris, ac gentis qualitate, atque mirabili Sinarum muro p* 405.
CAP. 13. *De Corèa peninſula, inſuliſque circa Sinas. pag.* 412.
CAP. 14. *De Iaponicis inſulis. pag.* 415.

LIBRI VII.

CAP. 1 *De Africæ nomine, ſitu magnitudine, ac diviſione. pag* 419.

CAP 2. De Ægypto, eiusque veteri, & nova diviſione. pag. 421.
CAP. 3. De Nilo amne. pag. 424.
CAP 4. De Africa provinciis, Septentrionalibus, cis Atlantem, ſive Barbaria. pag. 427.
CAP. 5 De Atlante, Gatulia & interiori Libya. 432.
CAP 6 De Nigritis, Nigro amne, & Guinèa. pag. 434.
CAP 7. De Æthiopia, & primū de Nubiæ regno. 441.
CAP. 8. De Abyſſinorum Imperio. pag. 443.
CAP. 9. De Arabia Troglodytica, Azania, Barbaria: & inſulis Africæ Orientalibus. pag. 447.
CAP. 10. De Æthiopia interiore, & primùm de Congi regno, & inſulis Oceani Æthiopici. pag. 453.
CAP. 11. De Cafris, & Monomotàpa. pag. 457.
CAP. 12. De Inſulis Oceani Atlantici. pag. 460.
CAP. 13. De Animantibus, & Monſtris Africæ. 462.

LIBRI VIII.

CAP. 1. De America. 467.
CAP 2. De Nova Hiſpania, novo Mexico, & California Inſula. pag. 470.
CAP. 3. De Florida, Virginia, & inſulis Mexicani ſinus. pag. 474.
CAP 4. De Nova Gallia, & Regionibus Septentrionalibus pag. 479.
CAP. 5. De regionibus circa polum Arcticum. p. 483.
CAP 6. De America Meridionali, & primum de Caſtella aurea. pag. 488.
CAP. 7. De Caribana Guiana, & Caiēna inſula. p. 491.
CAP. 8. De Braſilia, & Amazonum regno. pag. 493.
CAP 9. De Peruviæ regno pag. 496.
CAP. 10. De Chilenſi regno, & terra Magellanica. 501.
CAP. 11. De Regionibus circa Argenteum amnem. pag. 504.

FINIS.

Sci-

Scipio Cacciuttulus Præpoſitus V. Provincialis Societatis Ieſu in Regno Neapolitano.

CUm Librum, cui titulus *Univerſalis Geographiæ Elementa* in Collegio Neapolitano *S. I.* à Viris Nobilibus expoſita, & demonſtrata, Præſide Nicolao Parthenio Giannettaſio E. S. aliquot Societatis Theologi viderint, atque in lucē edi poſſe probaverint, poteſtate nobis facta à Patre noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos editio librorum ſpectat, ita videbitur. Datum Neap. VI. Kal. Iun. 1691.

Scipio Cacciuttulus.

Rev. Canonicus D. Antonius Matina videat, & in ſcriptis referat. Hac die 10. Maii 1691.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

EMINENTISS. DOMINE.

LIbrum à R. P. Nicolao Giannettaſio lucubratum, cuius Epigraphe, *Univerſalis Geographiæ Elementa*, oculis, & mente cum maxima animi voluptate peragravi. In illo enim notandum cenſui eruditionem non vulgarem, brevitatem minimè obſcuram, methodum valde perfectam; & ut unico verbo abſolvam, tanto dignum Opus Auctore.

Ab

Ab cuius ingenio, quod ambidexterum dixeris, quicquid uſque adhuc ſeu proſa, ſeu carmine concinnatum in lucem prodiit, communi Literatorum laudationibus,& plauſu fuit exceptum: Simileque fatum præſenti Operi, in quo nihil probis moribus, vel Catholicæ Religioni officiens continetur, imo Lectoribus quam utillimo, cum typis, Te Eminentiſs. Domino iubente, fuerit excuſum, iure meritoque expectandum. Hæc mea ſententia. Attamen illam Tuæ Eminentiſs. Dominationis exactiſſimo iudicio libentiſſime, & cum ea me ipſum ſubmitto. Neap. 25. Ianuarii 1692.

Obſequentiſs. & deditiſs famulus
Canonicus Antonius Matinas.

Viſa ſuprascripta relatione Imprimatur. hac die 14. Februarii 1692.

JOANNES ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

Magn. V. I. D. Ioſeph Valletta videat, & in ſcriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. MIROBALLUS R. JACCA R.

Proviſum per S. E. Neap. die 10. Maii 1691.

Anaſtaſius.

EX-

EXCELLENTISS. DOMINE.

Diligenter, accuratèque tuis obſequens, ut par eſt, iuſſibus, legi *Univerſalis Geographiæ Elementa* doctè, eruditèque conſcripta ab admodum Rev. Patre Nicolao Parthenio Giannettaſio Neapolitano è Soc. Jeſu, qui penè totum, quem nunc deſcribit, Terrarum Orbem immortalibus editis de Re Nautica, Piſcatoriaque Poematis Gloriæ, famæque ſuæ theatrum conſtituit. Cumque in eis non modo nihil adverterim, vel bonis moribus alienum, vel Regiæ obnoxium juriſdictioni; verum etiam ſanè, ſolidæque doctrinæ, multigenæque eruditionis theſauros compererim opulentiſſimos, tamquam ſtudioſæ Mathematicarum Artium juventuti maximopere profutura, publicæ uſuram lucis mereri arbitror. Meam tamen hanc qualemcumque ſententiam doctiſſimo, ſagaciſſimoque judicio tuo, utpotè qui Matheſeos, ac præſertim Geographiæ ſtudio, Principe ſanè digno plurimum delectaris, libentiſſimè ſubmitto. Neapoli IX. Kal. Martias Æræ Chriſtianæ anno 1692.

Excell. Tuæ.

Humillimus, & Addictiſs. Servus
Joſephus Valletta.

Imprim. verum in public. ſervetur Reg. Pragm.

SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROB.R.
JACCA R.

Proviſum per S.E.Neap.die 12.Martii 1692.

Anaſtaſius.

Er-

verò ab Occidente, & Pacifico mari ob crebras rupes, quibus totum fretum ſciſſum eſt. Contra Ignea Tellus aſſurgit ab ignivomis montibus appellata: veteres Auſtralis continentis partem crediderunt: aſt anno 1616. inſula reperta à Iacobo *le Maire* Hollando; qui totam circumnavigavit; ingreſſus per fretum à ſe *le Maire* vocatum, quod inter illam, atque alteram inſulam interluit.

CAPUT XI.

De regionibus circa Argenteum amnem.

ARgenteus fluvius, quem indigenæ *Paraguaj* dicunt, detectus primum ab Americo Veſpucio anno 1501; & ſequenti anno à Ioanne *Solis* perluſtratus: qui illum de ſuo nomine *S*olis amnem vocitavit. anno 1525. Sebaſtianus Cabot Anglus felicius contra fluvii æſtum diù navigavit. à Didaco Garſia Luſitano propter nitidas aquas Argenteus appellatus, *Rio della Plata*; Plata enim Hiſpanis argentum ſonat. In latitudine Auſtrali graduum XV. lacus eſt ingens *Xaraye* barbaris appellatus: in quem ex Amazonum regno amnis ruit: hinc per longitudinem lacus in Meridiem lapſus ingenti ſane alveo innumeros recipit amnes: præcipui ex Oriente ſunt *Guexacapos*, *Parana*, *Vmay*, Niger amnis, barbaris *Vraguay*. ex Occidente *Omapuleas*, *Vgnatus*, *Pilcomaya*, *Parannamirus*, *Berneio*, *Zarcarauna*, tandem pluſquam centum auctus fluviis curſu milliariorum ferme 1650. peracto immenſo ſuperbus alveo mare ingreditur: oſtio lato millia paſſuum 120. mare diceres antequam in mare irrumperet: tanta venientis æquæ velocitas ut ad millia paſſuum CL.

trans

trans oſtium dulceſcat Oceanus. maximus profecto toto Orbe fluvius, qui varias inſulas diſciſſis alveis facit, & plurimas circa oſtium præterluit.

Quæ circa hunc amnem regio, & vaſtiſſima quidem illa, *Paraguay*, à fluvio ſumpta appellatione, vocatur. Illius termini ab Occidente Peruvia, & Chile: ab Oriente Braſiliæ mediterranea incognita: à Septentrione Amazonum regnum à Meridie Oceanus Occidentalis, & tellus Magellanica. Ad Septentrionem circa amnis fontes ſunt populi *Xarayes*: ad Orientem *Paraguaes*, & *Guaranies*, ad Occidentem regio *Sanctæ Crucis*, Montana, *de la Sierra*: & *Tucuman*. *Xarayes* adhuc ignoti latent. Paragues in plures item populos dividuntur: quorum hæc nomina *Guebreuſes*, *Survenſes*, & *Paiembosi*. huius tractus caput, immo & totius regionis urbs ab Aſſumptione nuncupata, Præfecti ſede, & Epiſcopi nobilis. *Guaranies* hos complectuntur *Pervacapabas*, *Anniriros*, *Potros*, alioſque, qui ad fidem Catholicam primum adducti: nunc tota regio devaſtata cum oppido *Olivero*. Ad Occidentem ſunt *Santani*, *Quiloaca*, *Chorruaes*. hic oppidum ad amnem ſitum, Hiſpanis *Siete Currientes*. Præfectura S. Crucis nomen ab urbe Epiſcopali mutuatur. In Tacumana populi *Tembues*, *Iurtes* oppida S. *Michele*, *S Iago del Estero*, *S Trinidà de buenos Aires*. hæc duo Epiſcopis inſignia, qui cum reliquis *Paraguayanis* Platenſi Arch. ſubſunt.

Aër calidus, præcipue cum Sol Capricorni Tropicum perluſtrat. in Tucumana non magis, quam in Hiſpania ferveſcit, quamvis regio campeſtris, idque ob ventos: qui interdum, ita vehementes, ut arbores eradicent, domoſque ſubvertant hinc gens Troglodytarum more foveis inhabitat. Solum circa Argenteum amnem ob innumeros

alios, quibus irrigatur, fluvios, feraciſſimum: triticum ex Europa advectum mirifice crevit: inque tantam ſobolem advecti pariter excrevere boves, ut pelles in Hiſpaniam deferantur. vineis etiam lætiſſimi colles: auro tamen caret: nec niſi ferro, atque ære dives. Sylvæ Tigribus, ferocibuſque animantibus habitatæ, tanta frequentia, ut mirum dictu ſit. Gentes, quæ ad Æquatorem vergunt magnitudine Hiſpanis pares: quæ ad Magellanicam terram ſpectant, miræ proceritatis. Induſio ex goſſypio, vel lana, aut pelle inaurata, quam ex Hiſpania deferunt, ſeſe veſtiunt. Verum Patagones plumis pudenda tegunt; caputque operiunt. moribus faciles, ac mites: at ſi ſemel læſi, non facile conciliantur: ingenio tam rudi, ut ne literas quidem ediſcere potuerint. Arma, quibus pugnant ſupra fidem conſtantes, ac feroces, Arcus, Sagittę veneno, ut plurimum illitæ, & fundæ: caſæ humiles, & inter ſe proximæ: quibus integræ familiæ habitant. pagos ſæpibus è vepribus factis obvallant. hæ gentes magna ex parte Hiſpano regi parent: qui duobus Præfectis, quorum unus in urbe Aſſumptionis reſidet, alter in oppido S. Iacobi in Tucumana, rem adminiſtrat. Religio Catholica plurimum viget: in Mediterraneis verò adhuc, vel Idololatræ, vel ſine religione, & lege barbaræ gentes vivunt.

FINIS.

I N-

INDEX
CAPITUM
LIBRI I.

CAP. 1. *Quid ſit Geographia; quid Terræ globus. pag.* 1.
CAP 2. *Qui circuli in Terræ globo deſcribantur, p.* 2.
CAP. 3. *De Zonis. pag.* 3.
CAP. 4. *De Meridianis, & Parallelis, longitudine, & latitudine Terræ, pag.* 5.
CAP. 5. *De climatibus. pag.* 7.
CAP. 6. *De diverſis Terræ habitatoribus. pag.* 12.
CAP. 7. *De quatuor Mundi Cardinibus, & de ventis. pag.* 14.
CAP. 8. *De variis locorum menſuris, deque amplitudine Terræ. pag.* 17.
CAP 9. *De Terraquei globi diviſione. pag.* 18.
CAP. 10. *De Oceano. pag.* 20.
CAP. 11. *De celebrioribus Oceani ſinibus. pag.* 22.
CAP. 12. *De Mari Mediterraneo. pag.* 23.
CAP. 13. *De Fretis, Euripis, & Boſphoris: inſuper & Iſthmis. pag.* 25.
CAP. 14. *De Globo, Mappis Geographicis, & diſtantia locorum inveſtiganda. pag.* 29.

LIBRI II.

CAP. 1. *De Montium altitudine . pag.* 37.

CAP. 2. *An montes magis accomodi ad mortalium uſum, an verò planities ſit. pag.* 49.

CAP. 3. *De Iſthmorum perfoſſione, an ſit poſſibilis. p.* 57.

CAP. 4. *An Freta ab exordio Mundi, an caſu facta. pag.* 59.

CAP. 5. *An olim Oceanus Navigatus; & de illius profunditate . pag.* 62.

LIBRI III.

CAP. 1. *De Prima Orbis parte Europa . pag.* 73.

CAP. 2. *De Hiſpania . pag.* 74.

CAP. 3. *De nova Hiſpaniæ diviſione pag.* 76.

CAP. 4. *De fluviis, montibus, urbibus Hiſpaniæ, deque gentium moribus, ſolique ubertate . pag.* 80.

CAP. 5. *De Gallia .* 83.

CAP. 6. *De recenti Galliæ diviſione. pag.* 87.

CAP. 7. *De Fluviis, montibus, urbibus præcipuis Galliæ: deque gentium moribus, ſolique ubertate. p.* 90.

CAP. 8. *De novo Belgio, ſive inferiori Germania .* 93.

CAP. 9. *De Inſulis Britannicis . pag.* 96.

CAP. 10. *De nova Maioris Britanniæ diviſione, urbibus, fluviis, cultuque ſoli, & gentis pag.* 98.

CAP. 11. *De Hibernia, & Thule. pag.* 102.

CAP. 12. *De Veteri Germania. pag.* 104.

CAP. 13. *De Fluviis, Sylvis, & montibus Germaniæ, deque eius antiquo ſtatu pag.* 110.

CAP. 14. *De Germanico Imperio, pag.* 114.

CAP. 15. *De novis Germaniæ provinciis cis Rhenum. pag.* 116.

CAP. 16. *De Provinciis ultra Rhenum circa Danubium: & primùm de antiquo Norico, & Vindelicia. pag.* 119.

cap.

CAP. 17. *De Provinciis inter Rhenum, & Albim. pag.* 125.

CAP. 18. *De reliquis Germaniæ provinciis ad Balticum mare, & Cimbria Cherſoneſo. pag.* 130.

CAP. 19. *De Scandinavia peninſula, & Suedia regno. pag.* 133.

CAP. 20. *De Sarmatia Europaea. pag.* 138.

CAP. 21. *De Polonia regno pag.* 140.

CAP. 22. *De exordio regni Poloniæ, ducatuſque Lituaniæ, ac Pruſſiæ: deque gentis politia. pag.* 145.

CAP. 23. *De Montibus, & Fluviis Poloniæ, Soli, Cælique indole: necnon & gentis. pag.* 147.

CAP. 24. *De Moſchovia, ſive Alba Ruſſia. pag.* 151.

CAP. 25. *De Fluviis Montibus, Cæli, ac Soli indole. pag.* 156.

CAP. 26. *De Moſchorum regno, & gentis ritu, ac moribus. pag.* 160.

CAP. 27. *De Scythia Europaea, ſive Pracopenſi, & Taurica Cherſoneſo. pag.* 164.

CAP. 28. *De Scythiæ minoris regno, gentis, Soli, ac Cæli indole. pag.* 168.

LIBRI IV.

CAP. 1. *De Italia. pag.* 171.

CAP. 2. *De antiqua Italiæ diviſione. pag.* 175.

CAP. 3. *De reliquis Italiæ populis pag.* 178.

CAP. 4. *De Romani Imperii ortu, & Magnitudine. pag.* 184.

CAP. 5. *De Præſidiis Imperii, & urbe Roma. pag.* 191.

CAP. 6. *De Nova Italiæ diviſione. pag.* 195.

CAP. 7. *De Meridionalibus Italiæ Provinciis p* 202.

CAP 8. *De Fluviis, & lacubus Italiæ. pag.* 222.

CAP. 9. *De Montibus, & Sylvis Italiæ. pag.* 228.

CAP. 10. *De Sicilia, Sardinia, Cyrne, cæteriſque inſulis Italiæ adiacentibus pag* 232.

CAP.11. *De Illirico, Pannonia, & Dacia.* pag.240.
CAP.12. *De Hungariæ Regno. pag.* 243.
CAP.13. *De Tranſylvania, Valacchia, Moldavia, & Scythia Iſtriana. pag.* 249.
CAP.14. *De Boſna, Servia, & Bulgaria. pag.* 252.
CAP.15. *De Græcia antiqua. pag.* 255.
CAP.16. *De Macedonia veteri, & nova, deque Albania. pag.* 260.
CAP.17. *De Epiro, & Theſſalia veteri, & nova.* 264.
CAP.18. *De Ellade, ſive vera Græcia. pag.* 267.
CAP.19. *De Peloponneſo veteri, & nova* pag.272.
CAP.20. *De montibus, & fluviis Græciæ, ſoli aëris, ac gentium indole. pag.* 276.
CAP.21. *De Creta, & Inſulis Græciæ adhærentibus. pag.* 282.
CAP.22. *De Thracia veteri, & nova. pag.* 288.
CAP.23. *De Urbe Byzantio, atque Imperio Conſtantinopolitano. pag.* 293.
CAP.24. *De Imperio Turcico, & gentis origine, ac moribus. pag.* 295.

LIBRI V.

CAP.1. *De Aſiæ nomine, ſitu, magnitudine, ac diviſione. pag.* 301.
CAP.2. *De Minori Aſia latiſſime accepta. pag.*303.
CAP.3. *De Anatolia nova diviſione, ac ſtatu. pa.*309.
CAP.4. *De Cypro, Rhodo, & Sporadibus inſulis. p.*312.
CAP.5. *De Maiori Armenia, Colchide, Iberia, & Albania, novaque Turcomania, & Georgia. pag.*318.
CAP.6. *De veteri Syria, & eius partibus. pag.*324.
CAP.7. *De nova Syria pag.* 331.
CAP.8. *De Meſopotamia, Aſſyria, & Caldæa. pa.*334.
CAP.9. *De Aſſyriæ regno, primaque Mundi Monarchia: novoque Terrarum ſtatu.* 337.
CAP.10. *De Arabia veteri, & nova. pag.* 341.

CAP. 11. *De Veteri Perſia. pag.* 349.
CAP. 12. *De Perſarum regno, ac ſecunda Mundi Monarchia. pag.* 353.
CAP. 13. *De noua Perſiæ diuiſione, gentium more, ac Cæli, Solique indole pag.* 357.
CAP. 14. *De antiqua Scythia, eiuſque diuiſione. p.* 361.
CAP. 15. *De Tartaria, & eius partibus.* 364.

LIBRI VI.

CAP. 1. *De veteri India. pag.* 370.
CAP. 2. *De noua Indiæ diuiſione, & primùm de Mogolis Imperio. pag.* 373.
CAP. 3. *De veteri, ac novo Indorum regno, ſoli, ac gentis Indole pag.* 376.
CAP. 4. *De Indiæ peninſula Occidentali, & Luſitanorum regno . pag.* 378.
CAP. 5. *De reliquis Indiæ regnis ad Orientem poſitis. pag.* 382.
CAP. 6. *De Tapobrana, & Maniolis inſulis. pag.* 386.
CAP. 7. *de Sindis Inſulis . pag.* 389.
CAP. 8. *De Moluccis Inſulis . pag.* 392.
CAP. 9. *De Philippinis, & Marianis inſulis, Noua Guinèa, & Salomoniis. pag.* 394.
CAP. 10. *De veteribus Sinis, & novo Chinæ regno. pag.* 398.
CAP. 11. *De Sinarum regibus, inſignibus, & tumulis, pag.* 403.
CAP. 12. *De Fluminibus, Montibus, Soli aëris, ac gentis qualitate, atque mirabili Sinarum muro p* 405.
CAP. 13. *De Corèa peninſula, inſuliſque circa Sinas. pag.* 412.
CAP. 14. *De Iaponicis inſulis. pag.* 415.

LIBRI VII.

CAP. 1 *De Africæ nomine, ſitu magnitudine, ac diuiſione. pag* 419.

Scipio Cacciuttulus Præpoſitus V. Provinciales Societatis Ieſu in Regno Neapolitano.

CUm Librum, cui titulus *Univerſalis Geographiæ Elementa* in Collegio Neapolitano *S. I.* à Viris Nobilibus expoſita, & demonſtrata, Præſide Nicolao Parthenio Giannettaſio E. S. aliquot Societatis Theologi viderint, atque in lucē edi poſſe probaverint, poteſtate nobis facta à Patre noſtro Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos editio librorum ſpectat, ita videbitur. Datum Neap. VI. Kal. Iun. 1691.

Scipio Cacciuttulus.

Rev. Canonicus D. Antonius Matina videat, & in ſcriptis referat. Hac die 10. Maii 1691.

SEBASTIANUS PERISSIUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

EMINENTISS. DOMINE.

LIbrum à R. P. Nicolao Giannettaſio lucubratum, cuius Epigraphe, *Univerſalis Geographiæ Elementa*, oculis, & mente cum maxima animi voluptate peragravi. In illo enim notandum cenſui eruditionem non vulgarem, brevitatem minimè obſcuram, methodum valde perfectam; & ut unico verbo abſolvam, tanto dignum Opus Auctore.

Ab

Ab cuius ingenio, quod ambidexterum dixeris, quicquid uſque adhuc ſeu proſa, ſeu carmine concinnatum in lucem prodiit, communi Literatorum laudationibus, & plauſu fuit exceptum: Simileque fatum præſenti Operi, in quo nihil probis moribus, vel Catholicæ Religioni officiens continetur, imo Lectoribus quam utillimo, cum typis, Te Eminentiſs. Domino iubente, fuerit excuſum, iure meritoque expectandum. Hæc mea ſententia. Attamen illam Tuæ Eminentiſs. Dominationis exactiſſimo iudicio libentiſſime, & cum ea me ipſum ſubmitto. Neap. 25. Ianuarii 1692.

Obſequentiſs. & deditiſs. famulus
Canonicus Antonius Matinas.

Viſa ſupraſcripta relatione Imprimatur. hac die 14. Februarii 1692.

JOANNES ANDREAS SILIQUINUS VIC. GEN.

D. Eligius Caracciolus C. R.

Magn. V. I. D. Ioſeph Valletta videat, & in ſcriptis referat.

CARRILLO R. SORIA R. MIROBALLUS R. JACCA R.

Proviſum per S. E. Neap. die 10. Maii 1691.

Anaſtaſius.

EX-

EXCELLENTISS. DOMINE.

Diligenter, accuratèque tuis obſequens, ut par eſt, iuſſibus, legi *Univerſalis Geographiæ Elementa* doctè, eruditèque conſcripta ab admodum Rev. Patre Nicolao Parthenio Giannettaſio Neapolitano è Soc. Jeſu, qui penè totum, quem nunc deſcribit, Terrarum Orbem immortalibus editis de Re Nautica, Piſcatoriaque Poematis Gloriæ, famæque ſuæ theatrum conſtituit. Cumque in eis non modo nihil adverterim, vel bonis moribus alienum, vel Regiæ obnoxium juriſdictioni; verum etiam ſanè, ſolidæque doctrinæ, multigenæque eruditionis theſauros compererim opulentiſſimos, tamquam ſtudioſæ Mathematicarum Artium juventuti maximopere profutura, publicæ uſuram lucis mereri arbitror. Meam tamen hanc qualemcumque ſententiam doctiſſimo, ſagaciſſimoque judicio tuo, utpotè qui Matheſeos, ac præſertim Geographiæ ſtudio, Principe ſanè digno plurimum delectaris, libentiſſimè ſubmitto. Neapoli IX. Kal. Martias Æræ Chriſtianæ anno 1692.

Excell. Tuæ.

Humillimus, & Addictiſs. Servus
Joſephus Valletta.

Imprim. verum in public. ſervetur Reg. Pragm.

SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROB. R.
JACCA R.

Proviſum per S. E. Neap. die 12. Martii 1692.

Anaſtaſius.

Er-

Errata ſic corrige.

PAg. 84. verſo 4. lege Caletum : pag. 230. ver. 1. leg Marum pag. 178. ver. 10. l. Mactam & urbibus. pag 194. ver 28 l. ſecti pag. 195. ver. penult. leg. non, ubi cum pag 125. ver. 5. l. Tiburi. pag 241 ver. 5. l. Sebenicum. pag. 253. v 12. leg. Triballos pag. 265. v. 16. le. ſumptum. pag 286. ver. 19. leg. mortem. pag. 314. v. 5. leg. non, ubi cum pag. 322. v. 11. l. ſine. pag. 350. ver. 24. leg. Coraſsàn. pag. 403. ver. 4. leg. opificio. pag 408. ver. 21. leg. nos, ubi non.

pag. 265. verſ. 3. leg. Ambracium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google